


DE SECRETARIIS VETERIS BASILICAE VATICANAE

LIBER I.

ACCEDVNT DISQVISITIONES

I. De Cellis Gregorianis. II. De Bibliotheca Basilicae Vaticanae.

III. De Circo Caii, et Neronis. IIII. De Templo Rotundo S. Petronillae.




ROMAE ANNO CIↃIↃCCLXXXVI

EX OFFICINA SALVIONIANA AD LYCEVM SAPIENTIAE

DE SECRETARIIS
VETERIS
BASILICAE VATICANAE
LIBER I.

CAPVT I.

Instituti operis ratio.



Tque eò tandem devenimus, quô tota huc usque ducta disputatio spectabat; nimirum, ut de *Basilicae Vaticanae* antiquiorum, ac recentiorum temporum *Secretariis*, quae iisdem usibus obnoxia, iisque privilegiis, quae hactenus descripsimus, ornata fuisse, comperiemus, dissererem, eorumque illustrationem susciperem. Itaque prius de iis dicam, quae a *Constantini* aetate usque ad *Paullum* IV, aut *Pium* V. ibidem steterunt. Quae *Secretaria*, quum positu quidem, atque usu longe diversa, variaque pro temporum vicissitudine fuerint, quumque frequens eorum apud antiquos Scriptores mentio fiat, iccirco de singulis sermonem instituam, unumque ab altero accurate distinguam, quo omnis ambiguitas, et erroris occasio submoveatur, quae eorumdem Scriptorum intelligentiam remorari possit.

Haec autem persequi latius placet, quod eorum cognitio quum erudito, et liberali homine non indigna esse videatur, nostratibus vero hominibus, nisi hospites domi esse, ac peregrinari in Patria velint, etiam necessaria, tum facem nobis quodammodo praeferent ad ea, quae sequenti libro de *Secretariis novae Basilicae Vaticanae* disputabimus.

Atque, ut rerum dicendarum ordini, quem habere antiquissimum debemus, quantum quidem fieri potest, per nos consulatur, prae ceteris statuendum arbitror, quot numero fuerint, hoc temporis decursu, *veteris Basilicae Secretaria*, ut singillatim ea percensere, deque vicibus, quae eorum quasi vitam, atque interitum complectuntur, disserere diligenter possimus.

CAPVT II.

De numero Secretariorum Basil. Vat. a Constantino, usque ad Paullum IV, aut Pium V.

Parum profecto lucis ab aliis Scriptoribus, qui de *Secretariis Basilicae Vaticanae* meminerunt, mutuari mihi licuit; quippe omnes, quantum equidem sciam, obiter tantum, ac perfunctorie de iisdem pertractarunt, praeter Conradum Janningum, qui [1] eruditissimam dissertationem lucubravit de *situ Secretarii antiqui, et Sacelli Gregoriani, S. Gregorio a Gregorio* IV. *constructi*. Verum, etsi multum me debere commodi profitear doctissimo Viro, qui primus rectam instare viam aggressus est, tamen pluribus in locis, ejus sententiae repugnare coactus sum.

1 in T. vI. Mensis Iunii Bolland. p. 91.

Jam re, quam diligentissime fieri potuit, perpensa, tribus tantum in locis, *veteris Basilicae Secretaria* certo exstitisse, ac sibi quodammodo successisse visa sunt, de quibus disserere aggredior.

Sed initio, quo facilius locorum positus dignoscatur, ac legentium intelligentiae prospiciam, veteris Templi Ichnographiam accurate delineandam, ac proponendam curavi. Ac statim Costagutus [1], Severanus [2], Paullus de Angelis [3], Fontana [4], Ciampinius [5], Bonannius [6], Ciacconius [7], Bollandiani [8], aliique certatim suas quodammodo mihi obtulerunt. Verumtamen ceteris eam longe anteponendam esse vidi, quam Tiberius Alpharanus Hieracensis, incredibili diligentia adornatam suoque sumptu aeri incisam, anno MDLXXXIX. evulgavit, quamque rursus ad calcem operis de *Altaribus*, *et Reliquiis Bas. Vat.* [9], Raphael Sindonius publica luce do-

1 Architettura della Basilica di S. Pietro in Vaticano, opera di Bramante Lazeri, Michel Angelo Buonaroti, Carlo Maderno, ed altri famosi Architetti, espressa, e intagliata in più tavole da Martino Ferrabosco, per commissione di Mons. Gio. Battista Costaguti. Roma 1620. fol. La medesima di nuovo data alla luce da Mons. Gio. Battista Costaguti juniore. Roma 1684. fol. e nel 1750. 4.

2 Memorie Sacre delle sette Chiese di Roma, e di molti altri luoghi, che si trovano per le strade di esse. Roma 1630. e 1638. T. II. 8.

3 Basilicae veteris Vaticanae descriptio, auctore Romano ejus Basilicae Canonico, cum notis Abatis P. de Angelis. Accessit brevis novi Templi Vaticani descriptio, nec non utriusque Ichnographia. Romae 1646. fol.

4 Il Tempio Vaticano, e sua origine con gli edificii più cospicui antichi, e moderni, fatti dentro, e fuori di esso. Opera divisa in sette libri. Roma 1692. fol. ital. lat.

5 de Sacris Aedificiis a Constantino M. constructis Synopsis histor. Romae 1693. fol., et in ejus operum collectione. ibid. 1748.

6 Numismata Summorum Pontificum Templi Vaticani fabricam indicantia, chronologica ejusdem fabricae narratione, ac multiplici eruditione explicata, atque uberiori numismatum omnium Pontificiorum lucubrationi, veluti prodromus praemissa. Romae 1696. et 1700. fol.

7 in T. I. Vit. Pontificum p. 66.

8 Commentarius de Basilica S. Petri Apostolorum Principis antiqua, a Constantino M. fundata Romae in Vaticano, ac praecipue de Altaribus ejusdem. in T. VI. Junii.


9 Romae 1744. 8.

navit. Huic enim tabulae, quam gemina descriptione, altera latino sermone [1], altera vernaculo exarata, egregie illustravit, accepta fere omnia jure merito referuntur, quae in veteri Basilica exstabant, partim ex antiquis monumentis, partim *ex magisterio Iacobi Herculani Canonici, et Altararii* ejusdem Basilicae, qui ejusdem rerum peritissimus erat, ex oblivionis tenebris vindicata. Hanc itaque tabula I. designatam, atque huic volumini attextam offendes.

Sed quum me in multiplici Altarium, et monumentorum explicatione persequenda, pluries ab eo dissentire, accurata rerum investigatio vel invitum induxerit, alteram quoque adornandam curavi, ubi ea veteris Basilicae loca, de quibus peculiariter mihi disserendum est, alio ordine indicantur, adjecta exaedificationum Paulli V. et Alexandri VII. delineatione. Sic enim ad oculum perspicere licebit, quibus in locis ab Alpharano recedendum esse duxi. Eam igitur tabula II. delineatam, ac tertio volumini praefixam habebis, ut facilius unam cum altera conferre possis.

1 Almae Vrbis D. Petri veteris, novique Templi Descriptio. *in Cod. Chart. Arch. Bas. Vat.*, *atque hoc titulo in aliis exemplaribus*. Sacros. Vat. Basilicae B. Petri Principis Apostolorum Vrbis, tam Veteris, quam Novae Structurae descriptio. *Atque in altero operis apographo*. de aliquibus Antiquitatibus Basilicae S. Petri ex Scripturis antiquarum traditionum, et aliis monumentis depromptis. V. opus eruditissimum inscriptum, *Memorie degli Scrittori del Regno di Napoli* 1782. p. 231. Art. cxvi. Eustachii d'Afflitto, Regiae Bibl. Praefecti, ingenii acumine, stili nitore, atque exquisita optimarum literarum scientia cum paucis comparandi.

2 *MSS. titulus est hujusmodi.* In questo presente libro sono raccolti insieme, et ligati diversi fogli, e quinterni scritti da me Tiberio Alfarano, ricavati da propj originali, da libri, pietre, marmi, et altri ricordi de voce viva della Chiesa di S. Pietro, havuti dal R̃mo Giacomo Hercolano, et da altri, come si vede. *Idem opus alterum hunc titulum deinde praesefert*. Basilicae B. Petri Apostolorum principis in Vaticano sitae, structurae scilicet veteris novaeque descriptio. Opera, et studio Tiberii Alfarani Clerici Basilicani. litt. G. n. 5.



Ichnographia veteris Basilicae Vaticanae, tar-
Crucis Graecan

CAPVT III.

De Secretario antiquissimo Basilicae Vaticanae.

Quum principes Vrbis Basilicas *Constantinus* M. pro sua in Deum O. M. pietate, et Imperii moderatore digna munificentia, exstruendas curavit, *Secretaria* in singulis earum, ex veteri more aedificata fuisse, minime dubitandum est. Itaque de eo disseramus, quod *Basilicae*, quam honori Principis Apostolorum excitavit, famulari quodammodo debuit. Quod ut a ceteris, ut par est, distinguamus, *antiquissimum* appellabimus; quo nomine, et a vetustis Scriptoribus vocatum fuisse reperiemus.

Huc Romani Antistites ex Aedibus Lateranensibus commigrabant, ut sacris vestibus, ibidem servatis induerentur, quoties in Bas. Vat. sacris operaturi essent, aut alia id genus officia obituri. Inde enim sollemni pompa, cunctis Ordinibus comitantibus, procedebant, rem divinam facturi, ut pluribus supra demonstravimus.

Atque hic locus in veteribus Ichnographiis apud indicatos auctores, in extrema Porticu, seu in inferiori, ac meridionali parte Cellae Basilicae veteris, ad laevam in Templum ingredientium, observatur, uti videre est, vel in ea, quam nos exhibemus, literis dd. Porro ita eum describit Jacobus Grimaldus [1], qui post Alpharanum accuratissimam, ac locupletissimam veteris, ac novae Basilicae descriptionem pertexuit [2]. *Conjunctum fuisse apparet*

1 in lib. ms. Instrumentorum de translationibus SS. Corporum, et Reliquiarum e veteri in novum Templum S. Petri sub Paulo V. cum multis memoriis, Epitaphiis, et Inscriptionibus Bas.

2 Consule ejus vitam apud Iohannem Elephantutium, non minus genere, quam eruditione clarum, ac nobilem. in T. IV. delle Memorie degli Scrittori Bolognesi. Bologna 1784. p. 306.

vetus Secretarium *muro dictae ultimae navis, e regione Coemeterii Campi Sancti, ut clarius planta in fine hujus libri delineata ostendit, et ab eo erat accessus in Basilicam.*

§. I.

De ejusdem forma, et ornatu.

Quid tamen ibidem fuerit, cujusmodi structurae, quo ornatu, quum res sit ab aetate nostra remotissima, densissimisque antiquitatis tenebris involuta, nil habeo certi, quod statuam. Ibi certe donaria a Constantino, et Pontificibus liberalissime oblata, vasa aurea, et argentea, sacraque omne genus supellex, relligiose adservata fuere. Quamobrem nil mirum, Arrianum Militem, in Vrbis direptione, quam ex improviso adortus Alaricus cum Athaulpho Vxsoris Fratre, coepit anno CDX, dum vasa sacra Bas. a quadam Virgine, cujus custodiae commissa fuerant, per vim extorquere aggressus erat, *expositis opibus*, ut ait Orosius [1], *attonitum fuisse barbarum magnitudine, ignota etiam vasorum qualitate*. Proprium vero hujusmodi vasorum nomen accipimus ex responso, quod Orosius furenti, atque inhianti Militi Virginem dedisse narrat. *Haec Petri Apostoli ministeria sunt*. Quae quum ad Regem detulisset, *continuo reportari ad Apostoli Basilicam universa imperavit*, ceterosque Milites a Templi compilatione cohibuit.

Quum vero antiquiorem *Sancta*, id est *Eucharistiam* servandi modum fuisse demonsttavimus [2], ut in *Secretario* custodiretur, nonnemo fortasse quaerat, num super Altare ibidem collocatam fuisse putem? Equidem varios recondendae Eucharistiae usus jam declaravi, qui Altare mi-

1 lib. VII. c. 39. l. XVII. c. 20. l. VII. c. 39. 2 pag. 197.

nime necessarium fuisse produnt. Praeterea, quum ibi nunquam Pontifices sacrum celebrarent, sed hinc, Eucharistia praelata, Liturgiae operam daturi ad Altare procederent, quod primitus unum dumtaxat, vel in ipsa Basilica, ex veteri Christianorum more, quem inferius illustrabimus, fuisse constat, nullam iccirco aram in *Secretario* ab initio exstitisse, facile credam.

§. II.

De Benedicti I. *sepultura, intra ambitum Secretarii.*

Hactenus obscura, et incerta prosequuti sumus, de quibus nullum exstat monumentum apud Scriptores. Quod tamen certum omnino est, intra hujusce *Secretarii* ambitum, *Benedictus* I. Bonifacii Filius, Romanus, quem Graeci *Bonosum* appellant, sepultus fuit. Tradit id luculenter Petrus Mallius, ubi ait [1]. *Benedictus Papa I. Hic sepultus est* in Secretario *ad Sanctum Petrum*. Hoc idem Maph. Vegius diserte confirmat, qui ita scribit [2]. *Post ipsum Oratorium, est* Secretarium *B. Petri, quod ita appellatum fuit*, ante *quod reconditus est Iohannes III*, intra *vero Benedictus*. Iisdem adhaesit Panvinius, qui ait [3]. *In* Secretario, *quod nunc dicitur* S. Maria de Febre, *ante Basilicam S. Petri Apostoli, quiescit Benedictus Papa*. Simile est illud Alpharani [4]. Intra Secretarium, *quod est post angulum hujus porticus, a dextera parte extra parietes ad meridiem, fuit sepultus Benedictus I.* Super ejus tumulum hujusmodi Distichon insculptum fuisse tradunt [5].

MAGNA . TVIS MONVMENTA . PATER . BENEDICTE . RELINQVIS,
VIRTVTVM . TITVLVS . O . DECVS . ATQVE . DOLOR .

1 T. VI. Iun. Bolland. num. 50. p. 42.
2 ibid. lib. IV. n. 142. p. 84.
3 de VII. Ecclesiis p. 53.
4 litt. dd. p. 51.
5 Mandosius in Bibl. Rom. Centur. I. pag. 17.

Verum de re tam antiqua quid hujusmodi testes profero? Primus omnium appellandus fuerat Anastasius, cujus haec verba sunt [1]. *In istis laboribus, et afflictionibus positus* SS. Benedictus Papa *mortuus est, qui et sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli* in Secretario, *pridie Kalendas Augusti*.

Decesserat vero *Benedictus* ad ejusdem Anastasii chronotaxim, quam Vignolius accurate expressit, pridie Kal. Aug. anno DLXXVIII; licet eumdem Papebrochius anno insequente, Fleurius contra, anno DLXXVII. e vivis migrasse velit.

Insuetus hujusmodi sepulturae honor, quem nonnisi sanctis Pontificibus, tunc temporis concessum fuisse demonstrabimus, inducere fortasse potuit Wionem, Dorganium, Cavallerium, aliosque, ut eum Sanctorum albo adscriberent, quemadmodum et *Pelagium* pari titulo donarunt. Verum Bollandiani pari modo, quo inter praetermissos, die VIII. Februarii, *Pelagium* recensuerunt, die XXXI. Julii [2] inter eos *Benedictum* quoque adnumerarunt. Nam a Ferrario, qui, etsi eum in *catalogo Sanctorum Italiae* minime nominat, tamen in *generali*, Monachos supradictos sequutus est, pro *Benedicto* II, qui ut Sanctus vere colitur die VII. Maii, acceptum fuisse demonstrat; aeque ac fecerant Auctaria Vsuardina die XXIV. Aprilis, eadem de caussa ab iisdem Bollandianis refutata. Quod prae ceteris non solum evincit Baronii silentium, qui de Romanorum Pontificum gloria mire sollicitus fuit, sed etiam Dacherii, et Mabillonii, qui *Benedictum*, neque *Monachum*, neque *Sanctum* nuncuparunt.

1 T. I. edit. Vignol. §. II. pag. 230.

2 T. VII. Julii pag. 169, et in Conatu Chronistor. in Propilaeo Maii.

3 Vita S. Ben. II. ex Anastasio Bibl. cum commentario praevio, et annotatis God. Henschenii. in T. II. Maii p. 196.

§. III.

De Leone Magno, omnium primo, intra Secretarii ambitum sepulto, ac primis ejus translationibus.

Neque tamen *Benedictus* primus omnium Romanorum Pontificum fuit, qui in Vaticano *Secretario* tumularetur. Id honoris fuerat antea *Leoni Magno* tributum, *Papae*, ut ait Libellus Synodicus [1], *Apostolis aequando*, in quo vere licet, *Ambrosii constantiam, facundiam Chrysostomi, Augustini doctrinam, Petri ipsius fidem*, mirifice conjunctas [2] admirari; ut Trithemii laudes omittam, quibus eum appellavit, *dictionis Ecclesiasticae Tullium, sacrae Theologiae Homerum, rationum Fidei Aristotelem, auctoritatis Apostolicae Petrum, et in Christiano pulpito Paullum*. Id fere omnes, qui de *Leone* I. aliquid literis mandarunt, testati sunt. Vnum, aut alterum e recentioribus recitabo, ut ad antiquiores postea me conferam. Genebrardus igitur ait [3]. *Leo Papa I. doctissime scripsit, et* primus omnium Pontificum Romanorum *sepultus est in Bas. S. Petri in Vaticano*. Hoc idem, ut Bosium [4], Ciacconium [5], Oldoinium [6], et Quesnellium [7] praeteream, qui tamen aeque, ac Genebrardus, verum ejus sepulturae locum non indicarunt, Panvinius etiam adnotatione dignum putavit. *Omnes fere*, inquit [8], *qui ante S. Leonem M. Papam fuere Romani Pontifices, per varia Vrbis circumvicina Coemeteria, et Basilicas sepulti sunt*. Primus Leo magnus Papa, *ob egregia in Sedem Apostolicam, et Romanum nomen merita, in Porticu Basilicae S. Petri sepeliri meruit*. Quod quidem, erroris Ceillierium quoque coarguit, qui [9] *Leonem* in Vaticani

1 c. xciv. 2 T. II. p. 599. edit. Quesnel. 3 P. II. 4 T. I. Rom. subt. p. 248. 5 T. I. p. 307. 6 ibid. p. 311. 7 in T. II. Op. S. Leonis edit. Baller. p. 599. 8 T. II. mss. de reb. memorab. Bas. Vat. c. xxII. p. 113. 9 T. xiv. p. 333.

Templi vestibulo inhumatum esse scripsit, quod jam tum ii Pontifices ibidem tumularentur, qui Martyrii palmam fuissent consequuti.

Plura vero habentur hujusce inventionis, ac translationis testimonia; sed ceteris anteponendum certe est, quod Anastasius exhibet, ubi ait [1]. *Sergius Corpus* B. Leonis *probatissimi Patris, atque Pontificis, quod* in abditis inferioribus Secretarii Basilicae *positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata Basilica, in publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit, ac locum ipsum ornavit*. Quod totidem fere verbis, ut Quesnellius [2] testatur, duplex confirmat de rebus gestis S. Leonis PP. I. narratio, quae habetur in celeberrimo MSS. Cod. Coll. Orielensis in Academia Oxoniensi, ex quo Canonum Codex, a nonnullis Romanus perperam creditus, in lucem prodiit. Hoc item praecipue docent tres Epitaphii versus, quod a Sergio I, seu potius II, uti contendit Papebrochius [3], exaratum, novoque *Leonis* tumulo impositum, quodque a Grutero [4], et Baronio [5] editum, auctiusque a Mabillonio [6] prolatum ex Codice antiquissimo Coenobii Virdunensis S. Vitoni, historiam Eusebii continente, inter quaedam Epitaphia, *quae inventa sunt in Ecclesia S. Petri*, ac rursus, ut Sergardum [7], Sindonium [8], Dionysium, aliosque [9] praetermittam, a Quesnellio [10] ex vetustissimo MSS. Oxoniensi accuratius evulgatum fuit. Totum vero Epitaphium sic habet.

1 T. I. §. XII. p. 311.
2 T. II. edit. Baller. p. 598.
3 in Propyl. ad Acta SS. Mens. Maii, et die XI. April.
4 T. II. p. MCLXX.
5 num. II. an. 461.
6 T. III. Vet. Analect. p. 430.
7 Ragguaglio della Trasl. di S. Leone p. 4.
8 pag. 47.
9 p. 45.
10 T. II. p. 351, et apud Baller. p. 599.

HVIVS APOSTOLICI PRIMVM [1] EST HIC CORPVS HVMATVM
QVOD FORET ET TVMVLO DIGNVS IN ARCE PETRI
HINC [2] VATVM PROCERVMQVE COHORS QVOS CERNIS ADESSE
MEMBRA SVB EGREGIA SVNT ADOPERTA DOMO.
SED DVDVM VT PASTOR MAGNVS LEO SEPTA GREGEMQVE
CHRISTICOLAM SERVANS IANITOR ARCIS ERAT
COMMONET ET TVMVLO QVOD GESSERAT IPSE SVPERSTES
NE LVPVS INSIDIANS VASTET OVILE DEI.
TESTANTVR MISSI PRO RECTO DOGMATE LIBRI,
QVOS PIA CORDA COLVNT QVOS MALA [3] TVRBA TIMET
RVGIIT ET PAVIDA STVPVERVNT CORDA FERARVM
PASTORISQVE SVI IVSSA SEQVVNTVR OVES.
HIC TAMEN EXTREMO IACVIT SVB MARMORE TEMPLI,
QVEM IAM PONTIFICVM PLVRA [4] SEPVLCHRA TEGVNT [5]
SERGIVS ANTISTES DIVINO IMPVLSVS AMORE
NVNC IN FRONTE SACRAE TRANSTVLIT INDE DOMVS
EXORNANS RVTILAM PRETIOSO MARMORE TVMBAM [6]
IN QVO POSCENTES MIRA SVPERNA VIDENT.
ET QVIA PRAEMICVIT MIRIS VIRTVTIBVS OLIM,
VLTIMA PONTIFICIS GLORIA MAIOR ERIT.

Nimirum *Sergius* hac de re monitus divinitus fuit, ideoque quum aegre ferret, tanti Pontificis exuvias obscuro in loco, et sine honore delitescere, eas in superiorem, atque editiorem transtulit, eique magnificum Oratorium exstruxit, de quo in epist. Hadriani I. anno DCCLXXXI. [7], et in S. Leonis IV. privilegio anno DCCCLIV. [8] fit mentio. Quo vero loco idem erexerit, quum adhuc non satis constet apud Scriptores, qui de prima *Leonis* translatione, obiter tantum, pertractarunt, etsi plurima de po-

1 ms. Oxon. *Magni*.
2 Vulg. *Hunc*.
3 Vulg. *prava*.
4 Oxon. *Pulchra*.
5 Vulg. *celant*.
6 Vulg. *rutilum .... tumbum*.
7 T. vII. Miscell. Baluz. p. 120, et T. III. Bull. Vat. in App. p. 2.
8 T. I. Bull. V. p. 16.

sterioribus memoriae consignaverint, non abs re erit, heic paullo diligentius inquirere.

Ac primùm Maphaeum Vegium audiamus. *Sed quod ad Coemeterium Christianorum pertinet, reperti sunt*, inquit [1], *in eo plurimi nobiles marmorei tumuli, inter quos unus dicatus* Leoni *Papae, quod ubi comperit Magister, qui operi illi diruendo praeerat, statim id renunciavit Pontifici, Pontifexque tunc illô me ire jussit, cupiens, quid id esset, certius ex me intelligere. Porro ibi reperi tumulum, alio marmoreo lapide coopertum, inscriptum quoque tumulo unicum versum hujusmodi.*

SALVO PAPA LEONE AGNELLVS PRESBYTER ORNAT

Putarim autem, hunc Agnellum fuisse aliquem cariorem ejus et secretiorem contubernalem, ac bonum virum, qui ultimum, quem debuit, talis, ac tanti heri ossibus, honorem exhibuit, reconditumque ab illo prius ibi corpus ipsius, diu jacuisse crediderim propter epigramma, quod dixi, tumulo ejus inscriptum. Nam certo constat, a Sergio Papa, divina ita visione quadam monito, postea ipsum translatum fuisse. Plura ad hunc Vegii locum Oldoinius [2] adnotavit, ac rectius tumulum ab eo descriptum, alterius cujusdam Viri sanctitate conspicui conditorium fuisse conjecit, quod deinde Agnellus Presbyter, *Leone* adhuc florente, exornaverit. Id enim sibi suadere visa est ipsa formula, *salvo Papa Leone*, qua veteres in Iscriptionibus plerumque utebantur, ut alterius Inscriptionis exemplo ad S. Petri ad Vincula in Exquiliis aperte demonstrat de Johanne II. etiamtum superstite, quae iisdem verbis concepta, habet

SALBO PAPA IOHANNE [3].

1 l. IV. n. III. p. 79. T. VI. Jun. Bolland.

2 T. I. Ciacconii col. 311.

3 V. Florentinium Exercit. XI. pag. 713. Holstenium in notis ad Conc. Rom. III. sub Bonif. II. p. 867. T. V. Conc. Norisium l. II. Hist. Pelag. c. XXIII. Papebrochium

Verum si ad ipsius sepulcri positum a Vegio descripti, Oldoinius animum advertisset, rem ita se habere, profecto clarius etiam probasset, quidquid contra Aringhio [1], et Petro Pollidorio [2] placuit statuere. Quî enim, *post veteris Bas. apsidem*, *Leonis* M. sepulcrum exstare potuisset, quod *in infima Bas. parte*, ex Anastasio, et ex ipso epitaphio, quod ejus sepulcro Sergius affixit, exstitisse, jam supra vidimus?

Neque vero quisquam Oldoinio unquam concedat, *eumdem tumulum e loco dimotum, ubi primum constiterat, illuc translatum fuisse a* Sergio I, *qui venerabile ejusdem S.* Leonis *Corpus in Oratorio ad dexteram majoris apsidis, prope S. Petri aram collocaverat*. Id enim, praeterquamquod ejusdem Vegii sententiae aperte refragatur, qui ex eo loco *a Sergio postea translatum* fuisse scripsit, curnam potius pro *Sergii* epitaphio, quod Leonis M. tumulo insculptum erat, *Agnelli* inscriptio sese Vegio objecisset, quae, *salvo Leone*, posita fuit? Praeterea, ubinam Oratorii a *Sergio* constructi vestigia in Coemeterio, quod Vegius describit, quodque usque ad Paulli V. aetatem superfuisse constat, occurrunt? Verum alter Vegii locus Oldoinium fugit, ex quo colligitur, quonam *Leonis* Corpus a *Sergio* translatum fuerit. Hic est hujusmodi [3]. *Secundum vero Oratorium S.* Leonis, *est propius ipsi loco, ubi erat Monasterium S. Martini, juxta Altare majus S. Petri, in quo recondidit Paschalis* II. *corpora Beatorum Leo-*

in Conatu Cron. Histor. pag. 78. Pagium in Critica ad an. 531. n. 5. Relandum in Fast. Consul. ad an. 533. p. 708. Fontaninium de Disc. argen. c. XVII. p. 51, et Mich. Angel. Monsacrati in eruditissima dissertat. de Catenis S. Petri.

1 T. I. lib. II. c. VIII. n. 4.

2 T. XXXIV. Syll. Caloger. de Conjectura in postremum versum Epitaphii T. Flavii Clementis.

3 n. 121. p. 81.

num II, III, *et* IV. *Nam primum a* Sergio *translatum fuisse, supra diximus.*

Haec Vegii opinio, antiquiori P. Mallii testimonio mirifice illustratur, qui *Leonis* Oratorium ita designat [1]. *Ante Altare S. Mauritii, juxta aditum, qui vadit ad S. Martinum, post* S. *Petrum, est Oratorium* S. Leonis IV. *Papae, in quo, sicut saepe accepimus a Majoribus nostris, videlicet Presbytero Cencio Priore, et Domino Petro Christiano, san. record. Paschalis* II. *Papa Corpus* B. Leonis Papae I, *et* II, *et* III, *et* IV. *recondidit*. Idem alibi etiam confirmat [2]. *Hujus SS. Papae* (Leo IV.) *Corpus requiescit in Altari suo, quod est, sicut supra diximus, juxta aditum, qui exit foras ad S. Martinum post S. Petrum, in quo etiam Altari, ut a nostris majoribus saepe accepimus, quiescit* Leo I, II, *et* III, Ac denique alio loco [3]. Leo Papa I, *qui misit epistolam Flaviano Episcopo de incarnatione Domini, et fecit sermones contra Haereticos. Hic jacet in Altari S. Leonis* IV. *Papae, sicut supradictum est.* Huc accedit praeclarus sane locus Ordinis Romani XIV, qui haec habet [4]. *Coronata vero Regina, reducatur ad thalamum, et post Evangelium ducatur ad oblationem summo Pontifici exhibendam, stetque in gradibus*, juxta absidem, versus Altare S. Leonis, *donec de manu Summi Pontificis post Imperatorem sacram coronam accipiat.*

Quod vero, contra Vegii sententiam, Mallius tradat, *Leonis* Corpus sub hoc Altari a Paschali II. cum tribus aliis primum reconditum fuisse, haud facile mihi persuadeam, ita esse sentiendum, etsi Panvinius, et Alpharanus in ejusdem Altaris descriptione, Mallium se-

1 n. 17. p. 39.
2 n. XIX. p. 40.
3 n. XXXVII. p. 41.
4 T. II. Mus. Ital. p. 406.

quantur. Primus enim, quod incaute Oldoinius [1] etiam probavit, *secundum*, inquit [2], *Sacellum, et Altare prope superius locatum, fuit S. Leonis* IIII. *Papae, sub quo Paschalis* II. *recondidit corpora S. Pontificum* Leonum I, II, III, *et* IX. Alter vero eumdem locum fusiori calamo ita describit [3]. *Iuxta praedictam Portam, in parietibus Basilicae ad occidentem sequebatur Oratorium, sive Altare* S. Leonis *P. antiquissimum, in quo erat imago B. M. V. filium amplexantis, olim magnae devotionis, sub quo Paschalis* II. *Papa SS. Summ. Pont. corpora Leonum* I, II, III, IV. *magno cum honore condiderat; illo denique in Basilicae disjectione diruto, SS. Summ. Pontificum corpora, sub pavimento Altaris existentia, minime ablata fuerunt, sed ibi usque hodie intacta permanent. Hoc Altare fuit unum etiam ex* VII. *privilegiatis. Anno vero Dom.* 1580. *die* 1. *Augusti, quum novae Bas. pavimentum in hoc loco aequaretur, sub basi Altaris hujus Oratorii SS. Leonum* I, II, III, *et* IV. *corpora intra marmoream arcam, marmorea tabula optime opertam, ut a Paschali* II. *condita fuerant, reperta fuerunt. Quae quidem Gregorii* XIII. *P. O. M. jussu, novo, ac pulcriori Altari desuper exstructo ibidem relicta, ac mirifico artificis, novoque fornice instar parvuli Templi exstructa, sub eodem novo pavimento exornata fuere, adeo ut commode, et a Sacerdotibus super Altare Sacrificium offerri, et a circumstantibus audiri possit, quoad usque in*

1 T. I. Ciacconii p. 311.

2 de VII. Eccl. p. 41.

3 mss. num. 14. pag. 20. *Atque in vernacula Bas. descriptione ab eodem exarata, cujus verba, ad clariorem locorum illustrationem, toto operis decursu, recitabimus*. Nel medesimo muro nuovo alla nave per diretto, di rincontro dell' intrar la porta Guidonea, fu traslatato l'Altare de S. Leone PP. IV. con la medesima effigie della B. gloriosa Vergine Maria, molto antichissima, et consacrato ad onore delli SS. Leoni PP. et nota, che li Corpi delli dd. PP. Leoni erano sepolti sotto detto Altare nel pavimento della Chiesa, et non furno levati, quantunque sia stato levato l'Altare, et la figura della V. M. con tutto il muro, ma sono ancora in quel medesimo luogo sotto il pavimento della Chiesa.

aliquod pulcerrimum novae Basilicae Sacellum auro, musivoque exornatum, ut tantos Pontifices decet, transferri possint. Certum porro est ex ipsius *Sergii* testimonio [1], *Leonis* Corpus *in fronte sacrae domus* ab se fuisse collocatum, atque Oratorium, ubi Paschalis II. aliorum *Leonum* exuvias collocavit, ex Mallio, Vegio, Panvinio, et Alpharano, ibidem situm esse discimus. Nonne igitur verisimilius putabitur, *Paschalem* eum in locum transferre voluisse SS. Leonum II, III, et IV. Corpora, quô jampridem *Leo* M., illuc e *Secretario* a *Sergio* translatus colebatur, ut parem in eadem cella cultum haberent, qui rerum praeclare gestarum magnitudine, vitae sanctimonia, potestatis amplitudine, dignitatis praestantia, atque ipsa nominis similitudine [2] pares quodammodo fuisse videbantur? Quapropter recte quidem Bosius [3], cui plane subscripsit Quesnellius [4], *ad dexteram majoris apsidis, prope Sancti Petri aram*, *Leonis* Corpus exstitisse tradidit, et Vignolius etiam, allatum Anastasii locum de *Sergii* vita illustrans, ex epitaphii versibus ejus sepulcro appositis [5] *in ipso veteris Basilicae capite* locatum fuisse declaravit.

Verum, priusquam aliô progrediamur, hunc ipsum Anastasii locum in vita Leonis IV [6] expendamus, oportet. *Ipse quidem*, inquit, *a Deo protectus, et venerabilis Praesul intra Basilicam B. Petri Apostoli Oraculum mirae pulcritudinis, summique decoris construxit, quod pulcris marmoribus circumdans splendide compsit, absidamque ejus ex musivo, aureo su-*

1 vers. XVI.

2 Vita Leonis II. ex Anastasio cum Papebrochii Synopsi Chronologica praevia. T. v. Iunii p. 379. Papebrochii de S. Leone P. III. Comment. histor. T. II. Iunii p. 572. Ioh. Gottlieb Fabri Dissert. historica de Leone III. Tubing. 1748. 4. Vita Leonis IV. ex Anastasio cum commentario praevio, et annotatis Jo. Bapt. Sollerii. T. IV. Iul. pag. 302.

3 lib. VI. Rom. subt.

4 p. 599, et 605.

5 T. I. T. XII. p. 311.

6 T. III. §. XXXI. p. 86.

perinducto colore, glorifice decoravit, in quo etiam venerabile Corpus Beati Leonis *Confessoris, atque Pontificis recondens, sacrum desuper construxit Altare, et ciborium cum cruce exaurata ad laudem, et gloriam Christi nominis, hoc fretus amore perfecit, ut sibi dignum in aethere conquireret locum*. Haec igitur, ne de altera *Leonis* translatione e loco, quô eum *Sergius* invexerat, cogitemus, ita esse accipienda censeo; nimirum idem Altare, quò *Leonem* e *Secretario Sergius* intulerat, a Leone IV. magnificentius instauratum, et ornatum fuisse, in eoque demum Paschalem II. ipsius *Leonis* IV. exuvias cum aliis II, et III. collocasse. Quare nunquam, quod item recte Janningus [1] fecit, Severano [2] assentiam, qui ab eodem *Leone* M. Altare ibidem primitus exstructum fuisse censuit. Verum multo minus Baldinio acquiescam, qui haec ad praedictum Anastasii locum pronunciavit [3]. *Oraculum pro Oratorio saepe occurrit. Vid. in* I. *Part. in Martino num.* II. *et in Agathone num.* IV. *In illo collocavit Leo Corpus S. Leonis Confessoris, et Pontificis, in quo colitur etiam hodie cum aliis ejusdem nominis Pontificum corporibus*. Haec enim Paulli V. jussu primum inde amota, XIII. Kal. Aprilis anno MDCVII. sub ara Deiparae de Columna condita fuerunt, ut docent binae Inscriptiones marmoreae a Dionysio [4] illustratae, quae in cella S. M. Praegnantium in Cryptis Vaticanis adhuc servantur, et ex Grimaldo habemus, qui totius translationis historiam [5] pertexuit. Ac demum Leonis M. Corpus ab aliis dissociatum, in proximam Cellam, quam Innocentius X. phidiaco Alexandri Algardii toreumate mirifice exornatam, quod Attilam Ducem Vnnorum Vrbi inhiantem, Leonis occursu, et

1 n. 107. p. 104.
2 de vil. Vrbis Eccl. p. 90.
3 loc. cit.
4 in Crypt. Vatic. p. 40. seq.
5 p. 107. et 110.

adloquio deterritum repraesentat, ejus honori jampridem dicaverat, IIII. Idus Aprilis MDCCXV. honorificentissime translatum fuit, ut pluribus docent Franc. Blanchinius [1], Henschenius [2], Marangonius [3], Sindonius [4], et Dionysius [5].

Quarum quidem inventionum, et translationum historia satis aperte refellit opiniones Andreae Saussaii, et M. Antonii Guarini, quorum primus [6] Leonis Corpus in Aquitaniam translatum, ac in majori Petracoricorum Aede honorifice collocatum; alter vero [7] a Stephano III, anno DCCLXXV. Anselmo Aistulphi Langobardorum Regis Cognato dono datum, ac primum Vicoventiae collocatum, deinde vero an. MLXXXI. Ferrariam translatum, et in Aede S. Stephani depositum fuisse contendunt. Id enim de *Leonis* alterius reliquiis accipiendum esse demonstrant Oldoinius [8], et Turrigius [9], ut item sentiendum est de Philippo Ferrario [10], qui *Leonis P. I. Corpus Neapoli in Eccl. S. Laurentii* adservari pronuntiavit, aliisque Vrbibus, ac Populis a Marangonio memoratis, qui ejusdem Pontificis exuvias habere gloriantur.

Ceterum quis non miretur, Bosium, Quesnellium, et CC. Ballerinios, de prima hac translatione disserentes, pauca de Sergio tantum innuisse, ac ne minimam quidem de Leone IV, et Paschali II. fecisse mentionem, ut nonnullam huic quaestioni lucem afferrent, etsi de cunctis ejusdem Leonis translationibus fusius se acturos recepissent?

1 in T. III. Anastasii.
2 Historia elevati, et translati Corporis S. Leonis ex ms. Eccl. S. Petri, in T. II. April. p. 22.
3 in Append. ad Chron. Rom. Pont. p. 171.
4 p. 50. 56.
5 p. 46. loc. cit.
6 in Martyr. Gallic. III. Idus Apr.
7 in l. III. Compend. hist. Eccl. Ferrariae.
8 in addit. ad Ciacconium.
9 Grotte Vat. p. 543.
10 in Catal. SS. Ital.

Frustra vero meliora exspectes a Lud. Sergardo hist. supremae translationis SS. IV. Leonum scriptore, de qua copiose etiam egit Benedictus XIV [1]. Hic enim [2] *apud aram D. Mauritii Martyris juxta aditum, qui ad S. Martinum ducebat, a Sergio translatum* fuisse affirmavit *eodem loco, quo jam venerabantur reliquiae aliorum SS. Leonum* II, III, *et* IV. *a Paschali* II. *una simul collectae*. At, rogo, quid hujusmodi narratione absurdius fingi, aut excogitari queat? Nonne enim in allata Mallii descriptione, Oratorium *Leonis* IV, ab Altari S. Mauritii aperte distinguitur, *ante* quod locatum fuisse declarat? Atqui idem Alpharanus etiam affirmat, qui [3] *Sacellum cum Altari S. Mauritii Martyris e regione Altaris S. Leonis P.* in tabula ichnographica repraesentat. Nil tamen profuit Sindonio, Mallii, Vegii, et Alpharani loca, Sergardo fortasse ignota, perspecta habere, et in suum opus derivasse. Graviori enim culpa [4] Leonis Corpus, *ad aram D. Mauritii Martyris in nobiliori tumulo ibi de industria parato, a Sergio* collocatum fuisse et ipse affirmavit. Sed ad Sergardum revertamur, qui suum errorem ex eo etiam prodit, quod aliorum etiam *Leonum* Corpora a *Paschali* II. pone aram S. Mauritii recondita fuisse scripserit. Sed quasi haud satis esset, Altaria, et Sanctos promiscue accipere, ipsam etiam temporum seriem sursum deorsum vertere non dubitavit. Nam *Paschalem*, qui quattuor ferme seculis, post *Sergium* floruit, ipsi Sergio anteposuit, atque ab eo, trium Leonum posteriorum collectas exuvias eodem loco scripsit, priusquam ibi *Sergius Leonis* I. Corpus collocasset.

1 lib. IV. de Beat. et Canon. P. II. c. 23. a num. 7. ad 14.

2 Ragguaglio della solenne Traslazione del Corpo di S. Leone M. seguita gli 11. Aprile 1715. nella Bas. Vat. p. 3. Roma 4. et in nupera ejus Opp. edit. Senensi.

3 ms. p. 22.

4 cap. XII. p. 46.

Sed piget in castiganda historia, tam pingui minerva descripta, diutius oleum, atque operam perdere.

Jam vero, quum locum, quô *Leonis* Corpus e *Secretario* intra Basilicam a *Sergio* translatum fuit, assequuti simus, tempus etiam, quo id ab eo peractum fuerit, inquiramus. Id autem manifeste prodit chronica notatio, quae in nuper indicato Codice Mabilloniano occurrit ad calcem epitaphii, quo *Sergium Leonis* tumulum ornasse diximus. En illam [1]. *Sedit in Episcopatu annos* XXI. *mensem* I. *dies* XIII. *Depositus est* III. *Idus* . . . . . *et iterum translatus huc a beato Papa Sergio* IV. *Kal. Iul. Indict.* I. Verum quod heic *iterum* translatus *Leo* traditur, doctissimi fratres Ballerinii in prima, quam Quesnellianae dissertationi *de vita, et rebus gestis Leonis M.* subtexuerunt, adnotatione [2], aliam *Sergio* antiquiorem translationem, vel elevationem contigisse conjectarunt. Quumque e tribus diebus, qui in *Leonis* honorem praecipue sacri, in Libris ecclesiasticis occurrunt, dies XXIX. Septembris ejus ordinatione, ac X. Novembris ejus obitu celebris habitus sit, iccirco altera die XI. Aprilis, cui neque ordinationis, neque obitus memoria adsignari potest, vetustiorem aliquam translationem adscribendam esse suspicati sunt, unde in allata inscriptione sub *Sergio iterum*, nimirum *secundo*, *Leonem* translatum fuisse, traditum fuerit.

Nolim ego de XXVIII. Junii die, quae in Epitaphio indicatur, ob *Sergii* translationem *Leonis* memoriae consecrata, quidquam ex tam tenui, infirmaque conjectura statuere. Nobis satis sit, ea die *Leonis* M. Corpus a *Sergio* fuisse translatum. Quod liquet etiam ex vetustissimo Martyrologio, seu Lectionario Johannis Frontonis,

1 T. III. Vet. Analect. p. 430.

2 T. II. p. 587.

antiquissimo Kalendario ad usum Ecclesiae Rom., quod Leo Allatius inseruit dissertationi *de Dominicis, et hebdomadibus Graecorum*, ad calcem operis *de perpetua Ecclesiae Orientalis consensione* [1], Kalendario, seu Capitulari edito a Dom. Georgio [2] ad diem XXIII. mensis Junii, Martyrologio Bedae [3], Missali Lateranensi [4], ac demum Capitulari Evangeliorum, quod edidit Thomasius [5], qui ad hanc diem, translationem a Sergio factam memorari affirmavit.

Si quis vero non modo diem, sed etiam annum, quo *Leonis* translatio a *Sergio* peracta fuerit, scire cupiat, adire poterit Mabillonium [6], Pagium [7], Papebrochium [8]; Ballerinios [9], et Dionysium [10], qui contra Quesnellii opinionem, ex capitulari Evangeliorum Rom. Eccl. quod primus Joh. Fronto sub Kalendarii nomine ediderat, et ex eadem Epitaphii inscriptione, hanc translationem a Sergio, anno DCLXXXVIII. factam fuisse contendunt.

Sed praecipue, mea quidem sententia, consulendus est eruditissimus Johannes Perierius, qui [11] luculentissimum *de Sergii vita, ac rebus gestis commentarium* emisit. Hic enim, etsi incertum esse [12] fatetur, quo vere anno *Sergius S. Leonis* Corpus transtulerit, tamen id paullo infra [13], plus minus anno DCXCVI, vel DCXCVII. accidisse conjicit, ex eo quod in ejusdem *Secretarii* penetralibus, anno DCXCVI. sanctissimae *Crucis* particulam Sergius invenerit. Propterea verisimile videtur, quum circa idem tempus sacrum hunc locum diligentissime perscrutatus es-

1 p. 1490.
2 ex Cod. Vat. 7016. T. III. Lit. Rom. Pont.
3 die XXVIII. Iunii.
4 T. v. edit. Vezzos. p. 476.
5 ibid.
6 T. III. vet. Analect.
7 ad an. 461. n. 7, et ad ann. 688.
8 in Con. Cronhist. n. XI. p. 65.
9 T. II. edit. S. Leon. p. 587.
10 pag. 44. de Crypt. Vat.
11 T. III. Sept. p. 433.
12 num. 41. p. 433.
13 ibid. p. 442.

set, ab eodem Pontifice inventum S. *Leonis* Corpus, in nobiliorem, ac splendidiorem locum inde translatum.

§. IIII.

De SS. Crucis particula in abditis inferioribus Secretarii a Sergio reperta.

Age vero, alterius hujusce pretiosissimi cimelii, quod in eodem *Secretario Sergius* invenit, historiam ex Anastasio audiamus. *Hic*, inquit [1], *BB. vir* in Sacrario B. Petri Apostoli, *capsam argenteam in angulo obscurissimo jacentem invenit, et ex nigredine transactae annositatis, nec, si esset argentea, apparuit, sed, Deo ei revelante, argenteam esse reperit. Oratione itaque facta, sigillum expressum abstulit, loculum aperuit, in quo interius plumacium ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit. Eoque ablato, inferius Crucem diversis, ac pretiosis lapidibus adornatam inspexit: de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmae clausae erant mirae magnitudinis, ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicae Crucis interius repositam invenit, quae etiam ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano, die exaltationis sanctae Crucis, in Basilica Salvatoris, quae appellatur Constantiniana, osculatur, et adoratur.* Quae totidem fere verbis referunt Ven. Beda *in lib. de* VI. *aetatibus*, Abbo, Ado Viennensis *in Chronico*, Hermannus Contractus, Panvinius [2], aliique; ejusdemque inventionis meminit die XIV. Septembris vetus Martyrologium, a Rosweido evulgatum.

Nil autem officit Vat. Bas. celebritati, atque praestantiae, quod *Sergius* Crucem in ejus *Secretario* reper-

1 T. I. §. 2. pag. 310, et in T. III. rer. Ital. Murat. P. II. p. 45.

2 T. III. ms. de reb. memorab. Basil. Vat. c. XXXII. p. 41.

tam, ad Basilicam Salvatoris, seu verius, ad proximum S. Laurentii Oratorium transtulerit, de quo forsan dubitasse videtur Vignolius, qui Crucem a Sergio repertam [1], *ex Secretario, infimo tunc Templi loco, in Templum ipsum translatam, ibique positam* fuisse, perperam adnotavit. Nam, ut Nic. Alamanni verba usurpem [2], *in Bas. S. Laurentii, velut in domestico Sacrario, reliquias sacras Pontifices recondidere, ut in publicis supplicationibus essent ad manus, atque paratae*. Quum enim in Patriarchio tunc temporis degerent Romani Antistites, illuc etiam, ut recte notat V. Cl. Stephanus Borgia [3], insigniores reliquiae deferebantur ad commodiorem, ac frequentiorem confluentis populi venerationem.

Porro in Exaltatione S. Crucis, *Statio Laterani* habebatur, quô e continenti S. Laurentii Oratorio, SS. Crucis lignum sollemni pompa deferebant, ut videre est apud Benedictum Canonicum, qui ait [4]. *Cardinales portant Sanctuaria in processione, scilicet* de Ligno Crucis Domini, *et Sandalia Iesu Christi, et circumcisionem ejus ad Bas. Salvatoris, ubi est statio*. Benedicti testimonio, alterum accedit Cencii Camerarii, qui ubi tradit [5], *quid Dominus Papa facere debeat in exaltatione S. Crucis*, haec literis consignavit. *In Exaltatione S. Crucis mense Septembris, SS. D. Papa cum Cardinalibus intrat Basilicam S. Laurentii in mane; ubi trahens reliquias Apostolorum Petri, et Paulli, et* Lignum S. Crucis, *et osculans porrigit eas Cardinali deferendas ad Ecclesiam S. Silvestri*. Quae quidem aperte constant ex Altarium descriptione *Oratorii S. Laurentii in Palatio*, quam habemus apud Joh. Diaconum *in appendice Ordinis Romani*, quae-

1 T. I. §. p. 310. 2 de Lat. Parietin. c. v.
3 de Cruce Vatic. p. 64. Roma 1779. 4.
4 Tom. II. Mus. Ital. in Ord. XI. p. 172.
5 ibid. in Ord. XII. c. XLVI. p. 209.

que est hujusmodi [1]. *In sacro namque Palatio est quoddam S. Laurentii Oratorium, in quo tria sanctissima computantur Altaria. Primum in arca cypressina, quam Leo Papa* III. *condidit, tres capsae sunt. In una est Crux de auro purissimo adornata gemmis, et lapidibus pretiosis, idest hyacinthis, et smaragdis, et prasinis. In media Cruce est umbilicus Domini nostri Iesu Christi: et desuper est inuncta balsamo, et singulis annis eadem unctio renovatur, quando Dominus Papa cum Cardinalibus facit processionem in Exaltatione Sanctae Crucis ab ipsa Ecclesia Sancti Laurentii in Basilicam Salvatoris, quae appellatur Constantiniana. Et in alia capsa argentea, et deaurata cum historiis est Crux de smalto depicta, et infra capsam illam, est* Crux D. N. J. C.; *et in tertia capsa, quae est argentea, sunt sandalia, idest calciamenta* D. N. J. C. Lignum vero sanctae Crucis, quod ibidem tanta relligione, eadem die colebatur, Severanus [2], Pancirolus [3], Marangonius [4], et Mabillonius [5], illud idem esse existimarunt, quod in Basilicae Vaticanae *Secretario Sergius* invenit. Hoc idem diserte traditur a Megisto Monacho, Abbate Coenobii S. Gregorii ad Clivum Scauri, postea Ostiensi Episcopo, et Apostolicae Sedis Bibliothecario, cujus relationem de *Scala Pilati*, quae exstat apud Basilicam Salvatoris, anno DCCCXLIV. exaratam, transcripsit Nicolaus Processi anno MCCCLXII; ac deinde edidit Ioh. Maria Soresinus in appendice Opusculi de *Scala Sancta* [6], quam memorant Benedictus XIV. [7], et Gaspar Bambi [8]. Ibidem enim fertur, quod *Sergius* I. *per hanc scalam nudis pedibus adscendens cum Ligno Crucis Domini, quem invenerat*

1 ibid. §. XIV. p. 572.
2 Mem. delle sette Chiese P. I. p. 575.
3 Tesori nascosti p. 148.
4 Storia di S. Sanct. c. XXXIX. p. 250.
5 ibid. p. 209.
6 pag. XI.
7 T. IV. de Beat. et Can. Sanctorum P. I. c. XXVI. n. XIV. p. 220.
8 Mem. della Scala Santa. Roma 1775. 12.

in Sacrario Divi Petri , *eam collocavit in dicta Basilica S. Laurentii* . Porro Ordericus Vitalis [1], et Chronicon Turonense *Crucis* adorationem , quae festo die *Exaltationis*, non secus ac feria vI. Parasceves , antiquitus praestabatur , a *Sergio* institutam putarunt . Ceterum Martenius [2] ex Anastasii verbis dumtaxat colligi posse arbitratur , *Crucis* adorationem in ejus *Exaltatione* jam antea institutam , et usitatam , *Cruci* a *Sergio* in *Sacrario Bas. Vat.* repertae exhibitam fuisse .

Haec autem , ni fallor , manifesto indicio sunt , Oratorium S. *Crucis* , quod in parte occidentali , a latere Baptisterii Lateranensis Hilarus Papa exstruxerat , atque ubi, Anastasio teste [3] , *posuit lignum dominicum , in cruce aurea cum gemmis pondo librarum quinquaginta* , vel ab ipsa *Sergii* aetate , e veteri splendore , cultuque dilapsum fuisse . Illuc enim docet Vir , non minus purpura , quam pietate , et doctrina eminentissimus Nicolaus Antonellus [4] , primitus Monachos , qui Lateranensi Basilicae in rebus divinis inserviebant , ad vesperas Feria II. post Pascha , postquam sacrum fontem adiverant , ibique sacras preces recitaverant , convenire consuevisse ad adorandam dominicam Crucem . Itaque si Crucis particulam , in Bas. Vat. *Sacrario* inventam , *Sergius* ad S. Laurentii transtulit , ibique, et in Basil. Later. Benedictus , et Cencius Sec. XII , nulla injecta Oratorii ab *Hilaro* constructi mentione , ritus omnes in *Exaltatione S. Crucis* consuetos , peractos esse scribant , jam tum idem Oratorium vetustate obsoletum fuisse , censendum est . Quis enim putet , si *Hilari* Oratorium SS. *Cruci* dicatum , Populi cultu frequentatum fuis-

1 in lib. I , et II. Historiae.
2 T. III. de ant. Eccl. rit. p. 593.
3 T. I. §. II. p. 155.
4 in Missali Lateran. p 117.

OOOO

set, illuc sese Pontifices conferre noluisse, in *Exaltatione S. Crucis*; eo magis, quod Oratorii structura caeremoniis quibuscumque peragendis esset aptissima, quum Crucis formam referret adeo eleganti artificio, ut non desint auctores gravissimi a Rasponio [1] indicati, qui Vat. Bas. delineationem, a Michaele Angelo Bonarota ex veteri ejusdem Oratorii ichnographia desumptam arbitrentur? Plura vero de eodem, si lubet, vide apud Johannem Diaconum [2], Panvinium [3], et Joh. Stiltingum [4], necnon in historia MSS. Basilicae Lateranensis, quam, suppresso Panvinii nomine, paucisque tantum additis, et immutatis, Caesarem Rasponium exscripsisse, auctor est Nicolaus Antonellus [5], qui unam cum altera conferre potuit.

Sed, ut ad *Crucem* a *Sergio* repertam revertamur, eruditissimo Praesuli, Stephano Borgiae adsentire non possum, qui *Crucem a Iustino Iuniore, et Sophia ejus conjuge* Vat. Bas. dono datam, et ab se nuper egregie illustratam [6], adlato Anastasii loco designari contendit. Quis enim sibi persuadeat, unius ferme seculi spatio, quale ab *Iustino* ad *Sergium* intercessit, capsam argenteam, in qua *Crux* inclusa fuerat, adeo nigrescere potuisse, ut vix, aut ne vix quidem amplius, an esset argentea, dignosci liceret? Rursus, quis credat, pretiosissimum tanti Imperatoris donum, usque ab initio, ita negligi potuisse, ut in *Sacrarii angulo obscurissimo* reconderetur, ejusque memoria, ac cultus jam tum penitus obsolesceret?

Neque vero, ut secus sentiam, movet me Maph. Vegii auctoritas, qui allatum Anastasii locum transcripsit, ac paullo fusius in suum opus derivavit *de rebus antiquis*

1 c. 12. p. 252.
2 in append. Ord. Rom. p. 571.
3 de vii. Eccl. p. 164.
4 die 1. Sept. T. III. p. 573. in Comm. praevio.
5 in Miss. Later. p. 117.
6 de Cruce Vaticana p. 64.

memorabilibus Basilicae S. Petri Romae . Illud quoque , inquit [1], *memoratu dignum videtur , quod Sergius Papa , sicut divina ejus visione revelatum fuerat , invenit in* Sacrario Basilicae S. Petri , *ac in loco quidem longe recondito , et obscuro , forulum argenteum , prae nimia vetustate deformatum , ita ut nec ex argenti materia factum videretur , quodam etiam sigillo designatum , cum veste sacra holoserica desuper , atque intra clausam Crucem Domini nostri , auro , lapidibusque eximie ornatum , cum parte veri ligni S. Crucis ibidem reposita , sicuti additae ibi literae significabant , quod postmodum in die festo exaltationis S. Crucis publice adorandum populo quotannis ex antiquo more ostendebatur . Vnde plane gloriosior videtur nunc Vaticanus , pretioso hujus Crucis , tam salutaris , nunquamque periturae arboris ligno , quam illius , de qua dictum est , antiquissimae ilicis , quae nihilum proderat , tandemque interiit .* Hinc enim , etsi nunquam Vegius Justinum nominaverit, tamen quum in ejus descriptione adjecta sint ea verba , *sicuti additae ibi literae significabant* , quae epigraphem in *Iustini Cruce* caelatam indicare videntur, Vegium de *Iustini Cruce* Anastasii locum accepisse, non invitus concessero. Sed tamen ita rem sese habere, ut Vegius opinatus est, aegre mihi persuadeam. Quum enim Vegius de Oratorio S. Laurentii, quô *Crux* a *Sergio* translata fuit, ne verbum quidem faciat, contra vero Anastasius literas a Vegio indicatas minime nominaverit, Justini Crucem, quam Vegius ob oculos habuit, longe diversam fuisse putarim ab altera, quam tradidit Anastasius a Sergio inventam, et ad Lateranum translatam.

Quid vero dicam de larvato gallici libelli, *le Tombeau de Iesus Christ* inscripti auctore, qui tantum detulit huic

1 l. 1. c. iv. n. 36.

Crucis particulae in *Sacrario Vaticano* a *Sergio* repertae, ut illam ipsam esse contenderit, quam Helena Augusta e Calvario evectam in Sessoriana Basilica collocaverat, quamque temporis decursu in *Sacrarii* angulo, ubi tutissimo esset, abditam fuisse propugnavit? Verum ejus argumentis egregie satisfecit Cl. Besozzius [1], qui Crucis Dominicae trunculi ibidem adservati nonullas identidem partes a Pontificibus desumptas fuisse concedit, ut eas viris Principibus dono mitterent, vel sibi reservarent, quarum una fortasse esse potuit illa a *Sergio* reperta; nunquam tamen eamdem Basilicam majori, insigniorique tanti thesauri parte spoliatam fuisse demonstrat. Nam vel postquam *Sergius* inventam *Crucis* particulam ad S. Laurentii Oratorium deportavit, nulla unquam intercisa temporum derivatione, viguit fidelium cultus erga vivificae Crucis partem in Sessoriana Basilica permanentem, ex qua Leo x. [2], ut Gregorii [3] exemplum renovaret, qui ejusdem Sancti Ligni frustum Recaredo Regi dono dedit, partem argenteae thecae cruciformi inclusam Francisco Galliarum Regi ab se donandam, desumi jussit; quemadmodum Vrbanum viii. aliam ob caussam praestitisse, mox demonstrabimus.

Qualis tamen fuerit *Crux a Sergio* inventa, difficile est indagare. Nam alterum venerandae Crucis pignus, quod Symmachus in Oratorio ad Fontem Bas. Vat. [4] collocavit, ibidem usque ad ejusdem Oratorii demolitionem exstitisse auctor est Vegius, ubi ait [5]. *Quum Symmachus P. exstruxisset in ipsa Basilica* Oratorium S. Crucis *eximie, mireque ornatum, sed noviter quidem dirutum, ad augendam etiam majorem ejus devotionem recondidit in absida ipsius de-*

1 c. xvI. p. 140.
2 ibid. p. 142.
3 lib. viI. ep. cxxviI, et lib. xiI. ep. viI.
4 lib. iv. p. 363. Anastas. in vita Mallius p. 48. n. 114.
5 in T. vI. Junii Boll. p. 66. n. 35.

cem libras veri ligni S. Crucis [1]*: quod quum apud idoneum quemdam auctorem forte legissem, notum id feci iis, ad quos Basilicae cura pertinebat, ut, quum dirueretur, Custodes ad id adhiberentur, ne incuria deperiret; quibus recte curantibus, ita, ut legeram, compertum est, exstatque nunc ipsum sacratissimum lignum, servaturque a Canonicis summa veneratione.* Verum, si conjecturis dandus est locus, in re tam vetusta, atque obscura, dicam timide, ac diffidenter; dicam tamen, *Crucem* ab Anastasio memoratam, fortassis fuisse illam, quam Iuvenalis Hierosolymarius Antistes, *Leoni* M. dono miserat. Quum enim *Sergius in abditis inferioribus ejusdem Sacrarii*, *Leonis* Corpus delitescens invenerit, probabilius quidem videtur, *Crucem* ibi repertam, usque a *Leonis* tempore, ibi aeque in proximo collocatam, ac propterea, *transacta annositate*, ita *nigrescere* potuisse, ut argentea nec ne esset, nemo statuere facile posset. Nihilominus, quum epistolae Leonianae particula, qua Juvenalis donum hoc recensetur, CC. Fratribus Balleriniis in praestantissima *Leonis* operum editione, haud satis exploratae fidei visa fuerit, atque ad marginem rejecta, iccirco nihil habeo certi, quod statuam, remque eruditioribus stabiliendam relinquo.

Vtrum vero Crux, quae in Apostolico *Sacrario* Cellae Xystinae, etiamnum adservatur, eadem sit, ut sentit Angelus Rocca in *Commentario* de hac *Crucis* particula [2], quae *Leoni* M. a Juvenale dono data, et a *Sergio* reperta fuit, nequeo statuere. Porro illud unum pro certo habeo, eam non esse, quam Justinus, et Sophia

1 V. Comment. Ianningi de Bas. S. Petri in Vat. ibid. p. 104. n. 109.

2 De particula ex pretioso, et vivifico Ligno Sacratiss. Crucis Salvat. J. C. desumpta sacris imaginibus, et elogiis eodem ligno incisis insignita, et in Apostolico Sacrario asservata Comment. Rom. 1609. 8, et in T. I. Opp. p. 253.

uxsor donarunt, ut pluribus idem doctissimus Borgia egregie demonstravit.

Ceterum, etsi Roccha de *Crucis* a Sergio inventae translatione ad Lateranum, redituque ad Vaticanum, Panvinii afferat testimonium, in extrema sui parte castigandum, tamen in ejus sententiam ire vix dubito, quam sequutus est etiam Perierius in *Commentario Chronico-Historico de Sergio I. Pontifice, et Confessore* die IX. Septembris [1]. Haec autem sunt Panvinii verba, qui ubi agit de *Oratorio S. Laurentii* [2], quod *priscis temporibus*, ut ait Rasponius, *Cappella Romanorum Pontificum vocabatur*, ita scribit [3]. *In hoc vero Oratorio reliquiae quamplures pretiosissimae, et certissimae fuerunt, quarum multae adhuc ibidem exstant, multae suo loco ablatae. Inter ceteras aliquando fuit ibi pars ligni sanctissimae Crucis, cujus ita meminit Bedas in libro de temporum ratione. Papa Sergius* in Sacrario B. Petri Apostoli *capsam argenteam, quae in angulo obscurissimo diutissime jacuerat, et in ea Crucem diversis, ac pretiosis lapidibus adornatam, Domino revelante, reperit: de qua tractis quatuor petalis, quibus gemmae inclusae erant, mirae magnitudinis, portionem ligni salutiferi Dominicae Crucis interius repositam inspexit; quae ex tempore illo annis omnibus in Basilica Sal-*

1 T. III. Sept. §. VII. p. 439.

2 V. Benedetto Millino. Discorso dell' Oratorio di S. Lorenzo nel Laterano, oggi detto Sancta Sanctorum. Roma 1666. 8. Ioh. M. Soresinum de Imag. SS. Salvat. in Bas. ad Sancta Sanctorum custodita. Romae 1676. 8. de qua vide Diar. Rom. liter. hominum 1676. pag. 22. Nic. Maniacutii de Sacra imagine SS. Salvatoris in Palatio Lateranensi Tractatum ex mss. Tabularii Sacros. Bas. Liberianae. Romae 1709. 8. Franc. Grisendum lettera circa l' imagine del Salvatore, che si onora nella Cappella, detta in Roma comunemente, *Sancta Sanctorum*. fra le lettere memorabili del Giustiniani P. II. pag. 175. Joh. Marangonium Istoria dell' antichissimo Oratorio, o Cappella di S. Lorenzo nel Patriarchio Lateranense etc. Roma 1747. 4. Gasp. Bambi Memorie Sacre della Cappella di Sancta Sanctorum, e della Scala del Palazzo di Pilato, detta volgarmente la Scala Santa. Roma 1775. 12.

3 de VII. Eccl. p. 188.

vatoris, quae appellatur Constantiniana, die exaltationis ejus ab omni osculatur, atque adoratur populo. Et in Sergii Papae vita, etiam ejusdem mentionem facit Anastasius Bibliothecarius. Hanc ligni sacratissimi portionem, excidio Vrbis sub Clemente VII. *a militibus aliquot, theca argentea direpta, ablatam, Pontifex prodigiose, et non sine ope divina recuperavit, et aurea, chrystallinaque cruce inclusam, in Palatio Vaticano, ubi est Sacristia Pontificia, servari jussit.*

Atqui Crucem a *Sergio* repertam, et ad Lateranum translatam, nunquam ex Vrbe ablatam, ac Vatic. sedi, veluti postliminio, restitutam puto, postquam ibi Pontifices domicilium statuerant. Iccirco deserendus est Rasponius [1], qui Panvinio adhaesit; ac praeterea insignem Crucis reliquiam, quam Vrbanus VIII. Bas. Principis Apostolorum dono dedit, hujus ipsius partem fuisse existimavit. Nam ejus sententiae aperte refragatür, praeter Inscriptionem sub Vaticano conditorio insculptam, ipsius Vrbani diploma [2], quo *S. Crucis ligni parvam Crucem, quae in S. Anastasia servabatur, ac de ea., quae in S. Crucis in Hierusalem Ecclesiis de Vrbe asservatur, particulam, cruce argentea lapidibus pretiosis ornata*, Basilicae Vatic. largitus fuit, et post sacram Cuspidem, et ante sacratissimam imaginem Salvatoris, statis anni diebus, populo ostendendam injunxit; quamvis nullam hac de re mentionem faciant Cappellus [3], et Crescimbenius [4].

Itaque extrema Panvinii verba dumtaxat de Cruce a Justino dono data sunt accipienda, quae carbunculis, smaragdis, topatiis, margaritis praefulgens, ut refert Grimaldus apud Turrigium [5], ablata fuit in Vrbis direptione.

1 l. IV. p. 364.

2 T. III. Bull. Vat. p. 240. ad ann. 1629.

3 Stato antico, e moderno della Chiesa di S. Anastasia. Roma 1722. 8.

4 Storia della Basilica di S. Anastasia. Roma 1722. 8.

5 pag. 254.

Quumque eam Maph. Vegius sua aetate, inter Bas. Vat. cimelia recenseat, ac nulla exstet memoria, fuisse ad Lateranum translatam, proinde nunquam loco suo motam, in Bas. Vat. usque ad Borbonianam depopulationem exstitisse puto, quô deinde rediit, ut idem Grimaldus testatur, *una cum calice argenteo, gutture S. Blasii M. in argenteo tabernaculo cum duobus Angelis ornato, et diversis argenti frustis, centum ducatis redempta* [1].

1 Bolland. in Comm. praevio num. xxI. Alfonso Nicolai Memorie Storiche di S. Biagio Vesc. e M. Roma 1752. p. 74. et in Cat. reliq. Bas. Grimaldo auctore, ubi legitur. La Gola di S. Biagio V. e M. Questa reliquia venne alla nova Basilica, dopo che Eugenio PP. IV. unì la Chiesa di S. Biagio in Canto secuto, alias della Pagnotta, alla d. nostra Basilica. Vi è l'arma del Card. Errico Minutulo Arcivescovo di Napoli, che è un Leone scaccato in campo rosso, e questa Iscrizione in caratteri gotici. (V. num. I.) L'anno 1527. nel Sacco di Borbone fu rubbata questa reliquia, unitamente al Calice grande donato da Madonna Vrsina, figlia di Giacomo Vrsini, (V. num. II.) e alla Croce donata da Giustino Imperatore. Li Canonici trovandosi spogliati di queste S. Reliquie, e deplorandone la perdita, unirono la somma di cento ducati d'oro, e le riscossero dalle mani de' Soldati, come apparisce nel Censuale della Sagrestia dell'istesso anno al fogl. 2. con queste parole. *In primis de commissione R. D. Card. de Valle, solvi ducatos centum auri Militibus Germanis, qui restituerunt supradicta fragmenta argenti, simul cum Tabernaculo argenteo, cum Gutture S. Blasii, et Calice magno argenteo, et Cruce Iustini*; de qua in eodem Catal. haec habentur. Croce donata da Giustino Imperatore a questa Sacros. Basilica, dentro la quale è del Legno della SS. Croce di N. S. Gesù Cristo. L'anno 1527. nel Sacco di Roma fu rubbata, e ricomprata dalle mani de' Soldati per ducati cento, come si è detto nella reliquia della Gola di S. Biagio. In detta Croce d' argento è scritto

n. II.

QVES
TO·CIALI
CIE·FECIE FARE
MADONA ORSINA
FIGLIA DEL MAGNIFICH
O SIGNIORE IAC
HOPO OR
SINO

+ LIGNO QUO CHRISTUS HUMANUM
SUBDIDIT HOSTEM DAT ROMAE
IUSTINUS OPEM ET SOCIA DECOREM

n. I.

HOC·OPUS·FECIT·FIERI·
CARDINALIS·NAPOLETANI·

Sed de his satis. Nam de hoc ipso *Secretario* alibi opportune redibit sermo, ac tum ceteras ejus vices accurate, et copiose evolvemus. Nunc e *Secretario antiquissimo*, ubi hactenus immorati sumus, ad ejus Vestibulum egrediamur.

CAPVT IIII.

De Vestibulo Secretarii antiquissimi, et Porticu Bas. Vat.

Vestibulum Secretarii antiquissimi, erat celeberrima quadrigeminae Templi Vaticani Porticus pars anterior, et Basilicae propinquior. Hic locus in Ichnographia distinguitur, literis ee, et II.

Ibidem Fontana opinatus est, Romanos Pontifices sacris indumentis, quibus in sacrificio utebantur, amiciri consuevisse, quem Bonannius [1], Costaguti auctoritate innixus, jure erroris insimulat. Indecorum enim fuisse animadvertit, ut in loco omnibus obvio, et aperto, Pontifex sacris vestibus indueretur, quum id multo decentius, ac commodius etiam, fieri in *Secretario* posset. Quamvis enim supra legimus [2], Antistites quandoque in *Vestibulo* sacris vestibus indutos fuisse, tamen hujusmodi vocem pro *Vestiario* indicando usurpatam fuisse novimus.

Heic igitur erat *Secretarii Vestibulum*, saepissime memoratum, quod Janningus [3] minus proprie *Oratorii Gregoriani Vestibulum* generatim appellat. Nam, praeterquam quod, multo ante *Gregorii* aevum exstabat, nec, quousque aetatem tulit, *Gregorianum* nuncupatum usquam fuit, ne tum quidem, postquam ibidem SS. Doctor humatus est, id nominis habuit. Siquidem *Oratorium Gregorianum*

1 pag. 29. 2 p. 360. 3 T. vI. Jun. p. 151.

PPPP

supra ejusdem *Secretarii* ruinas, multo post aedificatum fuisse, infra demonstrabimus.

Haec autem una erat e quattuor partibus, quae splendidissimam veteris Basilicae Vat. *Quadriporticum* a Constantino aedificatam, a Simplicio, et a Symmacho exornatam, a Stephano II [1] renovatam, quamque Panvinius [2], et Ciampinius [3] graphice describunt, constituebant. Earum media, *Paradisi* nomine vulgo veniebat, quemadmodum cetera Ecclesiarum Atria eodem titulo majores nostri plerumque, *Romana consuetudine*, ut cum Leone Ostiensi [4] loquar, indigitabant. Ait enim Anastasius in vita Doni [5]. *Atrium B. Petri Apostoli superius, quod* Paradisus *dicitur, estque ante Ecclesiam in Quadriporticu, candididis, et magnificis marmoribus mirifice stravit*. Cui concinit Paullus Diaconus, qui haec habet [6]. *Domnio Pontifex Rom. Eccl. locum, qui* Paradisus *dicitur, ante Basilicam B. Petri candidis lapidibus marmoreis mirifice stravit*. Quibus adjungi possent Paullini Nolani testimonium, qui Atrium Bas. Vat. describens [7], eodem titulo designavit, aliaeque veterum sententiae a Rosweido in eumdem Paullini locum summa eruditione congestae [8].

§. I.

De Pontificum sepultura in Vestibulo Secret., et in Porticu Bas.

Quum heic Romanorum Pontificum Corpora tumulari consuetum esset, *Secretarii* hujusce *antiquissimi Vestibulum* quandoque etiam *Porticus*, seu *Navis Pontificum* appellabatur. Quod manifeste patet ex P. Mallio, ubi ait [9].

1 Anastasius in ejus vita apud Lambecium lib. II. p. 927.
2 T. III. mss. c. vI. fol. 15.
3 De Sacr. Aedif. p. 35. et 84.
4 l. III. c. xxvI. 5 T. I. p. 273. 6 l. v. c. 31.
7 ep. XIII. novae edit. antiq. XXXVII.
8 p. 812. vet. edit. Antuer. 1612.
9 T. II. Iunii n. 24. p. 40.

In hac parte Bas. B. Petri, scilicet in Vaticano, et deinde per Porticum Pontificum, *quae vadit ad S. Gregorium Papam egregium Doctorem, et usque ad Portam Argenteam, sunt sepulturae SS. Pontificum*. Nonnullorum nomina discere licet ex eodem Mallio, qui in *Porticu Basilicae*, tamquam in proprio domicilio, sepulcrum habuisse narrat, Bonifacium I [1], II I [2], IV [3], Severinum [4], Johannem IV [5], Theodorum [6], Zachariam [6], Stephanum II. [7]; ac demum [8] *ante Secretarium B. Petri* sepultum fuisse tradit [9] Pelagium I, cui [10] proximum fuisse docet Gregorii V. sepulcrum.

Sepulcrales utriusque Inscriptiones idem Mallius diligenter servavit. Eas igitur heic reddere non gravabor. Pelagii epitaphium est istud.

TERRENVM CORPVS CLAVDANT HAEC FORTE SEPVLCRA
NIL SANCTI MERITIS DEROGATVRA VIRI
VIVIT IN ARCE POLI CAELESTI LVCE BEATVS.
VIVIT ET HIC CVNCTIS PER PIA FACTA LOCIS
SVRGERE IVDICIO CERTVS DEXTRAMQVE TENENTEM
ANGELICA [11] PARTEM SE RAPIENTE MANV.
VIRTVTVM NVMERET TITVLOS ECCLESIA DEI
QVOS VENTVRA VT [12] SAECVLA FERRE QVEANT.
RECTOR [13] APOSTOLICAE FIDEI VENERANDA RETEXIT
DOGMATA QVAE CLARI CONSTITVERE PATRES.
ELOQVIO CVRANS ERRORVM SCHISMATE LAPSOS
VT VERAM TENEANT CORDA PLACATA FIDEM.
SACRAVIT MVLTOS DIVINA LEGE MINISTROS
NIL PRETIO FACIENS IMMACVLATA MANVS.
CAPTIVOS REDIMENS MISERIS SVCCVRRERE PROMPTVS
PAVPERIBVS NVMQVAM PARTA NEGARE SIBI.

1 T. VI. Iunii n. 45. p. 41.
2 n. 61. p. 44. 3 n. 51. p. 42.
4 n. 66. p. 44. 5 n. 67. p. 44.
6 n. 68. p. 44. 7 n. 87. p. 45.
8 n. 87. p. 45. 9 n. 88. p. 87.
10 n. 48. p. 42. 11 Id. Cod. *Angelicam.*
12 Ita Cod. mss. impressus legit *velut* Forsitan pro *ut* debet *utinam* legi.
13 pro *Rector* invenitur in Cod. impr. *Doctor*.

TRISTIA PARTICIPANS LAETI MODERATOR OPIMVS
ALTERIVS GEMITVS CREDIDIT ESSE SVOS.
HIC REQVIESCIT PELAGIVS PAPA. QVI SEDIT ANNOS IV.
MENSES X. DIES XVIII. DEPOSITVS IV. NONAS MARTII.

Haec autem profert [1] de Gregorio Papa V. *Hic requiescit in Ecclesia B. Petri* ante Secretarium, *juxta Pelagium Papam, cujus epitaphium est hoc.*

HIC QVEM CLAVDIT HVMVS OCVLIS VVLTVQVE DECORVS
PAPA FVIT QVINTVS NOMINE GREGORIVS.
ANTE TAMEN BRVNO FRANCORVM REGIA PROLES
FILIVS OTHONIS DE GENITRICE IVDITH.
LINGVA THEVTONICVS WANGIA DOCTVS IN VRBE
SED IVVENIS CATHEDRAM SEDIT APOSTOLICAM
AD BINOS ANNOS ET MENSES CIRCITER OCTO
TER SENOS FEBRVO COMMEMORANTE DIES.
PAVPERIBVS DIVES PER SINGVLA SABBATA VESTES
DIVISIT NVMERO CAVTVS APOSTOLICO.
VSVS FRANCISCA VVLGARI ET VOCE LATINA
INSTITVIT POPVLOS ELOQVIO TRIPLICI.
TERTIVS OTTO SIBI PETRI COMMISIT OVILE
COGNATIS MANIBVS VNCTVS IN IMPERIVM.
EXVIT ET POSTQVAM TERRENAE VINCVLA CARNIS
AEQVIVOCI DEXTRO SVBSTITVIT LATERI.

Hujusmodi Inscriptionem, post Turrigium [2], vulgavit etiam Dionysius [3], qui eam erudite illustravit, et Gregorii translationes ex Aringhio [4], et Grimaldo [5] indicavit.

Alios etiam Pontifices ibidem sepultos fuisse scimus ex Maph. Vegio, quem Panvinius [6] sequutus est. Ait enim [7], *juxta quod* (Oratorium nempe Gregorii I.) *sepultus est Pelagius Papa, et Bonifacius* III. *et Gregorius etiam quintus cum epitaphio simul, quod adhuc apparet marmori*

1 num. 109. p. 47.
2 p. 349.
3 tab. XLVI. p. 115.
4 T. I. p. 292.
5 p. 122.
6 T. sI. mss. p. 114.
7 ib. n. 41. p. 84.

insculptum, *versibusque*, *licet* (non) *multum dignis compositum*. *Post ipsum Oratorium est* Secretarium B. Petri, *quod ita appellatum fuit*, ante quod *reconditus est Iohannes* III; *intra vero Benedictus*. *Sed* extra in Vestibulo, *Bonifacius*, *Theodorus*, *Zacharias*, *Iohannes* II. *Gregorius* II. *Stephanus* II, *et alius Stephanus* V, *ac* VI. *etiam*, *nec non Benedictus* IV.

Verum longe plures recensuit Alpharanus, quos item Ciampinius [1] exscripsit. Nomenclatoris enim vices implevit, ubi ait [2]. *Inter Portam Iudicii* [3], *et Porticus angulum multa Pontificum sepulcra exstabant*, *inter quae in primis juxta Portam praefatam Iudicii erat Iohannis octavi sepulcrum pulcherrimum* [4]. *Deinde Iohannis* XIII. *sequebatur Mausoleum* [5], *postea Iohannis* II, *et* III. *etiam marmorea sepulcra* [6] *praedictorum sepulcrorum non longe dissimilia*. *Ab angulo* [7] *autem hujus porticus juxta parietes ad meridiem*, *et in* Vestibulo extra Secretarium *usque ad portam Iudicii sub pavimento sepulti fuere Bonifacius* I, *et* II, *et Simplicius* I. *Gelasius* I, *et Symmachus*, *et per totam hanc porticum sub pavimento etiam diversis in locis sepulti fuere Anastasius* II. *et* III, *Hormisda*, *Felix* IIII, *Agapitus* I, *Pelagius*, *Sabinianus* I, *Christophorus* I, *Theodorus* I, *Zacharias* I, *Gregorius* II, *et Stephanus* II, *et* III, *SS. Pontifices*.

Verum erit fortasse, qui me coarguet, quod *Leonem M. in Secretario antiquissimo*, potius quam in ejus *Vestibulo*, contra Joh. Diaconi sententiam, cui jam supra [8] subscripsisse vidimus Genebrardum [9], Panvinium [10], Bosium [11],

1 de Sacr. Aedif. p. 68. et 82.
2 p. 51. ms.
3 in tab. ichn. Alph. n. 137.
4 n. 138.
5 n. 139.
6 num. 140.
7 num. 141.
8 Par. II.
9 T. II. ms. c. XXII. p. 113.
10 T. I. Rom. subt. p. 248.
11 T. I. p. 307.

Ciacconium [1], Oldoinium [2], Quesnellium [3], Papebrochium [4], Ceillierium [5], atque Sindonium [6], humatum fuisse affirmaverim. Ego vero *Leonis* tumulum superiori capite describendum esse, una cum Ciampinio [7] existimavi, quod Anastasius eum *in abditis inferioribus Secretarii*, minime vero in *Vestibulo Secretarii*, a *Sergio* repertum fuisse scripsit, contra quam fecit de *Gregorio M.*, quem, uti mox videbimus, *ante Basilicae Secretarium*, humatum fuisse tradidit. Itaque ejus auctoritatem multo gravissimam sequutus sum; ejusque verba *pro ipso Secretario* commode interpretari posse duxi. Ceterum, quum *Vestibulum*, *Secretarii* quaedam veluti pars esset, unum pro altero allati Scriptores accipere facile poterant; eo magis quod indiscriminatim, ut recte Panvinius [8] pronuntiavit, *ab antiquis usque temporibus* Porticus, Secretarium, et Basilica S. Petri Apostoli in Vaticano, *locus praescriptus summorum Pontificum sepulturae fuerit, quod conveniens esse videbatur, Successores, et Vicarios, eo loci jacere debere, uti et praedecessor Magister, et hujus sanctae Ecclesiae Fundator Apostolorum Princeps Petrus dormiebat*.

Quapropter, quum non solum *in Porticu Basilicae*, et in *Vestibulo Secretarii*, sed etiam *in ipso Secretario* Pontifices sepultos fuisse constet, hinc sane liquet, usum intra Templorum ambitum Cadavera humandi, Gregorii M. aetatem excedere, qua solum Kepperus [9] primum invaluisse criminatur [10].

1 ibid. p. 311.
2 T. II. Opp. S. Leon. edit. Baller. p. 599.
3 in Propyl. Maii p. 63.
4 T. XIV. p. 333. 5 p. 46.
6 de Sacr. Aedif. p. 54.
7 de Cryptis Vatic. p. 34.
8 de VII. Eccl. p. 145.
9 in Polit. Eccl. lib. I. c. XV.
10 V. Hieronymum in Epitaphio Paullae. Baron. ad ann. CCXXVI. n. VII, et ad ann. CCCLXXXIII. de Marcellina Ambrosii Sorore. Matth. Jacutium de Bonusa, et Menna int. specim. Christ. Ant. Rom. 1758. p. 17. Lud. Thomassinum in Vet. et Nov.

§. II.

De Regum, atque Imperatorum sepultura in Porticu Bas. Vat.

Verum in *Porticu Vaticanae Basilicae*, praeter summos Ecclesiae Hierarchas, ipsos etiam Christianae Reipublicae Principes, quandoque humatos, et pari sepulcri honore donatos esse, compertum est. Nam primis Christianorum temporibus, vel ipsi Principes summo honori ducebant, in sacrarum Aedium porticibus sepulturae locum obtinere [1], ut Joh. Chrysostomus testatur, inquiens [2]. *Non prope Apostolos, sed* foris ad ipsa limina *optaverunt ii, qui diademate redimiuntur, corpora sua sepeliri, atque ita Imperatores, Piscatorum* Ostiarii *facti sunt*. Cujus quidem erga SS. Apostolos reverentiae, idem Chrysostomus insigne profert exemplum. Narrat enim, Constantium non in Apostolorum Templo, quod Constantinus Pater Constantinopoli magnificentissime aedificaverat, sed tantum in ejus *Atrio*, Patrem sepeliri voluisse. Siquidem, ut aureis ejusdem verbis utar [3], *ingenti honore se affecturum existimavit, si eum* in Piscatoris Vestibulo *conderet: quod enim Imperatoribus sunt in aulis janitores, hoc in sepulcro Piscato-*

Eccl. discipl. lib. III. cap. LVI. num. VI. Spondanum de Coemet. Eliam Amatum del costume di seppellire i morti appo gli antichi, e se prima del secolo V. i Fedeli goduto avessero dentro le Chiese i sepolcri? fra le sue lettere. Gen. 1714. 4. pag. 329. Joh. de Vita in T. I. Ant. Benev. Diss. XI. c. II. Muratorium in T. I. Anecd. Bibl. Ambros. p. 186. Catalanum in Comm. Pont. Rom. T. II. de Bened. Coemet. Jos. Allegranza de Sep. Christ. in Aed. Sacr. Mediol. 1773. 4. adversus Gundlingium de origine Sepulcrorum in Templis. int. Obsel. Lips. et Francof. 1787. T. I. pag. 137. Doughtejum in Analect. Sacr. T. I. p. 137. Crenium in Animadv. Philol. T. II. p. 155. Lindebrogium ad leges antiquas p. 1440. aliosque.

1 Binghamus l. XXIII. c. I. §. VI. Sepultura Regibus, et Imperatoribus in Atrio, sive Porticu, et exterioribus Aedificiis Eccl. concessa. T. X. p. 16. Gottlieb Slevogtius de Sepulturis Imperatorum. Jenae 1722.

2 T. I. Opp. edit. Paris. 1718. p. 580. in Hom. LXVI. ad Pop. Antioch.

3 in Hom. XXVI. ad epist. II. ad Corinth.

ris, sunt Imperatores; atque illi quidem, velut Domini, interioris loci partes obtinent, hi autem velut accolae, ac vicini, praeclare secum agi putarunt, si Vestibuli januae *ipsis assignentur*. Ita quoque, teste Nicephoro [1], *Theodosius in paterno monumento romani lapidis repositus est, in dextra sublimi SS. Apostolorum Templi Porticu, in qua Porticu, eodemdemque lapide, Pater quoque Arcadius, et Mater Eudoxia, nec non Avus Theodosius siti sunt*.

Et sane ad laevam ingredientium veteris Basil. Quadriporticum, Panvinius [2], et Alpharanus [3], sepulcra fuisse narrant Placidiae, et Valentiniani Augg., quibus Paullus Diaconus [4] Sicelgaitam Roberti Guiscardi uxsorem, Severanus [5], atque Aringhius [6], Cedualdum, et Offam Angliae Reges adjungunt.

Sed praecipue Othonis II. Imperatoris, qui in Vrbe decessit anno CMLXXIIII., sepulcrum memorandum est. Nam, uti Ditmarus [7], et Ostiensis [8] cum Othone Frisingensi [9] tradiderunt, in eadem Porticu tumulatus fuit in sepulcro, viridis coloris marmoribus exornato, et in superiori parte, ut tradit Severanus [10], amplissimo porphyretico lapide contecto, qui nunc in conchae formam redactus, ad sacri fontis usum in Bas. Vat. adhibetur. Si quis vero cetera de solio hoc porphyretico scire cupiat, adeat Turrigium [11], et Severanum [12], qui primum ad Imperatoris Adriani molem, porphyreticum hunc lapidem, quem Franc. Schottus, quotquot per Italiam habentur, superare contendit, spectasse scribunt, ac praeser-

1 lib. XIV. c. LVIII.
2 T. II. mss. p. 40.
3 num. 120. p. 47. ms.
4 lib. IV. Chron. c. VIII.
5 p. 59.
6 l. II. c. IX. p. 269.
7 lib. II. cap. V.
8 in Chron. l. III. in fin.
9 in Chron. l. VI. c. 25.
10 p. 59. 11 p. 365. 12 p. 59.

tim Bonannium [1], Karol. Fontanam [2], et Dionysium [3], qui plura de ejusdem translationibus, vicibusque commemorant.

CAPVT V.

De Gregorii Magni sepultura ante Vestibulum Secretarii.

Jam vero, postquam *Secretarii antiquissimi Vestibulum* exstitisse demonstravimus in Porticu, ubi plures Pontifices quiescebant, quid ejus celebritatem praecipue auxerit, ac propagaverit, videamus. Hoc autem *Gregorio M.* potissimum tribuendum esse, nemo diffitebitur, cujus exuvias in ipso ejusdem *Secretarii Vestibulo* collocatas fuisse, diserte testatum reliquit Anastasius. Ait enim [4]. *Hic instituit domum suam Monasterium, et mortuus est, et sepultus in Basilica B. Petri Apostoli*, ante Secretarium, *die* xıI. *M. Martii*. Quodque ab Anastasio proditum est de loco, quo *Gregorii M.* Corpus humatum fuit, id etiam a Johanne Diacono confirmatur, cujus auctoritas, quod ad ea spectat, quae *Gregorium* adtingunt, aeque magni facienda certe est; quippe qui historiam suam, Joh. vııI. jussu, literis mandavit. Haec enim profert in vita ejusdem Doctoris [5]. *Postquam Gregorius Sedem Catholicam, et Apostolicam S. R. E. annis* xııI. *M.* vI. *D.* x. *doctrinis pariter, ac operibus felicissimis illustraverat, anno Imp. Phocae* ıI. *Indict.* vıI. ıv. *Iduum Martiarum, a carnis corruptione S. Pontifex substractus est, incorruptionis perpetuae gloria sublimandus...... Hujus praeterea venerabile Corpus in extrema por-*

1 p. 123.

2 Descrizione della nobilissima Cappella del Fonte Baptismale nella Bas. Vat. con la gran tazza antica di porfido coperta di metalli dorati, delireata, ed intagliata in rame con gran diligenza. Roma 1697 fol.

3 p. 22. 52. 114.

4 T. I. §. v. p. 284.

5 T. ıv. Opp. S. Greg. edit. Maur. n. 68. p. 168.

ticu Basilicae B. Petri Apostoli ante Secretarium, *quo videlicet Leo, Simplicius, Gelasius, atque Symmachus, Apostolicae Sedis Episcopi, cum nonnullis aliis tumulati, suis hactenus epitaphiis praedicantur, sepultum tali titulo decoratur.*

§. I.

De Epitaphio Gregorii tumulo insculpto, deque ejus aetate, atque auctore, nunc primum detecto.

Epitaphium *Gregorii* tumulo insculptum, apud Bedam [1], Mallium [2], Baronium [3], Panvinium [4], Aringhium [5], Grimaldum [6], Janningum [7], Papebrochium [8], et in MSS. Parisiensibus a Montfauconio inspectis, et evulgatis occrit; sed mira ubique verborum varietate, multisque locis foedatum. Praeterea frustra apud omnes inquiras, quisnam ejus auctor, quaque aetate, tam vetustum, ac disertum epitaphium exaratum fuerit? Quod tamen non solum a Maurinis omissum fuit, qui luculentissimam Gregorii operum editionem adornarunt, sed etiam a J. Bapt. Galliciolio, qui novam eorum editionem Venetiis recens emisit, perpetuis notis illustratam, ac Tomis xvII. digestam.

Quis autem ex tot, tantorumque Scriptorum silentio, jure non arguisset, epitaphium a Iohanne Diacono relatum, eodem tempore *Gregorii* tumulo insculptum fuisse, quo ipse e vivis decesserat? Verum longe secus esse, licuit mihi primum deprehendere ex autographo Turrigii opusculo italice conscripto, cui titulus. *Trattato delle grandezze della sacrosanta Basilica Vaticana di S. Pietro di Roma, raccolto da gravi, et approvati autori*

1 l. II. Hist. c. I. 2 c. IV. p. 42. 5 p 251. 6 fol. 28.
3 T. VIII. p. 177. 4 T. II. ms. p. 115. 7 T. II. Martii p. 202. 8 ibid.

per il R. D. Francesco Maria Torrigio Romano, quod adhuc ineditum adservatur in Bibliotheca Albana, cui praeest, Stephanus Ant. Morcellius, vir non minus singulari humanitate, quam doctrina, et eruditione praestantissimus. Ibi enim memoriae tradit, *Gregorii* M. epitaphium, latinis modis illigatum, a Petri Oldradii, Archiepiscopi Mediolanensis manu profectum, Adriano I. ad Ecclesiae clavum sedente; cujus rei testem producit Johannem de Deis *in Catalogo Archiep. Mediolanen.*

Sed tamen, quum satis ego utriusque auctoritati nondum acquiescerem, remque nunquam antea declaratam, paullo firmius constabiliendam exoptarem, accidit sane percommode, ut in manus veniret ineditus Alpharani liber *de Sacrosanctae Basilicae B. Petri Principis Apostolorum in Vaticano Vrbis sitae antiquissima, et nova structura*, qui exstat in eadem instructissima Bibliotheca, ejusdem auctoris manu exaratus in codice chartaceo formae quadrantariae, paginas habens LXVI, medius inter P. Mallii, et M. Vegii libros a Bollandianis evulgatos, una cum quibus compactus, et consutus est. Quumque eum mihi avide pervolutandum suscepissem, non longe abiit, quum in hunc locum incurri [1]. *Fuit etiam in hoc loco*, (nimirum, ubi *Gregorius M.* sepultus fuerat) *epitaphium elegantissimum marmori insculptum ad laudem ejusdem Gregorii a Petro Oldradio Cive, et Archiep. Mediolanensi .... Hujus siquidem almi Pontificis egregia facta, atque scripta adeo magna coram Deo, et hominibus fuerunt, ut propterea Magni cognomen invenerit. Magnus etiam et ipse Oldradius dici potest, quod magna de magno scripsit, et egit, et magnis Principibus carus fuit. Etenim praeter praefatum epita-*

[1] pag. 50.

phium, *et ejusdem Gregorii scripta in ejus mortem a Popa Rom. dispersa*, *Adriani* I, *cujus Secretarius erat*, *jussu collegit*, *collectaque emendavit*, *et in libros redegit*. *Si quis de hoc Archiepiscopo Oldradio plura scire desiderat*, *videat Gallesinum in tabulis Archiepiscoporum Eccles. Mediolanensis*.

Incredibile dictu est, quantam ex hujusmodi lectione, animo perceperim voluptatem. Inde enim mihi, non solum de hactenus ignoto Gregoriani Epitaphii auctore dubitandi locum amplius non esse vidi, sed etiam, qui primus fuerit praestantissimorum tanti Pontificis operum collector, atque emendator, cunctis editoribus incompertus, nil tale cogitans agnovi. Sed eumdem Alpharanum hac de re vehementer sibi placuisse conjicio; nam praeterquamquod in margine illevit, *notandum hoc esse pro Bibliotheca*, in altera ejusdem mss. pagina, quae omnium prima est, notatum itidem tantummodo fuisse comperi, *Petrum Oldradium Episcopum Mediolanensem*, *et Civem*, *a secretis fuisse Adriani* I. *Papae pro Bibliothecariis*, de quibus fortasse disserere cogitabat.

Post haec, ne quid amplius mihi hac in re desiderandum superesset, Petrus de Tois, rerum omnium ad Bas. Vat. spectantium peritissimus, idem Epitaphium ex Codice Palatino Bibl. Vat. [1] accurate descriptum, mihi humanissime communicavit. Ibi etiam non solum Petrus Oldradius, qui *Gregorii* sepulcro Epitaphium posuit, Civis, et Archiepiscopus Mediolanen., sed etiam Adriani I. ab epistulis fuisse dicitur (quod a Papebrochio omissum in Exegesi de Episcopis Mediolanensibus [2], a Cl. Saxio [3] ex Vghellio proditum fuit). Ac propterea Oldradii nomen *claris Pontificiarum Epistolarum scriptoribus* addendum

1 sig. n. 833. p. 73. terg. 2 T. vII. Maii p. LXIX. 3 in Archiep. Med. serie T. I. p. 264.

esse novi, quorum gesta elegantissimo stilo, ac secundis curis [1] illustravit Philippus Bonamicius.

Itaque idem Epitaphium multo accuratius, quam ceteri, ad fidem Palatini Codicis, unde mutilum prodierat apud Gruterum [2], heic rursus exhibemus.

SVSCIPE TERRA TVO CORPVS DE CORPORE SVMPTVM
 REDDERE QVOD VALEAS VIVIFICANTE DEO.
SPIRITVS ASTRA PETIT LETHI NIL IVRA NOCEBVNT
 CVI VITAE ALTERIVS MORS MAGIS IPSA VIA EST.
PONTIFICIS SVMMI HOC CLAVDVNTVR MEMBRA SEPVLCRO
 QVI INNVMERIS SEMPER VIVIT VBIQVE BONIS.
ESVRIEM DAPIBVS SVPERAVIT FRIGORA VESTE
 ATQVE ANIMAS MONITIS TEXIT AB HOSTE SACRIS.
IMPLEBATQVE ACTV QVIDQVID SERMONE DOCEBAT
 ESSET VT EXEMPLVM MYSTICA VERBA LOQVENS.
AD CHRISTVM ANGLOS CONVERTIT PIETATE MAGISTRA
 ADQVIRENS FIDEI AGMINA GENTE NOVA.
HIC LABOR HOC STVDIVM HAEC TIBI CVRA HOC PASTOR AGEBAS
 VT DOMINO OFFERRES PLVRIMA LVCRA GREGIS.
HISQVE DEI CONSVL FACTVS LAETARE TRIVMPHIS
 NAM MERCEDEM OPERVM IAM SINE FINE TENES.
HIC REQVIESCIT GREGORIVS I. PP. QVI SEDIT ANNOS XIII.
MENSES SEX DIES X. DEPOSITVS IIII. IDVS MARTII.

Postrema hujusmodi verba, quae singillatim *Gregorii* Pontificatum, obitumque designant, relata sunt etiam a P. Mallio [3], Grimaldo [4], Panvinio [5], Aringhio [6], Oldoinio [7], et Bollandianis [8]; praetermissa vero a Maurinis, tum in notis ad vitam a Joh. Diacono conscriptam, tum in altera ab iisdem elucubrata.

Sed ut, unde digressi sumus, revertamur, quis, rogo, non videt, quanti pretii sint allata Joh. Diaconi ver-

1 Romae an. 1770. 8. 2 p. 1165. 5 T. II. ms. fol. 115. 6 p. 251.
3 T. VI. Iun. p. 43. 7 T. I. Ciaccon. col. 416.
4 p. 28. ms. 8 T. II. Martii p. 202.

ba, dum is nobis, optimus scilicet, et locupletissimus testis, narrat, *Secretarium* Basilicae S. Petri *in extrema Porticu* situm esse, idemque *jam tunc*, quum *Gregorius* fuit *ante* ipsum sepultus, anno DCIV, seu potius DCV, *antiquissimum* fuisse, ac in ejus *Vestibulo*, nimirum *ante Secretarium*, de veteri more S. Doctoris ossa quievisse?

Haec autem mirifice confirmantur a Petro Mallio, qui disserens de ejusdem sepulcro, inquit [1]. *Hic almificus Praesul fuit sepultus* ante Secretarium, *inter Columnas Porticalium*. Sed, ut locum ipsismet oculis intueamur, Grimaldum etiam audiamus, qui nobis eum accurate descripsit, etsi Baronii testimonium, quod infra referam, de sepulturae *Gregorii* M. situ longe dissonum producat. *In supradicta igitur*, inquit [2], *Basilica, in extrema porticu, sive navi, quae lateralis est, et meridiem respicit, in ea parte, quae sinistrorsum Templum ingredientibus se statim offert, ut praefati auctores optime testantur, hic BB. Pontifex, et Doctor egregius humatus est*. Et paullo infra. *In Basilica B. Petri Altare, sub quo sacrum, et venerabile Corpus ejus primitus positum fuerat* .... ante dictum Secretarium, *inter tertiam, et quartam Columnam extremae navis laeva ingrediendo Basilicam, ut conjici potest, situm erat*.

§. II.

De Altari vetustissimo, quod in ipso Secretarii Vestibulo, Gregorio sacrum fuit.

Postremus Grimaldi locus satis manifesto indicio est, et in ipso *Secretarii Vestibulo*, ubi primitus *Gregorii* Corpus humatum fuerat, a vetustissimis usque temporibus, *Altare* in ejus honorem fuisse excitatum. Quod etsi ne-

1 T. VI. Iun. c. IV. p. 42. 2 in lib. Instrum. fol. 29.

que Joh. Diaconus, neque Maurini, Bollandistae, ac nuperus *Gregorii* operum editor Galliciolius, in ejus vita adnotaverint, id tamen nonnulla, eaque gravissima monumenta perspicue testantur. Occurrit enim primo *Altare S. Gregorii* apud Anastasium in vita Leonis III, qui anno DCCXCV. ad Petri Cathedram evectus est, ubi ait [1]. *Et* supra Corpus B. Gregorii *Confessoris, atque Pontificis fecit vestem albam holosericam cum tabulis de Crysoclavo, et Cruce*. Atque infra [2]. *Necnon investivit* Altare *B. Gregorii Confessoris, atque Pontificis ex argento deaurato, undique pensans libras* CXXIII. Ac tertio demum [3]. *Item investivit* Altare *B Gregorii Confessoris, atque Pontificis ex argento mundissimo deaurato, pensantem undique libras* CXXVII.

Quae quidem aperte demonstrant, priusquam *Gregorius* IV. *e Vestibulo Secretarii antiquissimi, ante novellum Secretarium, Gregorii M.* exuvias transferret, super eas, saltem circa Leonis III. aetatem, Altare excitatum.

§. III.

De primo Altari in Vrbe erecto in honorem Gregorii ad Paulli Apostoli Via Ostiensi.

Ex his, quae supra vidimus, recte Grimaldus, *ante Secretarium, Altare* in honorem *Gregorii* erectum exstitisse pronunciavit. Nec minus vere tradidit alio loco, *quod paucis labentibus annis a felicissimo Servi Dei Gregorii transitu, miraculorum gloria in vita, et in obitu insignis, universus fidelium coetus illum summa veneratione colere, et in praecipuis Vrbis Basilicis in ejus honorem* Altaria *erigere coepit.*

Cujus quidem rei testem habemus tabulam marmoream *Gregorii* III, quae in *Basil. B. Paulli extra Pomoerium*

1 T. II. p. 280. 2 ib. §. LXVIII. p. 283. 3 T. II. §. LXXXIV. p. 298.

hodieque servatur, inter Altare S. Dionysii, primamque columnam ad laevam, ex qua aperte constat, vel multo ante Leonem III, alterum *Gregorio M.* sacrum Altare, in *Basilica B. Paulli* exstitisse. Lubet autem tam insigne monumentum, etsi a Card. Baronio [1], et inter *Inscriptiones antiquae Basilicae S. Paulli ad viam Ostiensem* a Margarinio collectas [2] in lucem editum, ac deinde recusum a Card. Thomasio [3], Fr. Blanchinio [4], Muratorio [5], Franc. Berlendo [6], Maurinis [7], et Sarnellio [8], rursus heic ad marmoris fidem in medium proferre.

✠ INN. DNI DI . SALVATORIS . N.
IHY . XPI . BREVE . FACTA . A . ME .
GREGORIO . TERTIO . PAPAE
DE . OBLATIONES . QVE . OFFER
RE . DEBENTVR . PER . SINGVLOS
DIES . IN . ECCLESIA . BEATI .
PAVLI . APOSTOLI . STATVI .
ENIM . OFFERRI . IDEST . IN .
PRIMA . MISSA . AD . COR
PVS . OBLATAM . VNAM . IN . SEC
VNDA . MISSA . AD . SCM . TIMOTHEVM .
OBLATAM . VNAM . IN . TERTIA . MI
SSA . AD . IMAGINEM . SALVATORIS .
QVI . ET . APOSTOLORVM . OBLATA
VNAM . IN . QVARTA . MISSA . AD .

1 Tom. x.
2 anno MDCLIV. in fol. p. IV. n. XXX.
3 in T. VII. edit. Vezzosianae p. 20.
4 In T. I. Anastas. p. 38.
5 in T. IV. novi Thes. vet. Inscriptionum p. MDCCCLXXXI.
6 de Oblationibus ad Altare communibus, et peculiaribus. Ven. 1753. p. 253.
7 Nouveau Traité de Diplomatique T. V. pag. 157.
8 In che differiscono le Oblazioni dall' oblate? in T. VII. Liter. Eccl. p. 37.

SCM . GREGORIVM . AD . IANVAS .
OBLATAM . VNAM . DE . INDE . IN .
MISSA . QVINTA . AD . ALTARE
MAIORE . OBLATAS . DVAS . QVOD .
SIMVL . FIVNT . COTIDIANIS . DI
EBVS . OBLATAS . SEX . QVAE .
AD . ECCLESIA . OFFERANTVR . IN .
BASILICA . TVA . DOMINE . MEVS .
BEATE . PAVLE . APOSTOLE . QVE
BREVIS . TITVLVM . AVCTORITA
TE . APOSTOLICA . OMNI . TEMPO
RE . CONFIRMAMVS . SVB
ANATHEMATIS . INTERDI
CTV . VT . NVLLI LICEAT . SVC
CESSORVM . NOSTRORVM
MINVERI . PRAEDICTAS . OBLA
TIONES . SED . SI . VOLVERIT . AD .
LAVDEM . ET . AD . HONOREM . EIVS
DEM . BEATI . PAVLI . APOSTOLI .
AVGERI . AVGEAT . NOS . VERO .
IDEO . DEDIMVS . HOC . MAIORE . AL
TARE . MONACHI . VT . HEC . OMA . FIANT
OMNI . TEMPORE .

Hujusmodi Inscriptionem egregiis adnotationibus illustravit Ven. Thomasius. Docuit enim ex ea liquere, in Basilica S. Paulli, sex *Missas*, singulasque in singulis Altaribus, diverso tempore, quotidie celebrari consuevisse, quae, ex veteri more ab Edmundo Martenio [1] descri-

[1] l. 1. de ant. Eccl. rit. p. 283, et p. 292.

pto, privatim a Monachis legebantur, ante *Missam* majorem ab uno ex VII. Presbyteris Cardinalibus Titulorum Vrbis, ejusdem Basilicae Hebdomadariis, iisdem adstantibus, in ara principe celebratam. *Alibi* enim, inquit Augustinus [1], variam Ecclesiarum disciplinam de Sacrorum celebratione paucis amplectens, *nullus dies omittitur, quo non offeratur; alibi Sabbatho tantum, et Dominico, alibi tantum Dominico*; de quibus vide, si lubet, Card. Bonam [2], Grancolasium [3], et Leslaeum [4]. De eodem Sacrorum numero paria Muratorius animadvertit. Nonnulla Mabillonius [5] etiam ad hujusce Inscriptionis partem illustrandam de oblationibus quotidianis, ac de Sacrorum numero in diversis Altaribus, (quem pro virili tuetur Nic. Sanderus [6]), pererudite adnotavit. Nil vero mirum, si nihil ibidem de *Gregorii* Altari speciatim observavit. Quod tamen apposite ad rem, a Thomasio praestandum fuerat, qui totam Inscriptionem illustrare aggressus erat. Verum de hoc Altari ne verbum quidem effatur, quod quum certe, primum sit in honorem Sancti Pontificis in Vrbe positum, peculiari memoria dignum videbatur.

Ceterum aliorum etiam Scriptorum eruditionem, ac diligentiam, non minus allata Anastasii verba de Leone III, quam hoc praeclarissimum Gregorii III. testimonium fugisse vidi; ne quid modo dicam de duobus Oratoriis, quae pone Bas. Lateranens. *Gregorio* sacra olim fuisse, alibi opportunius declarabitur. Verum, etsi de Altari in *Gregorii* honorem erecto ante Gregorium IV,

1 in epist. ad Ianuar.
2 L. I. Rer. Lit. c. XVIII. 3 T. I. p. 360.
4 in T. II. Miss. Mozar. p. 505.
5 in Mus. Ital. T. I. p. XLVI. in Comm.
6 Tres Orationes de transubstantiatione, de linguis Officiorum Ecclesiasticorum, et de pluribus Missis in eodem Templo celebrandis. Antuerpiae 1566. 8.

nihil profecto in medium afferat, tamen *ejus cultum jam statim a morte frequentatum* agnovit doctissimus Papebrochius [1], qui praeterea [2] diem *Natalis*, seu *Depositionis* veterum Pontificum, in Martyrologio Hieronymiano adnotatam, sedulo distinguendam esse adnotavit a die *elevationis*, seu *cultus*, seu *translationis* in secundo Catalogo, et apud Anastasium sub *sepulturae* nomine designatam. Aeque vero fatendum est, cc. Bullarii Vaticani editoribus, aliud Gregorio IV. antiquius Altare innotuisse [3], quod *Leo* III, *teste ejus biographo, argento purissimo deaurato investivit*; etsi, ubinam illud esset, minime declaraverint.

CAPVT VI.

De translatione S. Gregorii e Vestibulo Secretarii antiquissimi ante novellum Secretarium.

Quum satis jam de primi *Gregorii M.* sepulcri positu disputatum sit, restat nunc inquirendum, quamdiu ejusdem exuviae ibidem quieverint, quas post annos plurimos in alium locum translatas fuisse, memoriae traditum est, ut relligiosius colerentur, eamque etiam fortasse ob caussam, quod *Secretarium*, ejusque *Vestibulum*, ubi humatus pridem fuerat, temporis diuturnitate consumptum jam, ac corruptum esset. Quocirca, quum statuemus, quamdiu in primo sepulturae suae loco quieverit, eodem tempore statuemus, quousque plus minus aetatem tulerit *Secretarium antiquissimum*. Quumque idem Johannes Diaconus nos doceat, *ante novellum Secretarium*, SS. Viri Corpus fuisse translatum, rursus una ope-

1 In Propylaeo ad Acta Maii p. 88. 2 Ibid. diss. IV. p. 24. 3 T. I. p. 47.

ra detegemus, ubinam fuerit *novum* hoc *Sacrarium*, quoque loco surrexerit *Oratorium Gregorianum*, ubi SS. Doctoris exuviae locatae fuerunt. Ita ex unius rei inquisitione, rerum plurimarum, quae hactenus tenebris vetustatis circumfusae latuerunt, cognitio efflorescet. Porro enim supersedendum reor ab afferendis Panvinii [1], Ciampinii [2], Ciacconii [3], aliorumque Scriptorum auctoritatibus, qui *Gregorium ante Secretarium* humatum fuisse testantur, quum omnes a Ioh. Diacono rem didicerint, suisque scriptis consignaverint.

Age igitur; rem adgrediamur. *Ea aestimatione ad posteros*, ut Baronii verba usurpem [4], *de sanctitate, et doctrina* Gregorii, *fama propagata est, ut maxima quaeque* Gregorium *diligentibus, visa sint ipso minora* Gregorio; quem S. Ildephonsus *sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum* vicisse, praeclarissimo ellogio praedicavit. Itaque tanta fuit relligio, qua omnis aetas, omnesque fere gentes illum prosequutae sunt, ut cuivis alteri ampliores honores unquam sancitos, difficile sit invenire.

§. I.

De translatione SS. Sebastiani, et Gregorii, quam Suessionenses ad Monasterium S. Medardi factam fuisse contendunt.

Nemo est, qui nesciat, Francos, Lusitanos, Hispanos, ne dicam Italos, Graecosque, qui *Gregorii* in Menologio suo ad diem xI. Martii meminerunt cum amplissimo ellogio a Bollandianis relato, S. Pontificem maxi-

1 T. II. mss. p. 113, et 115.
2 de Sacr. Aedif. p. 70.
3 in Vita Gregorii M. T. I. col. 599.
4 T. VIII. p. 177. V. Gregorii Polidori Gregorianum, sive de XIV. Greg. Summis Pontificibus, de XIII. Gregoriis Episcopis, de uno Gregorio Presbytero, eorumve vitis, moribus, et rebus gestis. Florentiae 1598.

mo in honore, a primis usque temporibus habuisse. Anglos enim praeteream, qui usque ab anno DCCXLVII. in Concilio Cloveshoviae [1] sacrum ei cultum Can. XVII. decreverunt, quum notum abunde sit, quod legitur in Martyrologio, ubi colitur ejus memoria hujusmodi verbis. *Romae S.* Gregorii *Papae, et Ecclesiae Doctoris eximii, qui ob res praeclare gestas, atque Anglos ad Christi fidem conversos, Magnus est dictus, et Anglorum Apostolus appellatus*. Ac propterea, ut tradit Anastasius in vita Nicolai [2], non, quod inconsulto excidit Macro [3], et Bullarii Vaticani editoribus [4], Benedicti III, *quidam de Anglorum gente Romam advenerunt, qui in Oratorio B. Gregorii Papae, et Confessoris Christi in Principis Apostolorum Aede Frascatae* (ita enim tum locus ille appellabatur) *constructa, unam tabulam argenteam posuerunt habentem lib.* . . . .

Quid igitur mirum, si de ejus Corpore, tamquam de ingenti thesauro acquirendo, multae Nationes cogitaverint; tum nonnullae repertae sint, reperianturque etiamnum, quae de ejus adeptione, et possessione glorientur? Id quod, prae ceteris Suessionenses faciunt, quorum operae pretium heic arbitror rationum momenta, quibus inducti hujuscemodi opinionem valde nobis incommodam imbiberunt, in medium proferre.

Itaque anno DCCCXXVI, una cum Corpore S. *Sebastiani* Martyris ad Monasterium Suessionense, ubi S. Medardi Episcopi Noviomensis Corpus a Clotario Rege collocatum adservatur, translatas S. Doctoris exuvias fuisse ajunt; cujus translationis adstipulatorem afferunt aequa-

1 Tom. I. pag. 95. Wilchins §. VII. de festivitate colenda S. Gregorii, et S. Augustini.

2 T. III. §. IV. p. 203.

3 in Hierolexico in dict. *Frascatae*.

4 T. II. p. 278.

lem ejusdem Coenobii Monachum, qui totam historiam persequitur, a Bollandianis editam ad diem xx. Januarii. Ibi fuse explicatur legatio Rodoini Monasterio Praepositi, mandato Ludovici Pii Imperatoris, anno DCCCXXVI. instituta, ut e suo Monasterio Romam profectus, Corpus S. Sebastiani impetraret. *Hic Rodoinus*, uti habetur num. XXXI, *quem vis amoris, et desiderium impatiens pro adipiscendis Sanctorum pignoribus affectu piae devotionis animarat, obaeratis affatim Aedituis, quorum tunc erat officii S. Petri servare Basilicam, sub nocte eadem S S.* Gregorii *Papae tumulum, quod* ante Secretarium erat, *audacter aggressus, Corpus ejus cum summa reverentia sublatum, ac decenter compositum, super Altare B. Petri perlatum, juxta jam dicti Martyris* (Sebastiani) *venerabile Corpus depositum est. Dehinc fidei pactum Rodoinus cum suis rogatus gratanter tulit, superque eosdem Martyris Sebastiani, atque Pontificis* Gregorii *sacratissimos artus jurisjurandi sacramentum libenter exsolvit, ut nulli unquam mortalium, quod gestum erat, proderent, aut publicarent, sed perenni silentio sepultum haberent. Hinc nostrates pia fraude laudabiles, duplicato gaudio, tacito sub pectore magnanimes, sanctis inde sublatis Corporibus, nullo praepediti obstaculo ad Monasterium Ingoaldi transtulerunt*. Ac deinceps iter ex Vrbe Roma ad Monasterium Suessionense S. Medardi, plura in itinere divinitus patrata miracula, ac sacrorum Corporum depositio in eodem Monasterio, facta die IX. Decembris, eodem anno DCCCXXVI. commemorantur.

Haec omnia confirmat Martyrologium Gallicanum Saussaii, ubi die XII. Martii celebrari perhibetur Suessione, *festivitas S. Gregorii Papae, cognomento Magni, Doctoris Ecclesiae egregii, cujus sacrum Corpus ibidem in Mo-*

nasterio S. Medardi magno honore repositum est. Idem praeterea tradiderunt Nithardus Ludovici Pii Nepos [1], Chronica S. Medardi a Dacherio edita [2], Odilonis Monachi epistola ad Ingrannum [3], Claudius Dormajus in Historia Suessionensi [4], Annales Monasterii S. Medardi Suessionensis, Codex ms. Reginae Christinae [5], Duchesnius [6], le Cointe in *Historia Ecclesiae Francorum*, et aliorum etiam Scriptorum testimonium, ut animadvertere licet in Sec. IV. Benedictinorum apud Mabillonium, ac praecipue apud Janningum, et Papebrochium, qui [7] in *praevio Commentario* longe eruditissimo ad vitam S. Doctoris, fundamentum opinionis exponunt, quae de hujusmodi ad Monasterium S. Medardi translatione, apud Suessionenses invaluit.

Ibidem etiam plura leges de *Gregorii* Capite, quod ex dono Johannis Papae, favente Karolo Francorum Rege, et Imperatore, ac postulante Ansegiso, Senonensium Archiepiscopo, circa annum DCCCLXXVI. [8], Monasterio S. Petri vivi Senonensis cessisse fertur, deque aliis praeterea ejusdem reliquiis in Germania, et in Lusitania adservatis.

Haec pro se Suessionenses: quorum opinioni haud parum favere videntur, quae doctissimi Maurini, Martenius, et Durandus in *itinere literario* tradiderunt [9], nimirum Calvini asseclas, capsas argenteas surripuisse, in qui-

1 lib. III. Hist. apud Andr. Chesnaeum T. II. Script. Hist. Franzor. p 372.

2 T. II. Spicil. p. 785.

3 apud Mabill. ad acta SS. Ord. S. Ben. p. 1. sec. IV. p. 411.

4 lib. IV. c. IX.

5 num. 1466.

6 Hist. Francorum Script. Lutetiae 1641.

7 P.I. p.383. sec.IX. in T.II. Mart.p. 126.

8 V. Vitam S Gebehardi Ep. Constantiensis apud Surium d. XXVII. Aug. Collect. ant. Lect. Canisii T. XVI. cap. XIII. Baron. ad ann. CMLXXXIX. Marangonium in append. ad Chron. Rom. Pontific. p. 176.

9 Voyage Litteraire de deux Relig. Benedict. a Paris 1724. T. II. p. 17.

bus xxx. Sanctorum Corpora custodiebantur, tresque aureas, ubi reliquiae SS. Medardi, S. *Sebastiani*, et S. *Gregorii* M. servabantur. Praeterea, quum Claudius Dormajus [1], inter munera a Ludovico Imperatore S. Medardi Monasterio oblata, recenseat *librum aureis litteris exaratum, et laminis etiam aureis obductum*, quem dehin aureo operculo sublato, Abbas Ingrannus laminis argenteis, iisque inauratis obduci curavit, unum hoc vetustissimum Evangeliarium e reliquis monumentis S. Medardi, tamquam e naufragio tabulam, superesse testantur, ubi hujusmodi legitur inscriptio, quam ex iis, et a Bollandianis [2] accurate descriptam, heic profero. *Haec tabula facta est a Domno Ingranno Abbate hujus loci, anno Incarnati Verbi* MCLXIX, *Papatus Alexandri* III. *decimo, Regni Ludovici Iunioris* XXXIII. *Librum autem istum obtulit Ludovicus Pius Imperator Beato Sebastiano in exceptione ejusdem Martyris inclyti, et Papae* Gregorii *Vrbis Romae*.

Quae tamen, (quod Suessionensium pace dictum sit), tanti apud me non sunt, ut nostratium opinioni, imo veritati ipsi, si ita loqui fas est, adversari putem. Nam primo, si *super sacratissimos artus* Sebastiani, *et* Gregorii *juris jurandi sacramentum exsolverant, ut nulli unquam mortalium, quod gestum erat, proderent, aut publicarent, sed perenni silentio sepultum haberent*, quisnam sibi persuadeat, eosdem Monachos, dum adhuc in itinere essent, totius rei historiam patefecisse? Nil enim refert, quod innumera omne genus prodigia, quae peregre sequuta sunt, S. *Sebastiano* tantum tribuerent, quum jurisjurandi sacramento obstricti essent, ne quidquam de utroque thesauro ablato, unquam proderent. II. S. *Sebastiani* Corpus, quod una

1 l. IV. Hist. Suess. c. I.

2 T. II. Martii p. 126.

cum *Gregorio* furatum fuisse scribunt, a Gregorio IV, qui nonnullam ejus partem in *Oratorium Gregorianum* adsportavit, in Callixti Coemeterio, quô jam multo ante translatum fuisse demonstrabimus, repertum est. Verum Anonymi historia *ex Monasterio*, ubi Monachi degebant *apud S. Petrum*, subreptum fuisse declarat. III. Si *Sebastiani*, et *Gregorii* Corpora sub Eugenii II. Pontificatu, anno DCCCXXVI. secum abstulissent, quonam pacto Gregorius IV, qui Eugenio successit, eorum exuvias in *Oratorium Gregorianum* deferre potuisset? IV. Quis vero totius fabellae absurditatem non deprehendat, ex duorum Corporum depositione, quae super Altare B. Petri facta fuisse perhibetur? Atqui nonne potius, nulla interjecta mora, aliò ea transferre debuissent, ne quis Rodoinum, sociosque furto comprehenderet? Ac demum, si Ludovicus Pius ea erga *Sebastianum*, et *Gregorium* pietate flagrasset, ut eorum reliquias, ac, si mavis, etiam Corpora habere voluisset, quum primis Novembris diebus anni DCCCXXVI. Stephanus IV. Romam rediit, muneribus, et beneficiis ab se collatis cumulatus, ab eo potius *Sebastiani*, et *Gregorii* exuvias impetrasset, quin Rodoinum ad eas clam auferendas, Romam ablegaret.

Absit tamen, ut nihil Suessionensium piae opinationi mihi concedendum putem; quin imo iis libenter dederim, tunc *apud eos cineres partis alicujus Corporis S. Gregorii a Romanis in cineres redacti*, delatos esse, ut Alexander Salnoveus ad haec concilianda dissidia conjecit, qui totam hujusce translationis historiam in commentarium redegit, a Nicolao Bezanconio deinde latine redditum, et a Bollandianis editum [1] ex MSS. Nicolai Bel-

1 T. II. p. 295, et seq.

fortii ad diem xx. Januar. Idem enim tum de *Gregorii*, tum de *Sebastiani* exuviis eumdem in locum avectis sentiendum est, ut recte docet Baronius [1], qui fidelium pietatem, etsi nonnullam Sanctorum partem tantummodo accepissent, sese tamen integra eorum Corpora possidere, saepissime profiteri, et gloriari consuevisse, animadvertit. Id autem mirifice facit adversus Calvinum [2], ejusque asseclarum accusationes, qui hac de caussa in sacras reliquias falsitatis no tam audacter impingunt. *Communibus*, inquit Theodoretus [3], *nominibus etiam partem appellamus. Etenim si SS. Apostolorum, aut Prophetarum, aut Martyrum Templa ingredientes, interrogamus, quis positus sit in urna; qui autem conscii sunt veritatis, respondent, aut Thomam Apostolum, aut Iohannem Baptistam, aut Stephanum Martyrum Propugnatorem, aut alium quemdam ex Sanctis nominantes, etiamsi admodum exiguae reliquiae ibi sint repositae.*

§. II.

Num Gregorii Tumulus, Templumque ejus nomini dicatum in Vrbe Alcalì del Rio, Gregorio M. sint tribuenda?

Quamquam non uni Suessionenses hanc opinionem de translato ad suos B. *Gregorii* Corpore sequuti sunt. Hispani etiam id ipsum sibi persuaserunt, eo quod in Vrbe Italica ad Boetim flumen in Andaluzia, inter Hispalim, et Castrum Album in loco, qui vulgo dicitur *Alcalà del Rio*, Templum occurrat S. *Gregorio* dicatum, ubi legitur hujusmodi inscriptio.

1 T. IX. p. 775.

2 Admonitio de reliquiis. T. VIII. Opp. Amst. 1667.

3 in Dial. III. edit. Sirmondi. Paris. 1642. de quo V. Garnerii dissertationes de libris Theodoreti Paris. 1684. Adi sis etiam Pomp. Sarnelli Lett. VIII. come s'intenda, essere il Corpo d'un Santo in più luoghi, e similmente delle loro Sante Reliquie? fra le sue lett. Eccl. T. III. p. 19.



IN HOC TVMVLO
IACET FAMVLVS DEI GREGORIVS
QVI VIXIT ANNOS PLVS MINVS
LXX. RECESSIT IN PACE
DIE NONA SEPTEMBRIS
HAERA DXLII.

Quare, etsi a nemine de translatis in Hispaniam *Gregorii* exuviis mentio facta est, tamen eas hisce moti rationibus Hispani nonnulli Scriptores, apud se adservari arbitrantur, nominis similitudine, pari modo fortasse decepti, quo Vrbis Constantinopolitanae incolae, ut narrat Sozomenus [1], Corpus *Paulli Apostoli* sese habere contendebant, etsi tantum *Paulli Episcopi* exuviae a Theodosio ex Ancyra illuc avectae apud eos quiescerent.

Quod quam longe a veritate distet, Oldoinius, qui totam hujus rei historiam refert [2], etsi inscriptionem tumulo impositam mendose expresserit, probat ex ipsis picturis, quibus Templi parietes adornantur. Nam eaedem ex veteri more, quem plures Scriptores [3] copiose, atque erudite illustrant, in sacris aedibus repraesentandi eorum gesta, quorum reliquiae ibidem positae erant, Gregorii hujus Hispani vitam, et miracula referebant, nihilque commune habebant cum iis, quae legimus de

1 Hist. Eccl. l. vII. c. IX. V. ejus vitam ex Sim. Metaphraste apud Surium d. vII. Iun. p. 129, et Franc. Baertii Commentar. histor. de S. Paullo Episc. CP. in Tom. II. Iunii p. 13.

2 T. I. Ciacc. col. 416.

3 Greg. II. ep. 2I. In Concil. Nicaen. II. Anast. in Leo. III. Prudentius in Peristeph. Basilius contra Iulianum. Gregorius Turonensis. in lib. 1. de gloria Martyrum c. LXV, et in l. vII. Hist. c. xxxvI. Beda. in lib. 1. de Hist. Monast. n. vI. Sulpicius Severus. in Vita B. Martini. Paullinus. In Natali IX. de S. Felice. Grancolasius. T. 1. p. 67. Mabillonius. In lib. 1. de Lit. Gall. c. vIII. de Ecclesiar., seu Basilicarum forma, et dispositione apud Francos, et in Tom. II. disc. Pop. Dei pag. 227. Trombellius. de Cultu Sanctorum diss. IX. cap. LXVIII.

Gregorio M. in ejus vita. Nihil autem adjecit, quod faciendum in primis ipsi erat, de characteribus chronologicis ipsius epigraphes, ex quibus non minus luculenter, quam ex picturis apparet, ipsam ad alterius *Gregorii* Corpus pertinere. Sanctus enim Doctor, uti Joh. Diaconus testatur, vitam hanc aerumnosam, anno DCIV, V. Idus Martias, cum immortali, ac beata commutavit; ni fidem potius praestare velimus Ven. Bedae, et Paullo Diacono [1], qui eum anno DCV. Beatorum Conciliis receptum fuisse narrant. At Marietta *in historia de SS. Hispaniae* [2], aeram Hispani hujus *Gregorii*, anno DIV. convenire demonstrat, cujus sententiae subscripsit Johannes Ferreras *in Historia Hispaniae* ad annum DIV. Quod, etsi Ambrosius Morales *in Chronico Generali Hispaniae* [3] haud certo constare scribat, quod epitaphii literae adeo vetustate detritae, ac consumptae essent, ut potius aeram anni DLIV. referre viderentur, tamen legendum esse monuit, ut supra adnotavimus.

Nihil autem, fortasse mirabitur aliquis, de Hispani hujus *Gregorii* cum *Gregorio* Pont. mutatione, doctissimum Papebrochium in §. VI. [4], ubi multa, et praeclara *de veneratione S. Gregorii M. apud Hispanos* recensuit, memorasse; multoque magis Joh. Stiltingum, qui de *Gregorio* hoc *Ibero* peculiariter disseruit die IX. Septemb. [5], in qua Ferrario subscribens *in Catalogo generali*, cultum assignat, *Alcalae in Hispania apud Hispalim S. Gregorii Confessoris*, nihil de discrimine inter utrumque *Gregorium* indicasse.

At, vel iis tacentibus, Mariettae verba a Stiltingo latine reddita, domo Hispanum, *Gregorium* hunc fuisse de-

1 in lib. IV. Hist. Langobard.
2 l. VI. c 43.
3 lib. XI. cap. 41.
4 T. II. Martii.
5 de S. Gregorio Confessore brevis notit. T. III. Septembr. p. 368.

monstrant, planeque a *Gregorio* Pontifice diversum. Iccirco praestat heic ea in medium proferre. *Anno* DIV. *mortuus est Sanctus hic Hispanus* Gregorius, *qui colitur in Alcalà del Rio. Locus est duobus milliaribus supra Hispalim, Ducatus titulo insignitus. Habet ibidem Ecclesiam, quam exstruendam curarunt Catholici Reges Ferdinandus, et Isabella, multorum miraculorum, quae Sanctus ille patraverat, fama permoti, magnaque totius illius regionis erga ipsum devotione. In ea deponi jusserunt hi Reges ossa istius Sancti, inclusa arcae inauratae cum clatris ferreis. Verumtamen ibidem ostenditur sepulcrum, in quo Sanctus ille a multis annis fuit inventus cum saxo superiore, quod etiamnum est ibi in Ecclesia, et continet hoc epitaphium latinum.*

Quae, quum aperte demonstrant, *Gregorii* hujus cultum adhuc vigere die IX. Septembris, perperam Oldoinius [1] affirmavit, incolas ejus loci, confluentibus etiam ex universa vicinia populis, *Gregorii* memoriae, qui in descripto sepulcro conditus putatur, quotannis venerari solitos esse eodem ipso die, qui Romae SS. Pontificis honori dicatus est, hoc est IV. Idus Martias. Verum, etsi ita se res haberet, quemadmodum sibi Oldoinius persuaserat, censendum esset, intermortua sensim, ut fit, Hispani *Gregorii* memoria, cautum esse, quoniam ibidem die XII. Martii *Gregorius* M. colebatur, ut illic *Gregorii* memoria servaretur illaesa, et incerti Martyris cultus, ad hunc fama celebriorem transferretur. Ita enim interdum fieri consuevit; atque idem *Gregorius* M. sapientissime jussit, quum a sanctissimo disciplulo, Anglorum egregio praedicatore, Monacho *Augustino* accepisset [2],

1 T. I. Ciacconii col. 416.

2 V. Acta SS. Ord. Bened. Sec. I. p. 498. T. vI. Maii Boll. p. 373. et Henr. Whartoni Angliam Sacr. P. I. p. 51. Lond. 1691. fol.

quemdam *Xystum* ignotum Martyrem in Anglia coli; siquidem ei certas eadem de caussa *Xysti* alterius Martyris reliquias publico cultui proponendas transmisit.

§. III.

Suessionensium, et Hispanorum opinio de Gregorii M. possessione, Anastasii, et Ioh. Diaconi testimonio refutatur.

Quod potissimum me movet, ut nec apud Suessionenses, nec apud Hispanos, S. Doctoris Corpus umquam exstitisse opiner, profecto illud est, quod Anastasius, et Joh. Diaconus ejus translationem a *Gregorio* IV. deinde peractam, diserte commemorent. Quorum auctoritas, nemo non videt, quanto gravior sit testimonio Monachi Medardiani, qui historiam scripsisse videtur, ut Monachis suis, patriaeque blandiretur, quique, quum Anonymus sit, ne hoc quidem prodit, an ipse revera translationis Corporis S. *Sebastiani*, quam una cum Corpore S. *Gregorii* factam fuisse narrat, συνχρονος fuerit.

Quae quidem suspicio cadere nequaquam poterit in Joh. Diaconum, et Anastasium. Ambo enim Sec. IX. floruerunt, nimirum circa *Gregorii* IV. aetatem, qui *Gregorii* M. Corpus *e Vestibulo Secretarii antiquissimi, ante novellum Secretarium* collocavit. Itaque utriusque verba in medium adferenda esse duco, non solum, ut omnis haec penitus controversia finiatur, vindiceturque per me, uti decet, principi sedi sua possessio, sed ut inde praeterea planum fiat, ubinam locorum esset *novellum Secretarium*, *ante* quod *S. Gregorii* Corpus, a *Gregorio* IV. translatum fuisse comperiemus.

Johannes igitur Diaconus, postquam de prima SS. Viri

sepultura *ante Secretarium antiquissimum* , uti supra vidimus, egit, de ejus translatione haec adjecit [1]. *Gregorii venerabile Corpus a Gregorio* IV. *Sedis Apostolicae Praesule, post annos circiter quinquaginta* translatum ante novellum Secretarium *consuetis apsidibus, sicuti modo cernitur, sub Altari sui nominis collocatur, quo ejus anniversaria sollemnitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur, in quam Pallium ejus, et Philacteria, sed et Baltheus ejus consuetudinaliter osculatur.*

Plura nos ad hunc locum illustrandum, infra opportunius afferemus. Nunc satis erit animadvertere, esse, qui loco illorum verborum *post annos circiter quinquaginta*, legendum velint *post annos circiter ducentos viginti tres*, quot nimirum a die primae *Gregorii* depositionis fluxerunt, qui anno DCIV. rebus humanis interesse desiit, usque ad Pontificatum *Gregorii* IV, qui anno DCCCXXVII. P. M. fuit renunciatus, quemadmodum in eruditissima *dissertatione ad Librum Diurnum Romanorum Pontificum* [2] egregie demonstrat doctissimus, *centumque*, ut ille ait, *artium* peritissimus, Franc. Antonius Zaccaria. Nec deest, qui potius, loco, *post annos circiter quinquaginta*, legendum putet indistincte *post annos multos*, uti in registro, seu *ante annos fere quinquaginta*, uti in notula animadvertit Montfauconius, qui tamen perperam ducentos vigintiquinque annos inter diem depositionis, et translationis ibidem [3] numerat, etiamsi demus, hanc anno I. Pontificatus *Gregorii* IV. esse tribuendam. Quapropter veritati aeque repugnavit Baronius, qui legens Ioh. Diaconi locum *post annos circiter ducentos quinquaginta*, notavit in margine [4] *ducentos*

1 p. 174. num. 80.

2 in T. III. Bibl. Liturgicae p. CCXXIX.

3 T. I. p. 174.

4 ad ann. DCCCXXVII. n. 33.

viginti. Nam, ut recte animadvertit Constantinus Suiskenus, *in vita S. Gorgonii* [1], primus horum calculus deducit ad an. DCCCLIV, quo *Gregorius* IV. jam fere a sexennio de hac statione terrena decesserat; alter vero ad an. DCCCXXIV, quo nondum fuisse illum ad Petri Cathedram evectum, communis hactenus sententia tulit. Ego tamen litem hac de re omnem de medio tollere mallem, nihilque in Iohannis verbis immutare; idem enim medio aevo *post* fuit nonnullis Scriptoribus, quod probae Latinitatis auctoribus *abhinc*.

Sed Anastasium jam in *Gregorii* IV. vita, de eadem translatione loquentem audiamus. *Divino*, inquit [2] *ignis amore succensus, Corpus B.* Gregorii *hujus universalis Ecclesiae Praesulis, per quem S. Spiritus gratia toto orbe terrarum inextinguibile sapientiae munus induxit, ex loco, sepultum quo prius fuerat, tulit, et non longe ab eo, in alium noviter constructum, infra Ecclesiam B. Petri summo honore, perduxit, ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, et Oratorium suo sancto nomine titulavit, absidamque ejusdem super aurato musivo depinxit; in quo scilicet Oratorio SS. Corpora Beatorum Martyrum* Sebastiani, Gorgonii, *et* Tiburtii, *ex Coemeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit, et unumquodque eorum separatis Altaribus collocavit*.

Iam cui non, ex ipsa hujusce narrationis lectione, perspicuum fit, vel post annum DCCCXXVI, quo ad Coenobium S. Medardi *Gregorii* Corpus translatum fuisse Suessionenses ajunt, Romae *ante Vestibulum Secretarii antiquissimi* fuisse adservatum, ac primum, paullo post a *Gregorio* IV., *non longe ab eo loco in alium summo honore perductum*?

1 T. III. Septemb. p. 331.

2 T. III. §. VI. p. II.

Mei autem muneris erit, inferius demonstrare, quô in posterum delatum fuit, ut extra omnem dubitationis aleam sit, sacras SS. Pontificis exuvias, non interrupta seculorum serie, semper apud nos permansisse, quas hactenus relligiosissime custodire, ac auro contra caras habere gloriamur. Brachium enim dumtaxat amissum fuisse constat, ex quodam mss. Bas. Vat. apud Turrigium [1], ubi inter enumerationes Borbonianae direptionis, perhibetur, quod *periit brachium unum S.* Gregorii *Papae primi itidem, quod ablatum fuit, quodque nobilissimo argenteo vase, optimo chrystallo, et ejus Pontificis imagine decorato honorifice conditum erat*.

Quocirca de singulis *Cellis Gregorianis* veteris Basilicae, sermonem instituam, earumque numerum, ac situm diligenter inquiram, ut eas, quae SS. Doctoris exuviis aliquamdiu decoratae fuerunt, ab iis, quae ejus nomen tantummodo adeptae sunt, accurate distinguam. Ex quibus illud etiam constabit non levis momenti, quid scilicet caussae fuerit, cur apud Viros, rerum liturgicarum alioqui peritissimos, falsa invaluerit opinio, Romanos Pontifices, jam inde a primis Ecclesiae temporibus, quoties in Basilica Principis Apostolorum sacris operaturi erant, *in Cella S. Gregorii* sacra indumenta sumere solitos fuisse, ac etiamnum ex veteri consuetudine interdum in eadem Cella, tamquam *in Secretario*, sacris vestibus exornari.

1 *p.* 185.



CAPVT VII.

De Cella Gregoriana, quae num. 85. designatur.

Quamquam de tribus omnino *Cellis Gregorianis* in veteri Bas. Vat. antiqui Scriptores meminerint, quae tamen apud eos saepius occurrit, ac celebritate ceteris longe antecessisse videtur, n. 85. designatur. Nihilominus, quicumque hactenus de ea scripserunt, de Cellae hujusce nomine, multiplices, sibique invicem repugnantes opiniones tradiderunt.

Nonnulli enim *S. Gregorii Altare*, absolute appellarunt, sive a *Gregorio M.*, cujus eô Corpus translatum fuisse opinati sunt, sive a *Gregorio IV*, quem ejusdem Cellae conditorem fuisse contendunt. Porro, ut Vegium [1], Alpharanum [2], Severanum [3], Fontanam [4], Bonannium [5], aliosque praetermittam, in eamdem omnino sententiam collineantes, Ciampinius hoc Altare, *Oratorium Gregorianum* appellat. Praestat autem ejusdem verba audire. *Oratorium*, inquit [6], *S. Gregorii M. erat, quod ei Gregorius IV. eximius cultor SS. Praedecessoris dicavit, et sub eodem praedicti S. Pontificis Corpus, urna aegyptiaci marmoris, mirae amplitudinis, inclusum, nec non trabibus ferratis munita, venerabundus reposuit, multis per sacellum altaribus excitatis ad Sanctorum reliquias decore servandas, quas e diversis Coemeteriis, cryptisque huc attulerat. De ejusdem SS. Pontificis Corporis e porticu in hanc Basilicam translatione, sic Bibliothecarius in praefati Gregorii IV. Vita scribit*. Ac postquam Anastasii verba, superius a nobis allata, descripsit, ita pergit. *Verum, quum jam Orato-*

1 T. vI. Iunii p. 84.
2 ms. p. 35.
3 Mem. delle vII. Chiese T. I. p. 67. 99.
4 Tempio Vat. p. 87.
5 Numism. Temp. Vat. p. 34.
6 de S. Aedif. c. Iv. n. 85.

rium hoc , nimia laberetur vetustate , Pius II. reparavit , pretiosisque marmoribus pristino decori , super exstructa Camera restituit , quam auro , gemmisque praefulgidam , quatuor e lectissimo marmore columnae sustentabant , ibique B. Andreae Apostoli Caput , summis honoribus publice exhibitis , collocavit .

Sed multo antiquius exstat hujusmodi denominationis testimonium in *Diario Romano* apud Muratorium [1] . Haec enim ibidem scripsit Iaco bus Volaterranus anno MCDLXXXI. *Ad ultimum diem Novembris , quo celebratur sollemnitas B. Andreae Apostoli , (evenit autem die Veneris) , itum est mane a Patribus ad rem divinam , Pontifexque descendit in Basilicam Petri , ubi ea acta est in* Cellula B. Gregorii , *in qua supra Altare Pius II. ipsius Apostoli Caput auro conditum , et gemmis ornatum , dum viveret , servari jusserat , atque Anconae moriens Corpus suum ad eumdem locum deferri mandavit , ubi marmoreum sepulcrum egregio opere , cura , et impensa Francisci Card. S. Eustachii Nepotis sui factum cernimus .* Quo quidem titulo , vel in *Diariis Caeremonialibus* a Gattico evulgatis , idem Altare quandoque appellatum occurrit , ut infra uberius demonstrabimus , ne pluries eadem scriptorum loca , lectorum fastidio afferamus .

Ceterum ibidem videre erit , frequentius ab iis Cellam hanc , *S. Andreae* titulo fuisse designatam . Quod fecit etiam Ciacconius , qui eidem Altari , sub quo a *Gregorio IV. Gregorii* exuvias reconditas fuisse narrat [2] , solius *Andreae Apostoli* nomen tribuit . Idem praestitit etiam Ferrarius , qui in notis ad ellogium *Gregorii* , in *Catalogo SS. Italiae* relatum , *sub ara S. Andreae* reconditum ,

1 T. XXIII. rerum Ital. p. 157. 2 T. I. p. 599. in vita Greg. IV, et in vita Pii II.

ac hujusce translationis memoriam ad posteritatem transmissam fuisse scribit. Item multo ante Baronius, quamquam [1] *in extrema parte porticus Vaticanae* sepulcrum *S. Gregorii* fuisse narret, tamen sibi repugnans subjungit, *ibi adhuc exstare subter Altare S. Andreae, cujus ipse fuerat studiosissimus, licet non eadem forma, qua olim, modo exstructum appareat, quia tunc legebatur epitaphium*, a nobis supra prolatum. Ita etiam scripsit Card. Papiensis, ut infra videbimus, ubi locum, in quo Pius II. humatus fuit, in Bas. Vat. descripsit. Eadem Panvinius tradidit, inquiens [2]. *Hodie dicitur* Altare S. Andreae, *quod exstat inter murum Basilicae, et Portam Iudicii, et die Coronationis Pontifici pro Secretario deservit*. Haud secus loquitur Ant. Petri in Diario apud Muratorium [3]. *Die Sabbati* 18. *d. mensis Octobris, quae fuit festum S. Lucae Evangelistae similiter non fuit cantatum officium de mane, nec pulsatae campanae. Item de sero fuerunt pulsatae campanae, et dictum officium in* Capella S. Andreae Apostoli, *ut moris est. Item Caput S. Lucae non fuit ostensum propter causam, ut supra*. Ac demum, ne nimius sim, praeter Attilium Serranum [4], Pompejus Vgonius [5], eodem loco *Altare S. Andreae* dicatum fuisse memoriae mandavit, *quod consecratum fuit a Gregorio IV, qui sub eo recondidit concha marmorea Corpus S. Gregorii M., uti et SS. MM. Gorgonii, ac Tiburtii filii Chromatii. Pius Papa II. ipsum restauravit; imposito tabernaculo marmoreo, in quo collocavit Caput S. Andreae Apostoli, allatum ex Peloponneso*.

Contra vero Gregorius XIII. in diplomate [6], quo hoc Altare, cum altero *Mortuorum* nuncupato, privilegio per-

1 T. VIII. p. 156.
2 T. II. mss. p. 115.
3 T. XXIV. p. 1021.
4 de VII. Eccl. p. 25.
5 Stazioni di Roma p. 99.
6 T. III. p. 101.

petuo pro piis manibus donavit, sub titulo *S. Gregorii, situm in Cappella* S. *Andreae Apostoli* designavit. Quae diplomatis verba illustrantes Bullarii Vat. editores, haec adnotarunt. *In Sacellum S. Gregorio I. dicatum Pius II, nova marmorum accessione facta, ac eleganti ciborio desuper exstructo, S. Andreae Caput intulit. Hinc ab Apostoli nomine, novum Sacello cognomen accessit, servato tamen veteri titulo* Altaris S. Gregorii, *quum in eo S. Pontificis ossa clauderentur*. Quibus satis manifeste declarant, sese opinatos esse, istiusmodi Altare, longe ante Pium II, *Gregorio* sacrum fuisse.

Neque vero alii desunt Scriptores, qui hoc idem Altare, conjunctim SS. *Andreae, et Gregorii* nomine appellarunt. Nam haec habet Burcardus in Diario ad annum MCDXC. *Sabbato* XXIII. *Mensis Ianuarii (Innocentius VIII.) in mane Cardinalibus omnibus in Palatio Apostolico convocatis significavit Concordiam per Regem Hispaniae habitam cum Rege Granatae. Propterea ibidem in Congregatione decretum, quod feria secunda mediate sequenti, Festum Conversionis S. Paulli Apostoli, una Missa sollemnis in Basilica S. Paulli extra muros Vrbis de Spiritu S. per aliquem Praelatum, Papa, et Cardinalibus praesentibus, celebraretur. Sed propter maximam pluviam ab Aurora usque ad meridiem, et ventum vehementem, celebrata fuit in Bas.Vat. ad Altare* SS. Andreae, et Gregorii. Hoc idem, ut alios Caeremoniarum Praefectos praeteream, quorum loca inferius afferemus, ita accipimus ex Onuphrio Panvinio, qui ait [1]. *In ultima versus parietem navi, exstat* Altare D. Andreae Apostoli, et Gregorii Pontificis, *sub quo ejusdem Doctoris Corpus a Gregorio IV. sepultum est*. Quae quidem omnino iis consonant, quae

1 T. II. ms. p. 139.

tradidit alio loco [1], de eodem Altari *in Ecclesiae fine, inter murum, et Portam Iudicii* ab se descripto [2]. *In Ecclesiae fine, ubi sedent Poenitentiarii, est Oratorium, et* Altare SS. Andreae, et Gregorii, *a Gregorio IV. factum, sub quo jacet Corpus ejusdem S. Doctoris. In Ciborio vero, quod est supra Altare, exstat Caput S. Andreae Apostoli a Pio II. locatum*. Verum jure arguitur a Paullo de Angelis, qui fortasse omnium primus recte contendit [3], antiquius S. *Gregorii* Oratorium non idem esse, quod alterum S. *Andreae*; ac recentius ejus Altare, non sub nomine SS. Pontificis tantum, sed etiam S. *Andreae* positum dicit; etsi tamen, quis crederet? in declaratione Ichnographiae Bas. Vat. [4], in eamdem Panvinii sententiam descenderit, atque hoc loco fuisse scripserit *Altare S. Gregorii Papae a Gregorio IV. factum, supra quod est Caput S. Andreae Apostoli a Pio II. locatum*.

Denique nonnulli etiam fuerunt, qui de hac translatione disserentes, ne unum quidem verbum de Altaris nomine fecerunt, etsi a *S. Gregorio* antiquitus cognominatum fuisse, tacite quodammodo sibi sumpserint. Audi Platinam, qui in vita Gregorii IV. haec habet. *Transtulit idem SS. Pontifex B. Gregorii Corpus, atque eo loci collocavit, ubi nunc jacet, magnis adhibitis ornamentis, quo in loco multi temporibus illis, religionis, aut voti caussa excubare consueverant. Ferunt et ab eodem Corpora Sebastiani, et Tiburtii a Coemeteriis, in quibus ante jacebant, ad Basil. Petri translata fuisse*. Quibus etiam concinit Aringhius, qui ait [5]. *Gregorii Corpus in Ecclesia, prope dictum Secretarium, translatum sub Altari reconditum est, quod nostra adhuc aetate,*

1 T. III. ms. p. 13.
2 de vII. Eccl. c. IV. p. 44.
3 p. 83.
4 num. 85.

juxta Portam Iudicii nuncupatam visebatur; hisque satis manifeste prodidit, sese cum Platina, Cellam hanc a *Gregorio* IV. constructam putasse.

Verum, unde unde Cellae nomen factum sit, illud hinc pro certo constat, allatos auctores existimasse, ibidem a *Gregorio* IV, *Gregorii* cineres repositos fuisse. Quam sententiam universi ferme, quos vidi, de Vaticana Basilica recentiores etiam Scriptores sequuti sunt. Nam, ut praeteream, quae Raphael Sindonius, et Antonius Martinettus, in opere *de Bas. Vat. praerogativis* [1], ac Philippus Laurentius Dionysius *in monumentis Cryptarum Bas. Vat.* [2], de hujusmodi opinione tradiderunt, rursus postremi hi duo Scriptores, quibus sociandus est Cajetanus Cennius, *in editione Bullarii Vaticani* [3], eamdem sententiam aperte confirmarunt. Siquidem Oratorium a *Gregorio* IV. in honorem SS. sui Praedecessoris constructum, ad australem veteris Basilicae partem collocatum fuisse contendunt; atque iccirco ad tabulam ichnographicam Alpharani Lectores rejiciunt, qui [4] illud eodem loco fuisse describit. Ac ne Typographi vitio vertendum esset, quasi hic numerus pro altero irrepserit, alibi [5] ex ms. ejusdem Alpharani, quae in hanc rem ab eodem memoriae sunt prodita, exscripserunt. Ea vero ex Alpharani autographo diligenter exarata, sunt hujusmodi [6]. *Ante sepulcrum* (Pii II.), *in medio hujus navis minoris, et Oratorii praedicti, superest adhuc nobilissimum Altare S. Gregorii P. hujus nominis primi, et Ecclesiae Doctoris a Gregorio* IV. *summa cum veneratione exstructum, atque exornatum, sub quo ejusdem Pontificis venerabi-*

1 l. II. p. 189. 2 p. 188. 5 T. II. p. 283.
3 T. I. p. 47. 4 sub n. 85. p. 35. 6 ex ms. p. 35.

le Corpus in concha aegyptiaca cancellis ferreis circumsepta posuit, totumque Oratorium exornavit, multaque intra dictum Oratorium Altaria cum Sanctorum reliquiis munivit, inter quae Corpora SS. Sebastiani, Gregorii (Gorgonii), *et Tiburtii Filii Chromatii Mar. ex diversis Coemeteriis honorifice translata, suo quodque Altari recondidit, ut ex Petro Mallio, Maphaeo Vegio, Benedicto Basilicae Canonicis liquet, quorum Altarium nunc nulla vestigia exstant. Tandem* hoc Oratorium, et Altare *Pius* II. *marmoribus elegantissimis exornavit, et desuper Altare marmoreum, ac deauratam cameram super quatuor columnas exstruxit, in qua venerabile B. Andreae Apostoli Caput auro, argento, gemmisque ornatum, sollemni processione, totaque Curia, Romanoque Clero comitante, Dominica tertia Iunii anno* 1462. *summo cum honore collocavit*. Haec eadem vernaculo sermone ita deprompsit. *Appresso a questo sepolcro seguita la Cappella, ovvero Oratorio de S. Gregorio Primo fatto da Gregorio* IV, *qual poi fu restaurato da Pio* II, *fattovi una bella volta circondata tutta la Cappella de' marmi nobilissimi, et sopra l'Altare fatto una camera, dove pose il Capo de S. Andrea, che gli fu mandato dal Pelopponeso da Bajazet. Nell' anno* 1574. *per essere troppo occupata la Chiesa da questa gran Cappella, forno disjetti li marmi, et renduta piccola appresso l' Altare*. Atque alibi. *Sotto quest' Altare (di S. Andrea) reposa il Corpo del BB. Gregorio Magno PP.* I. *in conca de marmore, et circundata de' cancelli de ferro, posto da Gregorio* IV, *et restaurato dal prefato Pontefice Pio* II.

Quae quidem in mentem revocant pulcerrimam memorabilis hujusce translationis descriptionem, nobis ab eodem Pio relictam [1], quam quoties lego, (legi autem

1 in Commentar. lib. VIII.

adhuc saepe, magna cum animi mei voluptate), toties imperare mihi non possum, quin lacrymis obortis, sacrum beatae illius diei triumphum animo recolam, quo nullum unquam certe legimus augustiorem [1]. Si quis autem ipsum Ciborium, aut Cameram, uti Alpharanus vocat, *S. Andreae* a *Pio* dicatam velit recognoscere, ejus descriptionem videre poterit apud Ciampinium [2], uti apud Dionysium [3] exacte delineatas observabit duas marmoreas imagines affabre insculptas Capitis B. *Andreae*, quae in eodem Ciborio, seu Camera exstabant, atque etiamnum in ambitu Confessionis D. Petri ad occidentem visuntur.

Verum, ut ad Bullarii Vaticani editores me referam, rursus alio loco, ubi *de Cella Clementina*, quô a Paullo V. postremo translatum fuit B. *Gregorii* Corpus, verba faciunt, ab eadem opinione non aberrant. Ajunt enim [4]. *Gregorius* IV. *ante annos fere* DCCC. *sub ara illius nomine celebri, in minori navis australis postremo, ut ait Alpharanus locum designans num.* 85, *sacrum pignus deposuerat, ubi et S. Andreae Caput Pius* II. *collocavit*. Quibus denuo concinere videtur Dionysius, praeter allatum sui operis locum, ubi ait [5]. *Gregorius* IV. *sacras exuvias* Gregorii I. *ex loco, ubi antea SS. hic Ecclesiae Doctor sepultus fuerat, nempe ex Basilicae Secretario, (hoc erat aedes ad partem Templi meridionalem porticui adnexa, ut apud laudatum Alpharanum videre est), in eamdem Ecclesiam S. Petri Apostoli perduxit, et Altare argenteis tabulis exornato, Oratorium in ipsius B. Gregorii honorem dedicavit*. Dum haec enim

1 V.Pet.Halloix in Triumpho sacro Sanctorum, sive de caeremoniis in Reliquiarum Sanctorum translationibus usurpatis. Antuerpiae 1617. 8. et Commentarium Aloysii Bandini de vita, et rebus gestis Bessarionis Card. Nicaeni. Romae 1777. 4. pag. 52.

2 de Sac. Aed. p. 65. 3 tab. I. et II.

4 T. III. p. 207, et 244.

5 de Crypt. Vat. p. 34.

scriberet, eum ad Altare Pii II. mentem, atque animum convertisse, pro certo habeo, ex eo quod, dum illud alibi describeret, allata Alpharani verba et ipse recitavit.

Hactenus immorati sumus in eorum exponenda sententia, qui unanimi poene consensu asserunt, Cellam n. 85. in navi meridionali Bas., *Gregorium* IV. exaedificasse, eôque *Gregorii M.* Corpus intulisse, cui socium deinde datum fuit a *Pio* II. S. *Andreae* Caput. Quis autem tot, tantorumque Virorum auctoritate permotus, huic sententiae non acquiescat; maxime quum, et ab antiquioribus, velut nobis per manus traditam, et a recentioribus tam secure, tamque fidenti animo inculcatam animadvertat? Quae tamen res, quod omnium pace dictum sit, longe se aliter habet; quod statim demonstrandum aggredimur.

Ac primo animadvertendum est, si *Gregorius* IV. Altare, in quod deinde *Pius* II. S. *Andreae* Caput intulit, aedificasset, sub eodemque *Gregorii* M. exuvias collocasset, quum hoc in Cella Basilicae meridionali situm fuerit, consequens esse, ut idem Pontifex e *Secretarii Vestibulo*, *intra* Ecclesiam B. Petri, cognominis Pontificis Corpus transtulisse, dicendus esset. Hoc autem Anastasio, quidquid contra sentiant Turrigius [1], Ciampinius [2], et Dionysius [3], aperte refragatur, qui quidem Anastasius, uti supra vidimus, diserte scribit, *ex loco, quo prius fuerat sepultum, tulisse, et non longe ab eo in alium noviter constructum*, infra *Ecclesiam B. Petri, summo honore perduxisse*. Neque heic reponi potest, voculam *infra* ab Anastasio, aliquando pro *intra* usurpari. Hoc enim loco, in propria significatione sumi posse, ac porro debere ipsi-

1 p. 187. 2 de S. Aedif. p. 70. 3 pag. 34.

usmet Anastasii, et Joh. Diaconi verba satis evincunt, quum uterque testetur, in *Cella Gregoriana* absidam a *Gregorio* IV. erectam fuisse. Quaeso autem, quî fieri potuit, ut antiquitus in Cella *d. intra* Basilicam apsidi locus esset, quum ibidem Pius II, qui tamen Altare, quam potuit magnificentissime, exornandum curavit, solum Ciborium elevare potuit quattuor columnis innixum? Praeterea iidem, referunt, *multa* in Cella Gregoriana fuisse *Altaria*; siquidem in illam a *Gregorio* IV, BB. MM. *Sebastiani*, *Gorgonii*, ac *Tiburtii* Corpora fuerunt illata, ac *singula* in *separatis* altaribus reposita. Quo autem pacto in Cella *d*, *intra* Basilicam poni potuissent, ubi prae loci angustia, *unum* dumtaxat Altare, inter IV. columnas fuit, ac nonnisi unum esse potuit? Neque illud refert, quod Alpharanus ad suam opinionem confirmandam praetexuit [1], quam fortasse ex Panvinio desumsit, qui [2] in eodem hoc Oratorio Corpora horum trium Martyrum recondita fuisse scripsit, *horum* nempe *Altarium vestigia nulla*, sua aetate amplius exstare. Quid enim mirum, si nulla Altarium exstarent vestigia, ubi nusquam antea, eadem Altaria exstitissent?

Itaque ex his facili negotio colligere licet, allatis Scriptoribus, ceteroqui doctis, et eruditis, ipsum Sancti *Gregorii* nomen fraudi fuisse, quod Altari, ubi *Pius* II. S. *Andreae* Caput reposuit, sacrasque S. Doctoris exuvias adjunxit, eorum tempore haerebat, indeque factum fuisse, ut illud idem fuisse a *Gregorio* IV. excitatum, in quod praeter *Gregorii* M. Corpus, alia tria SS. MM. separatis Altaribus collocavit, sibi persuaderent, ac primam *Gregorii* IV. translationem, cum hac altera *Pii* II, de qua redibit sermo, confunderent.

1 ms. p. 35. 2 T. II. ms. p. 115.

VVVV 2

Atque hanc ego observationem sane veram, satisque solido fundamento nixam, eruditissimo Janningo debere me profiteor, qui eam retulit in suam *de situ Sacelli Gregoriani* dissertationem [1]. Cui tamen nollem, interim illud excidisset, quod ait [2], *neminem ex iis, qui opinantur, Gregorii M. Corpus a Gregorio* IV. *translatum fuisse ad Sacellum Gregorianum d, intra Basilicam, agnovisse, eodem fuisse tumulata Corpora SS. Sebastiani, Gorgonii, aut Tiburtii, vel ibi nunquam exstitisse*. Panvinium enim, et Alpharanum, itemque Ciampinium, qui ejusdem Alpharani verba attulit, id agnovisse mox demonstrabimus, quos tamen, quamquam ab Anastasio didicerint, *multa Gregorium per sacellum Altaria excitasse ad reliquias decore servandas, quas e diversis coemeteriis, et cryptis attulerat*, nihilo plus ceteris vidisse, atque in eumdem lapidem impegisse, mirandum est.

§. I.

Pio II. *hujusce Altaris erectio, a ceteris Gregorio* IV. *adsignata, adseritur*.

Quamvis a Ianningo allata rationum momenta gravia certe sint, magnique facienda, illud tamen magis magisque inculcari ab eo voluissem, quod unum prae ceteris longe gravissimum mihi videtur, remque extra omnem dubitationis aleam posuisset. Enim vero si probari posset, Altare, quô *Pius* II. transtulit *S Andreae* Caput, ab eo erectum fuisse, nonne sententia omnino caderent, quicumque illud a *Gregorio* IV. primum excitatum fuisse contendunt? Id quidem ipsum ab eo innuitur, ubi ait [3], *Sacellum d. SS. Andreae, et Gregorii IV. tempestate nondum*

1 T. vI. Junii p. 153. 2 num. 374. 3 T. vI. Jun. p. 154.

exstitisse, et seculis sex integris post, non exstiturum, utpote a Pio II. aedificatum; nullo tamen documento ad id usus est. Quod vir Cl. omisit, exsequar ego.

Hoc igitur perspicue patet ex iis, quae refert Turrigius haberi in *MSS. Archivi Vaticani*, ubi legitur [1]. *Cappella S.* Andreae *Apostoli a* Pio II. erecta, *Francisco ejus Nepote, S. Eustachii Diac. Cardinali dotata*. Id etiam manifeste eruitur ex libello, qui inscribitur *Censuale anni* MCCCCLXIV [2], et ex antiquo libro *Benemeritorum de Bas. Vat.* cujus verba, paucis contracta, retulit Raphael Sindonius [3]. Sed quum ea videre licuerit continenter descripta apud Grimaldum [4], ibique plura a Pio II. peracta, immortalitate dignissima memorentur, praestat ea, tamquam Pii vitae breviarium, cum Lectoribus communicare. Ait itaque Grimaldus. *Multis dein labentibus annis, Pius II. P. M. Corpus admirabilis hujus Doctoris Gregorii* in Altari noviter ab se constructo, *supra quod Ciborium ad continendum* S. Andreae *Apostoli Caput, jussu, et impensa ejusdem magnifice factum*, ex incultiore loco translatum reposuit, *ut legitur in Censuali anni* 1464, *et in libro antiquo Benefactorum dictae Basilicae in Archivo Capituli asservatis fol.* 113. *his verbis. Quartadecima die Augusti* MCCCCLXIIII. *obiit Pius Papa II, patria Senensis, familia Piccolominea, qui singulari devotione huic sacrosanctae Basilicae affectus, corpus Templi totum expolivit. Sepulcra veterum Pontificum media in aede perturbate posita, in ordinem redacta, parieti coaptavit*. Cappellam in angulo Templi Divo Andreae Apostolo Germano Petri aedificavit. *Ciborium marmoreum auro distinctum altari superne construxit*; *ibi*

1 pag. 370.
2 apud Martinellium in Roma ex Ethnico Sacra p. 189.
3 pag. 97.
4 fol. ms. 37.

Caput Apostoli ipsius ex Graecia in Italia a Despoto Peloponnesi translatum, auro, gemmisque ornatum collocavit; populo bis quotannis, ut ostenderetur, instituit, Dominica tertia Iunii, et pridie Kal. Decembris; singulo quoque illius festo iis, qui locum, more Ecclesiae, frequentarent, decennii veniam indulsit. In Altari, cui Ciborium imminet, cineres SS. Doctoris Gregorii, ex alio incultiore loco translatos reposuit, reponendis ipse interfuit. *Podium Donadei, Oppidum Sabinorum, huic Basilicae dono dedit. Scalas pro foribus Templi vetustate collapsas, majore ambitu, ornatuque instauravit. Apostolorum Statuas, Petro a dextera, Paullo a sinistra erexit. Suggestum Pontificum, unde Populo benediceretur, inter fores Templi, et superiores scalas, marmore crustulatum, et columnis transmarinis longe maximis inchoavit. Mors, ne operi pulcherrimo summam apponeret manum, impedivit. Mortuo Franciscus Nepos Cardinalis Senensis, eadem in Cappella, Sepulcrum pari cum magnificentia construxit. Oremus Deum pro anima ipsius dignissimi Summi Pontificis Pii II.* Post haec ita pergit Grimaldus. *Ex Censuale anni* 1464. *in dicto Archivio existen. apparet, quod exstructo jam Ciborio, Pius Secundus P. M. Dominica tertia Iunii ejusdem anni, qui fuit dies XV, in eo sollemniter reposuit S. Apostoli Caput. Atque in Altari, cui Ciborium imminebat,* Corpus eximii Doctoris Gregorii PP. I. recondidit. *Hanc sacri verticis repositionem Dominica III. Iunii cujuslibet anni Vaticana Basilica celebrat sub ritu duplici. Verba dicti censualis haec sunt fol.* 63. *Expensae pro festo Capitis S.* Andreae. *Iunii die XV. solvi de mandato D. Vicarii, et Camerariorum pro festo fiendo pro Capite S.* Andreae, *et S. Gregorii,* quando fuerunt positi in Cappella... Ex quibus ipsum etiam hujusce translationis diem licet agnoscere, quem

sacro cultu quotannis celebratum diu fuisse, discimus ex Anonymo per Valerium Doricum evulgato, qui ait. *Caput S. Andreae Ap. quod ostenditur in ejus festo, et in illa, die, quando Romam portatum fuit, et adductum.*

Quid autem certius hoc testimonio afferri potest ad probandam, non tam translationis cinerum SS. Doctoris a *Pio* II. peractae veritatem, quam ipsius Altaris, ubi eas cum Capite *S. Andreae* collocavit, constructionem? Atque hujus quidem testimonii auctoritas, quae certe multo gravissima est, mirifice Alexandri VI. diplomate confirmatur. Sic enim in eo scribitur [1]. *Pius Papa II. praedecessor noster in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe* unum Altare sub invocatione SS. Andreae Apostoli, et Gregorii PP. in honorem eorum construxit, et aedificavit, *seu construi, et aedificari, ac in illius urna cineres D. Andreae Apostoli* (corrige D. Gregorii) *recondi fecit, illudque ornavit, ac Caput ipsius Andreae ex Peloponneso in Vrbem delatum, in theca argentea lapidibus pretiosis ornata, ciborio marmoreo inibi constructo, honorifice collocavit.* Quid autem tam luculento Pontificis testimonio, qui, infra XXVIII. annorum spatium, *Pio* successit, opponi possit, plane non video.

Quis itaque jure non miretur, eruditos Bull. Vat. editores ad diplomatis hujusce illustrationem, Alpharani locum supra a nobis allatum subjunxisse, ubi ait ex adverso, idem Altare *a Gregorio* IV. *constructum*, et a *Pio* II. postea ornatum, ac *restauratum*? Quod aeque fecisse animadverti Sindonium [2], qui postquam *Libri Benemeritorum* verba protulit, illico eadem Alpharani verba exscribit, illis omnino contraria.

1 T. II. Bull. Vat. p. 283.

2 pag. 97.

Ceterum nostram sententiam diserte tuetur Joh. Severanus, qui aperte declarat, *Gregorii* Corpus alio in loco quievisse, antequam *Pius* II. sub Altari, cui tunc temporis Gregorii etiam nomen adhaesit, SS. Doctoris exuvias reconderet. Sic enim scribit [1]. *Ingredienti Basilicam veterem per Portam Iudicii, a sinistra in fine ultimae navis, visebatur Sacellum S. Gregorii, translatum una cum Corpore ejusdem a Pio II. ex loco, ubi pridem jacebat in porticu* (innuit heic Oratorium, seu Cellam Porticui adnexam) ad Altare ab ipso Pio erectum *cum Ciborio, in quo reponeretur Caput S.* Andreae *Apostoli e Graecia allatum*. Quod a *Pio* II. *non absque mysterio* praestitum esse, una cum Turrigio, qui idem [2] affirmat, subjungit. *Sapienter* enim *a Pio factum est*, quemadmodum recte animadvertit Grimaldus, *ut illius SS. Praesulis sacrum Corpus in Altari reconderetur, cui superne Caput gloriosissimi Apostoli* Andreae *intra Ciborium immineret, qui dum vixit, tanto studio, ac devotione ipsum Apostolum coluit, ut paternas aedes in Clivo Scauri, Ecclesiam ejus nomini, honorique construxerit, atque dicaverit*.

Huc etiam spectant, quae idem Severanus alio loco memoriae prodidit. Ait enim [3], die VIII. Januarii anno MDCVI. *Gregorii* Corpus *denuo* fuisse translatum, uti ipse testis oculatus videre potuit, a Paullo V. in *Cellam Clementinam*, quae e regione Gregorianae nunc est, a Gregorio XIII. in nova Basilica magnifice constructae, *et exstractum ex Altari S. Andreae, ad quod in* secunda *translatione fuerat portatum a Pio* II. *anno* MCCCCLXIV. Quapropter quis non videt, Severanum, quum *Pii* translationem *secundam* nominet, ab ea longe diversam putasse, quam a

1 p. 58. 2 p. 25. 3 p. 135.

Gregorio IV. factam, ex Anastasii, et Joh. Diaconi testimonio ignorare minime poterat?

Sed quid plura? Grimaldum denique rursus audiamus, qui clarius etiam nos alibi rem docet, ipsamque novi Altaris a *Pio* II. erecti distantiam a veteri Cella, quam *Gregorius* IV. construxerat, accuratissime describit hoc modo [1]. *A quo dehin loco idem Pius Papa transtulit Corpus Sancti Doctoris Gregorii, et* in Altare ab se magnificentius exstructo, *a dicto loco palmis circiter* XV. *distante, intra nobilem Concham marmoream posuit, ac firma crate undique munivit*.

Verum, ut tandem aliquando hunc locum absolvam, tota res eò redit, ut hoc Altare, recte quidem *Cella Gregoriana* appellari possit, eo quod non tam S. *Andreae*, cujus in honorem *Pius* II. illam erexerat, quam Divo *Gregorio* sacra fuerit, cujus exuvias, e loco, ubi pridem a *Gregorio* IV. positae fuerant, in eam transtulerit. Falsum tamen omnino est, quod supra allati Scriptores sibi persuaserant, hanc Cellam illam ipsam fuisse, quam ad *Gregorii* M. cineres recondendos, *ante novellum Secretarium Gregorius* IV. excitavit.

§. II.

Sollemnium Caeremoniarum, quae in eadem Cella peragebantur, indicatio.

Reliquum nunc esset, ut sollemnes quasdam Caeremonias, pro quibus hujusmodi Cella, in *Pontificum consecratione*, et in *Imperatorum coronatione* maxime inserviebat, explicarem. Sed, quum de iis fuse disserendum sit, postquam aliae Cellae Gregorianae veteris Basilicae fue-

[1] fol. ms. 38.

rint illustratae, iccirco ea opportunius infra rejicimus; ex quibus illud etiam constabit, Vgonium, aliosque etiam Scriptores vehementer errasse, qui in eadem Cella, *Basilicae Vaticanae Secretarium* agnoverunt.

Heic tamen obiter adnotandum esse duco, quod copiosius alibi declarabimus, postquam *D. Andreae Templum* a Symmacho erectum, *D. N. Mariae Febrifugiae* titulo venire coepit, statutum esse ad memoriam veteris ritus, in S. Andreae Templo olim peracti, retinendam, ut in hoc eodem Altari a *Pio* II. constructo, Episcoporum consecrationes, et Sacerdotum ordinationes, a Pontifice sollemni more peragerentur. Ac propterea ibidem, eadem de caussa, vix Oratorium a *Gregorio* IV, in *Gregorii* honorem excitatum, ubi nonnullae in Pontificum consecratione, et Imperatorum coronatione caeremoniae servabantur, *D. N. Mariae Febrifugiae* consecratum fuit, sancitum est, ut, quô *Gregorii* cineres translati fuerant, nimirum in hac Cella, quam Pius II. erexit, ex veteri more celebrarentur. Siquidem Romani Pontifices omnes caeremonias, quibus pridem in sejunctis Altaribus *Andreae*, et *Gregorii* fungebantur, in eodem loco, ubi divinitus a *Pio* conjuncti fuerant, deinde obire voluerunt. Praeterea pari modo, quo eadem Imago *B. M. Febrifugiae*, quae primum in *Andreae* Templi a *Symmacho* exstructi pariete depicta fuit, ut alibi planum fiet, eidem Templo pristinum *Andreae* nomen auferre coepit; quod demum plane oblitteratum fuit, postquam *Pius* II. *Andreae* Caput in Cella, de qua nunc agimus, collocavit, sic ad *Oratorium Gregorianum* deinde translata, quum *Symmachi* Templum pro *Sacrario* inservire coepit, celebritate sua, et hujus Oratorii nomen delevit. Ac profecto *Gregoriani* nominis

mutatio, etiam ex hoc eodem Altari, quô *Pius* II. *Gregorii* Corpus antea invexerat, initio repetenda. Sed haec omnia, quae nunc fortasse obscuriora videri possunt, loco quaeque suo, quantum quidem fieri poterit, perspicue explicata, suo in lumine collocabimus.

§. III.

Altaris, et sepulcralium Monumentorum, quae ibidem exstabant, descriptio.

Nunc potius nonnulla ad hanc Cellam spectantia juvat heic adjicere, fortasse lectoribus non injucunda.

Ibidem Franciscus Bandinus Piccolomineus, Senarum Archiepiescopus, et Pii III. Pronepos, *magnam marmoream Andreae Apostoli Statuam, multo pretio redemptam*, docentibus Alpharano [1], et Vgonio [2], erigendam curavit, sub cujus basi tumulum sibi constituit, hujusmodi inscriptione, quam ex aerea tabella marmori affixa, Phil. Dionysius ab Vghellii mendis [3] expurgatam protulit [4].

D. O. M.
FR. BAN. PICOL.
ARCHIEP. SENEN.
VT IN BASE . D. ANDREAE
OSSA
HIC RESVRRECTIONEM
EXSPECTANT

Id etiam altera prodit Inscriptio marmori insculpta, quae primitus in ejusdem *Andreae* simulacri Basi collocata

1 ms. p. 35. In questo medesimo Altare nelli tempi nostri fu posta una Statua de S. Andrea Apostolo excellemissima, fatta fare dal R. Francesco Bandino de Piccolomini Arcivescovo di Siena, Pronepote delli Pontefici Pii II. III. de Casa Piccolominea con questo Epitaffio.

2 Stazioni di Roma ..p. 99.

3 T. III. Ital. sacr. col. 579.

4 Tab. LXIII. num. 3. pag. 164.

fuisse videtur, et modo in Vaticanae Confessionis Hypogeo ad Occidentem adservatur. Hanc primum edidit Turrigius [1], qui eam se in horto quodam offendisse narrat; sed multo rectius Dionysius recudit, atque illustravit [2], ex cujus exemplo nos eam rursus heic exhibemus.

DIVO . ANDREAE
D. N. IESV . CHRISTI
APOSTOLO . S. PETRI
GERMANO . GENTIS
PICCOLOMINEAE
PATRONO
F. BAN. PICCOLOMINEVS
ARCHIEP. SENEN. PII III.
PRONEPOS . CVM . HIC . SIBI .
INFRA . STATVAM . DIVO
SVIS . SVMPTIBVS . POSITAM
LOCVM . AD . SEPVLTVRAM
ELEGISSET . EIVSQ. TVTE
LAE . ANIMAM . SVAM . COM
MENDATAM . ESSE . CVPERET
DD.
ANNO . SAL. MDLXX.
AETATIS . VERO . SVAE
AN. LXV.

Recte autem Dionysius notavit [3], perperam *Pii* II, quod item Alpharano [4] excidisse vidi, pro *Pii* III. nomine, in Turrigii exemplo occurrere, qui praeterea eodem titulo Archiepiscopi Senensis, qui et Francisco Piccolomineo S. Eustachii Diacono Cardinali, Senensi nuncupato, communis fuit, fortasse deceptus, dotem, quam

1 p. 231. 2 Tab. LXXVI. p. 87. 3 p. 187. 4 ms. p. 35.

huic Cellae Franciscus Cardinalis adsignavit, a Francisco Bandino, nunquam purpura insignito, donatam fuisse scripsit.

Siquidem praeter Alexandri VI. diploma [1], quod luculentissime declarat, Cellam hanc a Card. Piccolomineo, novo censu ditatam fuisse, id etiam aperte confirmat Jacobus Grimaldus hujusmodi verbis. *Pius morte interceptus Sacellum non absolvit, nisi dumtaxat Ciborium. Absolvit Franciscus Nepos Card. sub Alexandro* VI, *parastatis tiburtinis, novo fornice, atque sepulcro memorato, optimamque attribuit dotem ad sacra inibi futuris temporibus peragenda, ut ejusdem Alexandri diploma satis manifestat, de jure Patronatus Piccolomineorum. Ciborium ornatum erat laminis magnis serpentinis integris ovatis pulcherrimis, atque porphyretis, a lapicidis in ejus demolitione, non sine animi mei dolore, raptis, et aliunde distractis, nitebaturque supra quatuor columnis aegyptiacis rubris. In Altari, cui Ciborium imminebat in Concha lapidea orientalis granniti crate ferrea undique cincta quiescebat Corpus S. Gregorii M.* I. Praeterea haec etiam, uti adnotarunt Bull. Vat. editores [2], memoriae tradidit. *Hoc Altare Antonius Latiosus, nobilis Foroliviensis, Canonicus Altarista, et Camerae Apostolicae Clericus, anno* 1484. *pro uno perpetuo Capellano inibi Missam celebraturo dotavit. Dehin Franc. Piccolomineus Card. Senensis Pii secundi Nepos, qui et ipse Pius Tertius dictus est, Sacellum novo fornice, parastatis, nobilique marmoreo sepulcro, Pio avunculo erecto, ornavit, et dote nova aucta donavit*. Quae quidem iis recte consonant, quae supra legimus apud Jacobum Volaterranum.

Nam anno MCCCCLXIV, uti refert Card. Papiensis [3], *septimo die, postquam Ancona discessum est*, ubi *Pius* de-

1 T. II. Bull. Vat. p. 283. 2 T. II. B. V. pag. 283. 3 lib. II. Commentar.

cessit, qui aegrotans eô se contulerat, ut foederatorum Principum classem adversus Turcas acrius incenderet [1], *reversi in Vrbem Patres sunt, et Cadaver Pii Templo S. Petri illatum, sepultumque* in Andreae Apostoli Cella, *quam ille vivens, pulcherrime adornatam, ossium suorum, et sacri Capitis tabernaculum esse voluit*. Quod et a Panvinio memoratur, qui de *Pio* haec scriptis consignavit [2], ab Alpharano [3], et Ciacconio item relata [4]. *Pii II. Papae Senensis Corpus sepultum*, in marmoreo sepulcro, ut Stella [5], et Oldoinius [6] adnotarunt, a Pasquino Politiano, celebri illius aevi artifice elaborato, *retro Altare SS. Andreae, et Gregorii cum hoc ellogio, quod adhuc exstat.*

Pius II. Pontifex Maximus natione Tuscus
Patria Senensis, Gente Piccolominea.

Sedit annos sex. Brevis Pontificatus. Ingens fuit gloria. Conventum Christianorum Mantuae pro fide habuit; Oppugnatoribus Romanae Sedis, intra, atque extra Italiam restitit; Catharinam Senensem inter Sanctas Christi retulit; Pragmaticam in Gallia abrogavit; Ferdinandum Aragonensem in Regnum Sici-

1 V. Vitam Pii II. in Joh. Ant. Campani Opp. Venet. 1500. fol. p. 78. praemissam Aeneae Sylvii Opp. Basil. 1571. fol. et in T. III. rer. Ital. Murat. p. 967. Leodrisii Cribelli lib. II. de expeditione Pii II. Papae in Turcas. in Tom. XXIII. Rer. Ital. Murator. pag. 21.

2 T. II. ms. p. 126.

3 In mezo la Cappella alla pariete della Chiesa, verso il Levante, vi è il Sepolcro excellentissimo de Pio II. de marmo indorato, con sepoltura del Capo de S. Andrea Apostolo, quando fu transferito in Roma nel tempo del suo Pontificato, et ornata tutta questa Cappella dal detto Pontefice con volta, et fatto sopra l'Altare de S. Gregorio in tabernaculo, per servare detta venerabile testa del glorioso Apostolo Andrea, fatto de marmo excellentissimo, dentro al quale sino adesso se ne conserva d. Ven. Capo coperto d'argento. Sotto quest'Altare reposa il Corpo del BB. Gregorio Magno PP. I. in conca de marmore, et circundata de' Cancelli de ferro, posto da Gregorio PP. IV. et restaurato dal prefato Pontefice Pio II. et in d. Cappella molti altri Sommi Pontefici, come racconta Pietro Mallio in fol. 19. e Vegio fol. 13.

4 T. II. p. 1023.

5 apud Papebr. in Con. Cron. hist. p. 132.

6 T. II. Ciaccon. pag. 1028.

liae eis fretum restituit, rem Ecclesiae auxit; fodinas inventi tum primum aluminis apud Tolfam instituit; cultor Iustitiae, et Religionis, admirabilis eloquio, vadens in bellum, quod Turcis indixerat, Anconae decessit; ibi et classem paratam, et Ducem Venetorum cum suo Senatu, Commilitones Christi habuit. Relatus in Vrbem est, Patrum decreto, et hic conditus, ubi Caput Andreae Apostoli ad se ex Peloponneso advectum, collocari jusserat. Vixit annos LVIIII. *menses* IX. *dies* XXVII. *Franciscus Cardinalis Senensis Avunculo sanctissimo fecit anno* MCCCCLXIIII.

Humi in tabula marmorea

PIVS II. PONTIFEX MAXIMVS

Post haec Panvinius Pii sepulcrum ita describit. *Pii III. Senensis Corpus prope Avunculum Pium II. juxta Altare* SS. Andreae, et Gregorii, *cum hoc ellogio conditum est.*

PIVS III. PONTIFEX. MAXIMVS

a Pio II. Avunculo, duos, et viginti annos natus, in Cardinalium Collegium adscitus, Vrbis, et Piceni Legatione integerrime functus, a Paulo II. ad Federicum III. missus, ut Germanorum arma in Turcas concitaret, conventum frequentissimum, Pontificis morte dissolutum habuit; sub Innocentio VIII. Vmbros dissidentes pacavit; Gallorum Rege Italiam inrumpente, ab Alexandro VI. sero admodum obviam missus, eo mortuo, duodequadraginta Patrum suffragiis Pontifex creatus, dum de restituenda in pristinam majestatem Christiana Republica, ac Vrbe agit, vI, *et* XX. *die, e tanta exspectatione rerum, publico omnium luctu decessit. Eloquio, prudentia, religione, innocentia, et gravitate, domi forisque insignis, in dicendis in Senatu sententiis liber, et gravissimus. Vixit annos* LXIIII. *menses V. dies x. Obiit anno salutis Christi* MDIII. *XV. Kal.*

Novembris. Jacobus, et Andreas Fratri sanctissimo posuere.

Humi in tabula marmorea

PIVS III. PONTIFEX MAXIMVS

Haec eadem refert Ciacconius [1], qui haec ex Turrigio adjecit de hac eadem Cella, quin tamen ejus errorem [2] supra notatum sequutus sit. Cappella S. Andreae Apostoli a Pio II. erecta, *a Francisco ejus Nepote S. Eustachii Diacono Cardinali dotata, ad commodam unius Cappellani substentationem, ut quolibet die dominico Missam, et secunda, quarta, et sexta feriis, et Sabbato secundae hebdomadae, et sic perpetuo alternatim singulis hebdomadis. Item singulis D. N. I. C., Beatae Virginis, ac SS. Apostolorum, et Evangelistarum, S. Gregorii Papae, S. Ioh. Baptistae, atque S. Laurentii festivitatibus, nec non die omnium Sanctorum, Missae Sacrificium peragere teneatur, relicto jure praesentandi familiae de Piccolominibus, in institutione vero Canonicis reservato.*

Sed, quum Alpharanus, morem suum servans, haec omnia accuratius, diligentiusque descripserit, adjecta ceterorum monumentorum, quae in hac Cella exstabant, indicatione, ne pigeat, eum etiam de eodem Altari disserentem audire. *Sequitur*, inquit [3], *Pii III. Sepulcrum* [4] *elegan-*

1 T. III. pag. 214. 2 p. 210.

3 ms. p. 35.

4 num. 81. Appresso questo sepolcro, et porta, seguita una sepoltura elegantissima marmorea deaurata con bellissime figure de rilievo deaurate, de Pio PP. III. con questo epitaffio.... El Corpo di questo Pontefice fu sepolto accanto al Corpo de Pio II. nel pavimento, addietro all'Altare de S. Gregorio, con questa semplice Inscriptione in tabula marmorea.... Appresso questo sepolcro de Pio III. nella medesima parete fu sepolto il SS. Papa Pio V. nelli nostri tempi l'anno del Signore 1572. Il terzo di de Maggio in sepolcro laterizio, et bianchissimo, tutto istuccato con questa Iscrizzione, o titulo.

PIVS V. PONT. MAX.

Id item in Necrologio Bas. memoratur hujusmodi verbis. A dì 1. Maggio 1572. morse la felice memoria di Pio PP. V, e fu sepolto in S. Andrea. *Sed cetera ab Alpharano audiamus.* Vn palmo discosto dal sepolcro de Pio V. nella medesima pariete della Chiesa dentro la medesima Cappella de S. Gregorio vi è il sepolcro de Julio III. fatto de mattoni, et depento con questa Iscrizzione, advertendo, che

tissimum e marmore pario deaurato exstructum, diversis eximiis sculpturis exornatum, cum epitaphio marmori insculpto, ante quod est sepultus Franciscus Bandinus Piccolomineus Archiep. Senensis, juxta quod sequitur etiam Pii V. [1] *lateritius tumulus opere tectorio factus, cujus almi Pontificis Corpus, Sixto V. Sum. Pont. die 9. Mens. Januarii* 1588. *translatum fuit ad Ecclesiam S. Mariae Majoris ad Cappellam S. M. ad Praesepe. Huic etiam proxime sequuntur aliud sepulcrum* [2] *Iulii III. etiam lateritium, quo etiam in loco Hadriani VI. Corpus per aliquod tempus . . . jacuit, postea ad Ecclesiam S. Mariae de Anima in eximium sepulcrum translatum fuit; juxta quod sepulcrum in angulo hujus navis prope parietem ad Orientem sepulta fuit Constantia de Piccolominibus Pii III. consanguinea, Dom. Petri Latini quondam uxor. Deinde in eodem pariete sequitur eximium Pii II. sepulcrum* [3] *tumulo Pii III. simile, ante quod sub marmoreo lapide dictorum Piorum II, et III. Corpora* [i]*humata fuere. Nostris vero temporibus ante dictum lapidem Pii II, Franc. Bandinus de Piccolominibus Pii II. Pronepos, et Senarum Archiepiscopus dignissimus, huic sub tabula marmorea sepulcrum vivens sibi elegit.* Ac demum, *inter Altare, et minorum navium columnas, Gregorio XIII. P. M., sepultam* fuisse narrat *D. Agnetem de Columna* [4] S. Andreae *Apostoli devotissimam, et Honorati Cajetani Sermonetae Ducis uxorem sub eximia marmorea tabula, elegantissimis aeneis figuris exornata* [5].

era nel medesimo luogo il sepolcro de PP. Adriano VI, qual poi fu trasferito a S. Maria dell'Anima.

JVLIO III. PONT. MAX.

Appresso a questo sepolcro de Julio III. al cantone della pariete verso Levante della Chiesa, et Cappella, fu sepolta la Sig. Costanza Picolominea moglie, che fu del Sig. Pietro Latino parente delli Pontefici Pii II, et III. de familia Picolominea.

1 num. 82. 2 num. 83.

3 num. 84.

4 num. 86.

5 Per uscir fuore de questa cappella, ap-

yyyy

Vides igitur ex hac Alpharani descriptione, *Pelagium* I, quem heic una cum aliis Pontificibus humatum fuisse, haud recte post Vgonium [1], scripsit Ciampinius [2], minime esse nominandum, quum, uti supra docuimus, idem Pontifex sepultus fuerit *ante Vestibulum Secretarii antiquissimi*. Heic potius addas, licet, Grimaldo [3] auctore, *Marcellum de Nobilibus Sergianensem, doctum Philosophum, Clementi VIII. amicum, et familiarem, qui die 29. Januarii 1594. accepit possessionem Canonicatus vacantis per obitum D. Pauli Palelli, et fato functus die 22. Maii 1595*, ut in altero MSS. Archivi Bas. Vat. adnotatur, *in aede S. Andreae tumulatus fuit*.

Verum, ut novum Templi Vaticani aedificium per-

presso alla porta a piede la II. colonna de questa Nave della Chiesa nel pavimento vi è un deposito in tavola marmorea con questo titolo.

PETRO RAYMVNDO A COSTE HISPANIAE CITERIORI
ORIVNDO HIEROSOLYM. HOSPITAL. MAGISTRO QVI GENERALI CAPIT.
PAVLO II. P. M. IVSSV ROMAE ABSOLVTO
LXIV. AETATIS SVAE ANN. VITA FVNCTVS EST
CONSILIO PIETATE ARMIS INCLYTO
HOC MON. RELLIGIONIS DECRETO PATR. O. M. POSITVM.

Questa tavola fu trasferita l'anno 1574. ma non il Corpo del defonto dalla sopradetta II. colonna alla III. per acconciare il pavimento della Chiesa. Ma nell'anno 1578. a piè della I. colonna, dentro la detta Cappella di S. Gregorio, fu sepolto il corpo della Illma Sig. Agnesina Colonna moglie del Sig. Honorato Gaetano Governatore di Borgo, nel tempo di Gregorio XIII. con questo titolo in tavola di marmo, ornata di metallo.

D. O. M.
AGNESINAE COLVMNAE CAETANAE
SINGVLARI PVDICITIAE PRVDENTIAE RELIGIONIS EXEMPLO
FELICI FOECVNDITATE INSIGNI
HONORATVS CAETANVS CONIVGI RARISSIMAE,
CVM QVA IIXX. ANN. VNO ANIMO VIXIT
POS. VIXIT ANNOS LX.
OBIIT VI. KAL. MAII MDLXXVIII.

Id etiam ita memoriae tradidit Necrologium Bas. Aprile 1578. fu sepolta la Illma Sig. Agnesina Colonna Caetana, moglie dell' Illmo Sig. Honorato Caetano ai 29. d. in S. Pietro appresso l'Altare di S. Andrea.

1 p. 99. 2 p. 10. 3 in l. Descend. Can.

ficeretur, anno MDCVI. Altare dejectum fuit, aliôque Pontificum cineres translati. Quae quum memoriae diligentissime consignaverit Iacobus Grimaldus, lubet ex eo rem accipere, ut perspecto hujus Altaris initio, ejus etiam finem inspiciamus. Ait itaque [1]. *Aperitio sigilli Altaris S.* Andreae, *die Veneris decima quinta Septembris* MDCVI. *R. D. Germanicus Fidelis Canonicus, Major Sacrista, aperiri jussit sigillum in medio tabulae veteris* Arae Sancti Andreae, et Sancti Gregorii, *clusum lapide africano cum Cruce auricalchi habentem lunas, stemmata Pii secundi, intra quod erat vasculum rotundum stamneum cum reliquiis S. Praxedis Virginis, Sanctorum Alexandri, et Theodori Martyrum, et Sancti Martini, quas stola, et luminibus idem detulit in Sacrarium, et cum aliis recondidit, praesentibus R. D. Francisco Victricio Clerico Beneficiato, et Domino Iohanne Fucigna testibus ec.*

Deinde post duorum annorum spatium, Pii II, et III. monumenta aliô translata fuisse docet idem Grimaldus, cujus verba ex Philippo Dionysio, qui eadem aere incisa repraesentavit, atque illustravit [2], excerpta recitamus. *Die* 13. *Novembris* 1608. *fuit aperta coram Ill. et R. Metello Bichio Senensi, Soanae Episcopo, et Ill. et R. D. Alberto Magno Subdiacono Apostolico, Tumba, in qua jacebat sanctae memoriae Pius Papa II, subjecta immediate ejus sepulcro marmoreo, retro* Altare Sancti Gregorii Papae, *in quadam capsa lignea. Corpus sacris vestibus erat indutum, sed in ossa redactum: tumba a capite ad pedes cruces habebat; nitebatur capsa ferreis sbranchis per transversum positis. Supra Corpus in lamina plumbea ita scriptum erat.*

1 fol. 185.

2 pag. 127. Tab. XLIX.

PIVS II. PONT. MAX. PATRIA. SENENSIS
GENTE PICCOLOMINEA. SEDIT ANNOS VI.
OBIIT ANNO SAL. MCCCCLXIIII.

Illatum fuit sub hoc fornice novi pavimenti, et pilo marmoreo sacris imaginibus Christi, et B. Petri, aliorumque Sanctorum sculpto conditum, atque clusum, inter Bonifacium VIII. et Hadrianum IIII, ac Pium tertium. Tumba habebat literas

PIVS II. PONT. MAX.

Idem Dionysius [1] urnam marmoream ex loco, ubi nunc Subselliarium Basilicae exstat, egestam illustrans, in qua translatum *Pii III.* Corpus reconditum fuit, haec etiam ex ejusdem Grimaldi autographo [2] in lucem emisit. *Die* 12. *Novembris* MDCXIII. *fuit aperta tumba fel. record. Pii Papae III, Pii II. Nepotis, sita ad pedes Pii* II. *Pars superior marmoreae tabulae tegentis tumbam habebat literas incisas*

PIVS PAPA III.

Pars vero inferior ejusdem tabulae habebat imaginem ipsius summi Pontificis Pii III. in diaconali habitu. Corpus erat indutum sacris vestibus Papalibus cum Planeta aurea cum aurifrigio operis Basilici acu picto, in ossa redactum, in capsa lignea. Fuit sepultum in arca marmorea integra, et magna juxta Pium II. cum tegmine supradicto marmoreo, habente imaginem ejus, cujus arcae mentio fit in fol. 185. *in qua sculptum est signum Christi in fronte, et a lateribus.*

Verum, dum Bas. parietes exscinderentur, Card. Alexander Montaltus, Paullo V. annuente, Pii II, et Pii III. cineres ad Aedem S. Andreae, vico Valle, in domo Piccolomineorum magnifice ab se exstructam, transferendos curavit, ubi utriusque monumenta, alterum ex alterius regione, edito loco, super ostia lateralia hodieque visuntur.

1 p. 123. Tab. XLVIII. 2 p. 185.

CAPVT VIII.

De Aulis Sanctimonialium, vulgo le Murate, Cellae SS. Andreae, et Gregorii continentibus.

Sed, ne e rerum ordine longius evagemus, rursus ad Vaticanam *SS. Andreae, et Gregorii* Cellam, unde nos paullulum rerum nexus abstraxit, nos conferamus, ut alia loca eidem contigua cum Alpharano perlustremus. Is igitur docet [1]. *Post hoc Altare extra Bas. latera, et juxta* Secretarium *erat Oratorium antiquum, quod adhuc superest, cui dicatum, ignotum, in quod translatae, clausaeque fuerunt Sanctimoniales, vulgo* le Murate di S. Pietro, *quae inter S. M. de Febribus, et S. Petronillae Templa, juxta S. Ioh. Chrysostomi Sacellum, quibusdam in Aulis antiquitus clausae Deo serviebant*. Haec eadem alibi ita confirmat. *Adietro alla pariete della Chiesa, et adietro a questo sepolcro per insino al* Secretario, *se vedono vestigie de doi Cappelle aggionti alla Chiesa, delle quali una ancora è in piede, l'altra è deformata. Et in questi luoghi, nel tempo della ruina della Chiesa, furno trasferite le Monache* Murate, *quale habitavano in certe stanze fra la Cappella, o Tempio de S. Petronilla, et il Tempio di S. Maria della Febre, (quale adesso è* Sagrestia*), nel transito, che se andava da l'un Tempio all'altro, appresso all' Altare di S. Gio. Crisostomo.*

Plura de nonnullis earum, quas modo *Oblatas*, aut *Hospitalarias*, modo *Reclusas*, aut *Carceratas* dictas fuisse comperi, ibidem vita functis, in Bas. Necrologio adnotata obversantur, quae non alienum puto heic transcribere [2]. XVI. *Kal. Maii. Obiit Alegranza Oblata nostra, de cujus*

1 ms. p. 34. 2 pag. 53.

bonis habuimus ad valorem xx. Sol. pro cujus anniversario vII. *Sol. expendantur*; et paullo infra [1]. vIII. *Idus Iunii. Obiit condam Soror Stephania* Carcerata S. Andreae, *quae donavit, et reliquit Basilice flor. auri septuaginta cum dimidio, conversos in emptione quarti de Saxitanis. Expendantur pro anniversario suo Libr.* IIII. Fortasse huc pertinent haec alia ex eodem libro desumpta [2]. *Prid. Id. Novemb. Obiit D. Bartholomea, condam* Hospitalaria *nostra, que reliquit nostre Bas. unam domum suam cum signo Ancudinis, positam in Parrochia S. Iacobi Scossacaballi, pro animabus Patris, et Matris suorum, ac omnium Benefactor. suor. pro quorum Anniversario expendatur pensio dicte domus.* vIII. *Idus Martii. Obiit D. Francisca Petri Scorfini, Oblata nostra, de cujus bonis habuimus sexaginta sex floren. Expendantur pro anniversario suo* XXIII. *sol. bone monete* [3]. IV. *Kal. Maii. Obiit Soror nostra Luciana relinquens, Basilicae domum suam positam in Monte Saccorum, in Parrochia* S. *Iustini, pro anniversario suo, et parentum suorum, et Laurentii Viri sui. Expendantur suo anniversario* vII. *Soll.* [4]. XIV. *Kal. April. Obiit D. Theodora Reclusa, filia olim Stephani Cozole, que reliquit nobis unam domum in Arenula. Pro anniversario suo expendatur pensio ejus, site in Parrochie S. Thomae de Yspanis* [5]. *Obiit D. Romana Oblata nostra, que reliquid nostre Basilice plures domos. Pro anniversario suo expendatur florenus unus. Non. Iulii. Obiit Principissa oblata nostra, relinquens Basilice* xvI. *libr. pro anniversario suo* vII. *Soll. prov.* [6] III. *Non. Decembr. Obiit D. Isabella Oblata nostra, que reliquid nobis pro anniversario suo, et suor. domum suam positam prope Pontem S. Marie, sicut suis concluditur confinibus, signatam habuimus de domo* XXXV. *libr. expendat. pro d. anniversario pensio ipsius domus x. soll. bone monete* [7].

1 p. 79. 2 p. 160. 3 p. 33. 4 p. 59. 5 p. 59. 6 p. 94. 7 p. 118.

Praeterea habeat Lector ex Turrigio desumptas duas Inscriptiones ad easdem Moniales pertinentes. Altera earum, quae in Aede Campi Sancti, pone aram B. Virginis exstabat, sic habet [1].

IOHANNAE NOBILI LEODIENSI
MATRONAE DVLCISSIMAE SORORI MARIAE
QVAE RECLVSA IN VATICANO
RELIGIOSISSIME DIVTISSIMEQVE VIXIT
ET MORTVAE POSVIT
DIE XXVIII. SEPTEMBRIS AN. DOM. MCDLXXIV.
IOHANNA REVELAR DE RIFFONE AVRI LEODIENSIS.

Alteram vero in Aede S. Catherinae ab se descripta, humi positam fuisse docet [2].

D. O. M.
ELISABETHAE VXORI QVONDAM ALIDOSII
DE FORZATE FERRARIENSI
QVAE VT SALVTI SVAE FILIAEQVE VNICAE
ADOLESCEN. INTEGRITATIS TORO MORVMQVE
OBSERVANTIAE PIE CONSVLERET
SPRETIS FALLACIBVS MVNDI DELICIIS
SPONTE SE CVM EIVS FILIA IN
BASILICA B. PETRI DE VRBE
DIVINO SERVITIO MANCIPANDAM INCLVSERAT
FRANCISCA FILIA MATRI PIENTISS.
PONENDVM CVRAVIT.
VIXIT ANNOS XXXII. MENS. IX. DIES XX.
OBIIT XXIV. SEPTEMB. AN. DOM. MDXXII.

Denique ex elencho, quem texuit idem Turrigius, eorum, qui Bas. Vatic. Eucharistico Sodalitio nomen dederant, pauca haec earumdem Monialium nomina [3] accipito. *Sor Dorotea*, *Sor Maria*, *Sor Franceschina*, *Sor France-*

1 in Opusc. cit. p. 39. 2 ibid. p. 40. 3 ibid. p. 55.

sca , *Sor Elisabetta Spagnola* , *Sor Caterina Spagnola* , *e Sor Maria Spagnola* , quas promiscue *le Racchiuse* , *le Murate* , *l'Incarcerate* , vulgo dictas fuisse monet . Porro Sanctimonialium Monasterium , muris undique obseptum , *Muratae* nomine indicatur in vita S. Iustinae de Aretio , ubi haec occurrunt [1]. *Ad quamdam* Muratam , *quae tunc temporis juxta Ecclesiam S. Antonii facta erat* , *in qua Sorores aliquae Deo servientes* , *accessit* . Quum vero Pachymeres [2] Κουβουκλεισίους , quasi clausos cubiculo nuncupaverit , quos *inclusos* Latini vocant , propterea *inclusae* , sive *reclusae* dicebantur Sanctimoniales illae , quae in Cellas , vitae solitariae studio , sese includebant , ut ibi , toto vitae cursu , Deo , ac sibi vacarent . Non paucas , quae id instituti sectatae sunt , recensent Gregorius Turonensis [3] , S. Brigitta [4] , Willelmus Malmesburgensis [5], atque acta SS. [6] .

Vaticanas Sanctimoniales etiam Burcardus [7] *inclusas* ap-

1 num. III.

2 lib. VI. c. II. p. 491. ex epist. I. 66. Nili libri II. XCVI. ex Anon. script. Vitae S. M. jun. in Vat. Cod. 800.

3 lib. VI. cap. XXVII.

4 in Revelat. l. IV. c. CXXVII , et CXXVIII.

5 lib. III. Hist. p. 112.

6 B. Haseka Virgo Reclusa in Westphalia . Vita cum comm. praevio in Tom. II. Januar. Bolland. pag. 758. God. Henschenii de S. Helmtrude , vel Helentrude Reclusa in Diaec. Paderbonensi Sylloge historica. in Tom. VII. Maij pag. 441. De B. Helvisa Reclusa in Monast. Columbensi notitia. in Sec. VI. act. SS. Ord. S. Bened. Part. I. pag. 365. De B. Joanna Reclusa Ripatorii in Diaec. Trecen. T. I. Maij pag. 534. B. Irmgaudis Reclusa Magdeb. in Tom. III. Februar . B. Ivettae , sive Juttae Viduae Reclusae Huluin. Belg. Vita in T. I. Januar. pag. 863. S. Justinae Reclusae Aretii. in Vita T. II. Mart. pag. 242. S. Liutbirgis Virg. Reclusae in Diaec. Habberstad. vita . in Bernard. Pezii Thesaur. Anecd. Tom. II. Par. III. pag. 145. Joh. Pinii de B. Richilde Virg. Reclusa Summontorum prope Oenipont. Sylloge . in Tom. IV. Augusti pag. 649. S. Monegundis Viduae Reclusae Turon. in Gallia vita ex Greg. Turon. apud Surium d. 2. Jul. p. 28. Eadem collata cum aliis edition. Accedit Officium B. Monegundis cum Comm. praevio , et notis Joh. B. Sollerii . in Tom. I. Julii Bolland. pag. 309. Vita B. Salomes Reclusae Altaich in Bavar. cum comm. praevio , et not. Dan. Papebrochii . in T. V. Junii p. 492. Vita Ven. Wilbirgis Virg. Inclusae Sanflorianens. ex edit. Bern. Pezii in Hieron. Pezii Scriptor. rerum Austriac. Tom. II. p. 212 , et 276.

7 in Diario mss. ann. 1488.

pellat. Verum ne pigeat pudicissimas Virgines e cubiculis, ubi hactenus clusas, per transennam strictim adspeximus, egredientes ad nova Vrbis hospitia, quô deinde translatae fuerunt, quodammodo comitari. Earum emigrationem narrat Alpharanus in hunc modum. *Denique iis, Pii V. jussu, intra Vrbis Monasteria collocatis, hic novissimae commoditati Basilicae designatus est locus; sed quum ad dictum Oratorium non reperiretur accessus, novusque aditus adaptaretur, tunc in parietum spissitudine praedicta absidula, et Altaris vestigia reperta fuerunt*. Haec eadem alibi ita declarat. *Adesso l'anno del Signore* 1570. *nel Mese de Maggio dette Monache furno trasferite al Monastero de S. Marta in Roma, et in questa Cappella è stato fatto repositorio d'alcune cose della Chiesa, et de sopradette Capelle furno fatte stanze per li Parrocchiani, o vero, che hanno cura delle anime della parrocchia de S. Pietro. Appresso al sopradetto sepolcro de Gregorio V. adesso, quando fu fatta una porta nuova per entrare in detta Cappella, fu retrovato un nicchio antichissimo nel muro a modo de loco d'un Altare, quale io ho giudicato, fusse un de quelli Altari de S. Sebastiano, o Tiburtio, quale scrive Pietro Mallio, che Gregorio IV. fece erigere in S. Pietro, dentro l'Oratorio de S. Gregorio PP. I. Questo nicchio era proprio, dove è fatta la porta nuova adesso*.

Atque heic libenter adjiciam, quod de iis in quodam opere, lingua vernacula exarato, scriptum occurrit, quodque ex Basilicae Vaticanae Archivo, cui tum summa cum laude praeerat, protulit Iosephus Garampius, Cardinalis ingenti doctrinae, atque ingenii fama celeberrimus, in opere exquisita, ac recondita eruditione referto, quod inscripsit, *Memorie della B. Chiara di Rimini* [1].

1 Roma 1755. 4. p. 62. num. 164.

Ait itaque . *Recordo , come a dì 19. de Maggio* 1571. *di giorno de Sabbato , innante l'Ascensione del Signore , le Monache* Murate in S. Pietro , *quale al presente era tre , doi Spagnole , et una Ceciliana , stavano nelle stanze , accanto la Cappella di S.* Gregorio , *et il* Secretario . *Furno trasportate per ordine delli Sig. Riformatori , et Vicario del Papa , in Santa Martha all'Arco di Camigliano in Roma , et poste in quel luoco , dove se sogliono recevere , et consolare le donne , così chiamate ,* Malmaritate , *acciò dette Murate consolassero dette donne , et esse stessero meglio de stanze , maxime che in S. Pietro sempre erano inferme . Recordo , come fu incomenciato a farse una Cappella , dove stavano dette* Murate , *per riponere cose pertinente alla Chiesa , a di* 1. *Agosto* 1571.

Sed alia quoque huc proferre commodissimum videtur , quae in italico quodam Turrigii commentariolo , de iisdem Monialibus adjiciuntur . *Durorno ,* inquit [1] , *tali Monache sino al tempo di Pio V , il quale nel* 1571. *vedendo , che una sola Monaca , chiamata* Suor Francesca , *vi era rimasta , la trasferì a dì* 19. *di Maggio in Sabato al Monastero di S. Marta , vicino all'Arco detto* Cammelliano , *dirimpetto hora al Collegio Romano ; e così ebbero fine quelle antichissime Monache Vaticane , le quali aveano la parte di pane , e vino dal Palazzo Apostolico , come io ho letto nei libri della Computisteria del detto Palazzo . Ciascuna di esse Monache aveva quattro celle , massime ne' tempi , dopo il lacrimevole Sacco di Roma nel* 1527. *Avevano la lor rota , per la quale si intromettevano le robbe bisognevoli , et eravi una fenestrella , per dove si confessavano , e communicavano . La clausura era perpetua , e l'ultime , che vi morirno , furono due Spagnole , e quella , che viva vi restò , detta di sopra ,*

1 Racconto della Chiesa di S. Catarina V. e Mart. in Borgo p. 58.

era Siciliana . Nel 1. *di Agosto del sopradetto anno fu quel luogo , che era vicino all'Altare de' SS.* Andrea , *e* Gregorio , *trasferitevi dal luogo sopra accennato , fu convertito in uso di conservare alcune robbe spettanti alla Basilica .*

CAPVT IX.

De Sacra Aede S. Gregorii de Palatio nuncupata , sub literis cc.

Ad partem Porticus , quae Septemtriones spectat , literis cc. notatam , occurrit Aedes *S. Gregorii de Palatio* nuncupata , quae ab Innocentio III. inter Ecclesias [1] Vaticano Capitulo subjectas recensetur . Eadem prope Vaticanum Templum posita erat , atque e Basilicae censualibus aperte colligi tradunt Bull. Vat. editores , eidem Vaticanae Basilicae , nedum in Scrutinio , Baptismate , sacrisque pompis , sed etiam in ceteris pleno jure obnoxiam fuisse .

Ejusdem mentio semel , atque iterum occurrit in Necrologio Bas. Vat. Ibi enim legimus [2] . XII. *Kal. Novembr. Obiit Presbiter Iohannes , Rector Ecclesie* S. Gregorii de Palatio, *qui reliquid Basilice nostre florenos auri* XXVII , *et dimidium , de quibus fuit facta emptio a Monasterio S. Sabbae* . Atque alibi [3] . *Obiit D. Iacintus Bobonis , pro cujus Anniversario habuimus domum positam juxta* Palatium , *quod dicitur* S. Gregorius , *pro anniversario suo x. Soll.* In hac aede, *Gregorii* Magni Corpus a *Gregorio* IIII. repositum fuisse , nonnulli tradiderunt . Cui autem non mirum accidet , horum agmen a Ciampinio duci , qui , ut supra vidimus [4] , sacrum idem Corpus a *Gregorio* IV. translatum fuisse scripsit in Cellam , sive Altare , recens a nobis illustratum ? Nihilominus idem sui immemor ,

1 T. I. Bull. Vat. p. 84. 2 p. 149. 3 p. 105. 4 pag. 693.

haec pronunciavit [1]. *Oratorium* S. Gregorii de Palatio *appellatum, exstabat littera E, in quo Corpus ejusdem Sancti a Gregorio* IV. *translatum fuit*. Verum alias quoque lapsum fuisse, sibique ipsi repugnasse Virum ceteroqui eruditissimum, et in sacra antiquitate investiganda sagacissimum, in operis decursu planum faciemus.

Bonannius vero, etsi cum Ciampinio, aliisque hanc Cellam E vocat [2], S. *Gregorii de Palatio, et illuc translatum fuisse S. Gregorii Corpus* adjicit, cautius tamen, a *Gregorio* IV. translatum fuisse praetermittit. Fortasse enim meminit, se scribere, aeque ac Ciampinium, Oratorium S. Doctoris a *Gregorio* IV. in navi meridionali, sub litera D. fuisse constructum. Quod tamen hominem culpa omnino non liberat, sed minus tantum ejus, quam Ciampinii erratum facit. De hoc eodem loco nihil extrices apud Severanum, qui tantum Alpharani ichnographiam [3] sequutus est, ibique *Ecclesiam* agnoscit, *sive Sacellum S. Gregorii*; praetermittit vero tituli adjectionem *de Palatio*, ac nihil de ejus origine memoriae prodit, uti ceteri scriptores, qui praeterea cum Paullo de Angelis, ne ullum quidem ei nomen adscribunt, remque, ut erat, tenebris circumfusam relinquunt.

Ceterum, quum profiteatur Anastasius, *Gregorium* IV. *non longe a Secretarii Vestibulo*, ubi prius quieverant, sacras *Gregorii* exuvias transtulisse, satis, ut mihi quidem videtur, superque declarat, ad Cellam, de qua nunc agimus, nunquam fuisse translatas, quippe quae plane e regione sit opposita alteri in ichnographia notatae n. 85. ubi eas a *Gregorio* IV. locatas fuisse existimarunt.

1 pag. 97. 2 num. 22. pag. 32. 3 ms. p. 48.

CAPUT X.

De Oratorio S. Gregorii de Area, seu de Cortina, et Cantorum Schola ibidem a S. Pontifice instituta.

Alterum *Oratorium Gregorianum* exstabat, *S. Gregorii de Cortina* [1], seu *de Area* nuncupatum, quod Alpharanus [2] collocatum demonstrat in *Platea, pro habitatione Cantorum*. Nam *Platea*, ut docet Cajetanus [3], *Cortina vocatur*. Quis autem credat, *Gregorii* M. exuvias a *Gregorio* IV. illuc avectas, quum positum esset in ipsa Area Vaticana, ante Basilicae gradus, juxta Scholam, seu Collegium Cantorum ab eodem Pontifice, ut tradidit Joh. Diaconus [4], institutum?

Quod tamen pro comperto habemus, ibidem *Lectus* S. Pontificis servabatur, ut accepimus a Guill. Bibl. Stephani VI. biographo, qui sub finem ejus vitae narrat, aqua rite piata, agros ab eo lustratos, eoque piaculo locustarum pestem aversam. *Ad Domini*, inquit, *misericordiam confugiens* in Oratorium B. Gregorii, ubi ejus Lectus habetur, *juxta Ecclesiam Principis Apostolorum veniens, sese cum lacrymis in orationem dedit, quumque diutius oraret, surrexit, et aquam propriis manibus benedicens, Mansionariis praecepit, dicens, tollite, et singulis distribuite, monentes, ut nomine Domini agros suos circumeant, et hanc aquam spargant per sata, et vineas, petentes divinum sibi suffragium, et subsidium. Quo facto, tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, ut, ubicumque ipsa aqua conspersa est; nulla penitus locusta remaneret.*

At, inquies, *Lectus*, seu *Lectulus*, Altare, vel Sancti

1 Turrigius p.188. 2 lit. mm. ichnogr. 3 in Ord. xI. p. 398. 4 lib.1I.c.vI.

tumulum indicare solet, si Mabillonio audimus, qui [1] in descriptione Ecclesiae Gemeticensis, *cujus apicem obtinebat alma Virgo Maria, altare ante faciem lectuli condente beatissimo Filiberto*, utramque significationem allatis exemplis illustrat. Nam in actis S. Anstrudis Abbatissae Laudunensis [2], Adalsinda, quae ei successerat, caelitus fuit admonita, *ut lectum citius faceret aedificare*; quod, quum ab alia Sanctimoniali, cui id revelatum fuerat, audisset, *intellexit Lectum illum significare Altare*. At in actis Sancti Trudonis [3], quidam *ante Lectum piissimi Patris*, nempe ante ejus tumulum se prostrasse dicitur: quo sensu passim apud auctores mediae aetatis occurrit, ut praeter *Gregorii* locum de miraculis S. Martini [4], ubi *Lectuli* Sancti Martini pro *tumulo* meminit, ab eodem Mabillonio allatum, adnotavit Ducangius [5] ex Adrevaldo de miraculis S. Benedicti [6], vita S. Willibrodi [7], libro de miraculis S. Lamberti Episcopi Trajectensis, Historia translationis S. Gorgonii [8], Thietfrido Epternac. in Floribus [9], et ex ipso Guill. Bibliothecarii loco in vita Stephani VI, quem pro *Gregorii* tumulo accipiendum esse censuit. Quare eadem notione Mabillonius, cui tamen minime subscribendum censeo, sub *Lecti* nomine, *Gregorii tumulum* indicasse adnotavit illa Johannis Diaconi verba, quae occurrunt in appendice Ordinis Romani [10]. *Est iterum huic Oratorio* (sanctae Crucis) *satis proximum aliud S. Papae* Gregorii *Oratorium*, *ubi usque hodie Lectulus*, *in quo ipse Sanctus solebat quiescere*, *videtur juxta aram per-*

1 lib. I. de Litur. Gallica. c. VIII. n. III. et in T. II. Disc. Pop. Dei p. 224.
2 Sec. II. Benedict. p. 983. num. XXXII.
3 ibid. n. XXV. pag. 1084, et apud Surium d. 25. Nov. p. 503.
4 lib. I. cap. XXXIII.
5 T. IV. edit. Bas. p. 55.
6 cap. XXI.
7 cap. XXVIII.
8 cap. XIV.
9 lib. III. cap. VI.
10 T. II. Mus. Ital. p. 572.

manere. Verum eodem modo, quo in Patriarchio Lateranensi, ut nonnullis placere ait Rasponus [1], seu prope *Oratorium S. Crucis* [2] ad fontes Basilicae Lateranensis, a Johanne Diacono [3] descriptum, *ubi dictante Angelo, BB. Papa Gregorius Antiphonarium, et multa alia scripsit*, ejus *Lectulus* adservabatur, qui certe pro ejus tumulo neutiquam accipi potest, alterum ejusdem *Lectulum* in ejus Oratorio *de Cortina* adservatum, suspicari licet.

Sed, antequam hujusce conjecturae fundamenta magis etiam discutiamus, haud incuriose praetereundum est, duo ad Lateranum exstitisse Oratoria S. *Gregorio* sacra, pone Ecclesiam S. Laurentii in Palatio. Alterum est, quod Joh. Diaconus descripsit, qui, ut ait Panvinius [4], cujus verba recitat etiam Rasponus [5], *refert prope S. Crucis aediculam fuisse aliud Oratorium S.* Gregorii *nomine factum, in quo, usque ad sua tempora, ejusdem Sancti Patris* Lectulus *juxta aram permanebat, cujus vestigia aliquot cum picturis pone sacellum S. Crucis, in vinea Marii Fregepanis exstare opinor*. Alterum vero pone Oratorium S. Laurentii exstabat, quod Panvinius [6], cui presse adhaeret Rasponus, qui praeterea [7] ab eodem *Gregorio* exstructum putavit, *post vestibulum ante Oratorium Sancta Sanctorum*, situm fuisse declarat.

Atque hinc mirifice illustratur Cencii locus [8], ubi disserit, *quid Dominus Papa facere debet in die Paschae*, ex quo colligitur, vel ipsum *Oratorium Gregorianum Lateranense*, *Secretarii* loco, quandoque Pontificibus inserviisse. Ibi enim haec habentur. *In die Paschae, mane post Primam, indutus albo pluviali Romanus Pontifex cum Dia-*

1 p. 299. 2 ibid. p. 233.
3 loc. cit. pag. 571.
4 de VII. Eccl. p. 166.
5 p. 235. 6 de VII. Eccl. p. 181.
7 p. 355. et in Tab. ichn. p. 386.
8 in Ord. XII. §. XV. p. 184.

conis Cardinalibus indutis , cum Subdiaconis , ceterisque minoribus Ordinibus , dalmaticis , et mitris , et tunicis indutis , et Cappellanis suis , vadit ad Basilicam Sancti Laurentii . Presbyteri Cardinales induunt se planetis , Episcopi pluvialibus in loco , qui dicitur Basilica S. Gregorii , *ubi post orationem , induitur usque ad dalmaticam , et exurgens ingreditur ad adorandum Salvatorem* . Recte igitur Alamannus scripsit . *Basilica S. Gregorii Vestiarium fuit , quam hodie Cameram vocant paramentorum . In ea Cardinales , et reliqui Antistites , qui inter religiones Pontificibus praesto erant , sacra sumebant indumenta* . Sed e diverticulo in viam .

Equidem nostrae de *Vatic. Gregorii Lecto* conjecturae novam sane lucem affundit *notitia Ecclesiarum Vrbis*, Alcuini operibus attexta [2], ubi *Gregorii Lectum* alio plane loco , quam ejus Corpus exstitisse, demonstratur. Ibi enim legitur . *Curre ad praesepe S. Mariae, eoque osculato, perge ad Porticum Petronellae , gaudensque ascende* ad Gregorii Lectur *Patris Sancti , in quo spiritum reddidit Deo datori dignum munus.* Et paucis interjectis verbis , quibus alia loca indigitat, *exinde ad Corpus S. Patris* Gregorii *eundum est , ut ex eo loco , ad S. Mariam , quae nova dicitur* .

His accedit insignis Joh. Diaconi locus [3] a S. Antonino descriptus [4], qui ita habet . *Scholam Cantorum , qui hactenus eisdem institutionibus in S. R. E. modulantur , constituit , eique cum nonnullis praediis duo habitacula , scilicet alterum sub gradibus B. Petri Apostoli , alterum sub Lateranensis Patriarchii domibus fabricavit , ubi usque hodie* Lectus , *quo recumbens modulabatur , et flagellum illius , quo pueris minabatur , veneratione congrua cum authentico Antiphonario ser-*

1 de Parietinis Lateranensibus p. 17.
2 in Append. III. Par. II. T. II. p. 598.
3 lib. II. num. VI.
4 tit. XII. c. III. V. Macr. in Schola cant.

vatur. Quocirca, ni mea me fallit opinio, sentiendum est, alterum *Lectulum* ei plane consimilem, qui prope Lateranum in Schola Cantorum custodiebatur, in altera Cantorum Schola prope Bas. Vat. item a *Gregorio* erecta relligiose adservatum fuisse. Quis enim Macro [1] concedat, Cantorum Collegium ab Hilaro institutum, aut Galliciolio amplius adsentiat, qui Romanam hanc Scholam Cantorum a Joh. Diacono *Gregorio* M. tributam, a Gregorio II. repetendam contendit, postquam ejus opinionem solidis argumentis rejectam vidimus a nunquam satis laudato Franc. Ant. Zaccaria [2], in eruditissima dissertatione *de Antiphonarii, et Sacramentarii Gregoriani auctore* [3]?

Nil vero mirum, si vel ipsum *Flagellum*, quo pueros in officio continebat, studiose ibidem servatum fuerit, quum hoc idem erga *Flagellum S Ambrosii* praestitum fuisse tradat Ordo Ambrosianus, ubi narrat [4]. *Vegloni apparent in Ecclesia, et processionibus, cum eorum cottis, et sacerdotalibus birettis, et vestibus. Mulieres etiam viduali habitu,*

1 in Hierolexico.

2 T. III. Bibl. Liturgicae.

3 V. Menard. ad Greg. Sacrament. p. 61. 62. Beveregium. ad can. xv. Laodicen. Pietro Aron Compendiolo di molti dubbj, segreti, e sentenze intorno al canto fermo, e figurato. Libri III. de institutione Harmonica editi a P. Aaron, interprete Ioh. Ant. Flaminio. Bononiae 1616 8. Ioh. Lebeuf remarques sur le Chant Ecclesiastique. Merc. de France. Sept. 1705. p. 1987. Elia d'Amato l'uso di cantar nel Coro scambievole, quanto antico nella Chiesa egli fosse? fra le sue lettere erudite. Genua 1714. P. II. p. 107. Ios. Vicecomitem. de rit. Missae l. I. c. xxx. Sarnellium, de Primicerio sive Praefecto cantorum epist. xxvII. Eccl. T. I. pag. 110. Qual debba esser la Musica nelle Chiese? Tom. I. lett. IX. pag. 30. 110. Andream Adami. Osservazioni per ben regolare il coro del Cantori della Cappella Pontificia. Roma 1711. 4. Martinum Gerbertum. de cantu, et musica sacra a I. Eccl. aetate 1774. T. II. 4. Ioh. And. Schmidium. de cantoribus Ecclesiae vet. et nov. Testamenti. Helmst. 1708. Justum Henningum Boehmerum, Tom. I. Juris Eccl. p. 582. Mattiam Blochium. de Psaltarum, sive Cantorum origine in Ecclesia. Hamniae 1711. Godofr. Alb. Pauli. Tractat. de Choris Prophetarum Symphoniacis in Ecclesia Dei, sive de choris Eccl. musicis. Rostoch. 1719. 4.

4 in T. IV. Ant. Ital. med. aevi Murator. col. 558, et in Gloss. Carpent. T. III. p. 324.

5 A

et velatae in solemnibus Missarum offerunt Sacerdoti celebranti panem, et vinum, ad instar Melchisedech. Sed mulieres nunquam intrant chorum; immo Sacerdos celebrans venit usque ad portam chori, ibique earum oblationes recipit. Et vulgariter appellatur Schola S. Ambrosii. Et quotiescumque fiunt aliquae processiones, eis interveniunt cum particulari vexillo suae Crucis. Prior vero horum defert pluviale temporibus debitis, et Flagellum S. Ambrosii. Atque hoc idem *Flagellum* paullo infra *Scutica* nuncupatur, hoc modo [1]. *Qui portat Crucem auream, et Scuticam S. Ambrosii*. Nam, etsi dem Bosio, Corio, Jovio, aliisque Mediolanensis Historiae Scriptoribus, numos Ambrosinos, imaginem praeferentes Sancti Antistitis equo insidentis, et *Flagellum* dextra tenentis, fuisse cusos ad victoriae memoriam conservandam, quam Luchinus Vicecomes [2], Mediolanensium copiarum Ductor ab Azone Patruele suo constitutus, reportavit anno MCCCXXXIX. de Laodrisio Vicecomite, Azonis patruo, ejusque exercitu deterrito, Ambrosii scutica hostes caedentis adspectu, tamen *Flagellum*, quod in pompis ferebatur, illud idem fuisse puto, quo S. Antistes Ecclesiae servitio addictos pueros compescebat, aut semetipsum, poenitentiae caussa, castigabat.

Sed, ut in orbitam redeamus, Eccl. *S. Greg. de Cortina*, Xenodochium adjectum fuisse constat ex vita Stephani II [3], ubi *secus Basilicam B. Petri Apostoli*, non modo *Diaconia S. Dei Genitricis*, sed etiam *B. Silvestri* nominatur, quam

1 Murat. col. 878, et Carpent. T. II. p. 444.
2 Girol. Raffaelli la vera Istoria della Vittoria, qual ebbe Azzio con Luchino Visconti Principi di Milano, dell' anno 1338. 39. nel di 21. Febr. in Parabiago contra Lodrisio Visconti. Milano 1609. 8. Claudio Cavalerio. Racconto Storico della cel. Vittoria di Luchino Visconti Principe di Milano per la miracolosa apparizione di S. Ambrogio seguita il di 21. Feb. 1339. in Parabiago. Milano 1745. 4.
3 T. II. §. IV. p. 88.

juxta Hospitale S. Gregorii sitam fuisse narrat Anastasius in vita Adriani [1], quin id Vignolius [2] animadverterit; qui S. Silvestri Ecclesiam, praeter locum vitae Stephani II. abs se illustratum, *Diaconiam* appellari, incompertum sibi esse declaravit. Id etiam ex alio loco Biographi Stephani VI. apertissime evincitur, ubi legimus [3]. *Reverentiam B.* Gregorii *praecessoris sui prae oculis cordis habens, tribuit idem Summus Pontifex in Hospitali ipsius D. Gregorii in Porticu B. Petri Apostoli sermonum sanctorum librum unum, et in Schola Cantorum, quae pridem Aephonotrophium vocabatur, Heptateucum,* volumen scilicet primos VII. sacrarum literarum libros complectens. Id etiam disertius confirmat P. Mallius [4], ubi ait [5]. *Fecit ad S. Stephanum Aephonotrophium, ubi Primicerius, et Cantores manerent*, aliisque verbis confirmat, vel a Panvinio [6] allatis. *Fecit Xenochium S.* Gregorii *juxta gradus S. Petri, et statuit ibidem Cantores cum Primicerio, qui jugiter officiaret Missam ad Altare S. Petri, indutus, Pluviali, Mitra, et virga, et staret juxta Altare, et pro beneficio haberent, sicut in privilegio ejus legitur*. Quod fortasse indicat *Presbyterium* VI. *denariorum*, quod Cencius Camerarius [7] *S. Gregorio de Curtina* deberi monuit, praeter redditus, quibus Cantorum Schola ab Innocentio IV. aucta fuit, ac oblationum partem ei concessam, ut constat ex eodem Mallio [8], et Honorii III. diplomate [9]. Ac demum res comprobatur Alpharani testimonio, qui locum ita designat [10]. *Ante Ba-*

1 ibid. §. LXVI. p. 213.

2 ibid. p. 88.

3 Guliel. Bibl. V. Turrigium Grotte Vaticane p. 189. et Macrum in Heptaticum, Baculus, et Orphanotrophium.

4 p. 43. n. 54.

5 V. Macrum in Hierolexico.

6 T. III. ms. p. 57.

7 in Ord. XII. n. 40. p. 191.

8 c. XLII. XLIII.

9 T. I. Bull. Vat. p. 105, et apud Dionysium in Vesperarum Paschalium ritu p. XXXIV.

10 ms. p. 58. sub lit. R. mm. et p. 12. lit. R.

silicae gradus est magna platea antiquitus dicta Cortina, *sive* Portica B. Petri, *in qua non longe a gradibus erat Ecclesia, et Xenodochium* Gregorii *Pontificis, in quo Cantores Basilicarii habitabant, nec non Ministri, qui ex aerario Pontificis peregrinis, et pauperibus ad Basilicam confluentibus alimoniam ministrabant*.

Porro hujusmodi Oratorium unam ex Vrbis Paroeciis fuisse probant quattuor Necrologii Basilicae Vaticanae loca. Primum enim inquit [1]. IV. *Idus Martii item obiit D. Bartholomea, condam* Hospitalaria nostra, *que reliquit nobis duas domos junctas simul, positas in* Parrochia *S.* Gregorii in Cortina, *unam cum signo capitis bubali, et aliam cum signo grampe Leonis. Expendatur pro anniversario suo medietas pensionis earum. Item expendatur in d. anniversario pensio domus Hospitalarie posite in monte Caprino, quam ipsa dedit Basilice pro anniversario suo*. Alterum vero habet [2]. III. *Non. Aprilis. Obiit Vir D. Stephanus de Benedictinis Concanonicus noster, qui reliquit nostre Basilicae domum positam in Porticu cum signo Leonis, in* Parrochia Ecclesiae *S. Gregorii de Platea*. Tertium haec profert [3]. IV. *Idus Iulii. Item obiit D. Bartholomea condam* Hospitalaria nostra. *Expendatur in isto anniversario suo medietas portionis domorum cum signo Capitis bovis, et branche Leonis, positarum* in Parrochia Sancti Gregorii in cortina. Quartum denique memoriae tradidit [4]. IV. *Idus Octobr. Obiit D. Bartholomea Vxor condam Nicolai Bajuli. Dictus Nicolaus donavit nostre Basilice unam domum positam in* Parrochia S. Gregorii de Cortina *cum signo Elemutie. Pro Anniversario suo expendatur pro anima d. D. Bartholomee unus florenus*.

Hanc Aedem Collegio *Servientium Armorum* Aulae Pon-

1 p. 36. 2 p. 47. 3 p. 97. 4 p. 43.

tificiae, quos memorant Cajetanus [1], et Amelius [2], a Xysto IV. traditam fuisse scimus, ut locum, quô coire possent, ac de re communi deliberare, iis assignaret; id quod Innocentius VIII. diploma te anni MCDLXXXVIII. die IV. Junii [3] ratum habuit. Ceterum Alexander VI. die I. Aprilis MCDXCV. Abati S. Sabae, ad quem aedes spectabat, *Servientium* expulsione restituendam curavit. Sed eam denique Pius IV, ut tradunt Alpharanus [4], Severanus [5], et Ciampinius [6], solo aequavit.

Quod autem addit Turrigius [7], in cujus sententiam abiit Barth. Plazza [8], die Festo S. Marci, in *Litania majori*, *Romana* etiam dicta [9], Pontificem una cum Cardinalium Collegio ibidem quiescere consuevisse, ut pedes ablueret, Romanorum Ordinum testimoniis repugnat, qui aperte nos docent, hujusmodi caeremoniam in proxima *S. M. Virgariorum* Ecclesia peractam fuisse. Quae quidem ut clarius constent, praestat ejusdem Aedis originem, situm, caeremoniasque ibidem habitas explicare.

1 in T. II. Mus. Ital. Mabillon. p. 280.
2 ibid. p. 476.
3 T. XXXVI. Reg. Vat. p. 17. apud Cl. Marinium de Archiatris Pontif. T. I. p. 187.
4 T. XXIX. Reg. Vat. p. 153.
5 ms. p. 12, et 58.
6 p. 49.
7 p. 189.
8 Efemeride Vaticana p. 333.
9 V. Serarium. λιτανευτικῶν libri duo in T. III. Opusc. Thomasium. ad Fer. IV. Dominicae III. Adventus. Martene. de ant. Eccl. rit. T. III. l. IV. c. 27. Meratum. ad Gavantum in rubr. Miss. P. I. tit. XI. §. VIII. Georgium Greg. Francisci. dissert. de Litaniis Lips 1693. Mabillonium in Comm. in Ord. Rom. et in Ann. Ben. Ioh. Chrys. Trombellium. T. XXXII. Opus. Calogerà in diss. epistolari in quasdam veteres Litanias, aliosque.



CAPVT XI.

De Ecclesia S. Mariae Virgariorum .

Res haec, etsi per se ipsa levis momenti, prima fronte fortasse videri potest, tamen multa scitu non indigna lectoribus subjiciet. Prope locum, ubi nunc *Obeliscus* surgit, Ecclesia *S. Mariae Virgariorum* [1], seu *de Virgariis* exstabat, hoc scilicet nomine donata, vel a *virgis itineralibus*, aut *itinerariis*, quae prope hanc aedem, pro peregrinis venibant, ut Turrigio [2], et Macro [3] placet, vel potius, uti Martinellius [4] putavit, a *virgis*, quas *Cantores* gestabant, *divinis laudibus*, ut loquitur Mallius, *juxta D. Petri Altare celebrandis addicti*. Nam, ut ab Honorio Augustodunensi [5] scimus, Sec. XII. factitatum fuisse, *Cantores baculos manibus portant, ut quô ipsi pergunt, alios secum invitare satagant*. Qua de caussa adhuc in Ecclesiis Gallicana, et Melitensi [6], IV. Cantores, diebus sollemnioribus, pluvialibus induti, choro intersunt, baculos argenteos sustentantes, instar baculorum peregrinantium; atque in Siciliae, ac Melitae Cathedralibus exstat dignitas Canonicalis, quam a voce gallica *Chanter* vocant *Ciantar*, quaeque praefert virgam argenteam.

Nonnullos tamen fuisse docet Turrigius [7], qui hanc Ecclesiam, *S. M. de Vngaris*, perperam appellarunt. Et sane corruptum hoc vulgi vocabulum Templo assignasse

1 in diplom. Adriani anni MXCIX, et Gregorii IX. MCCXXVIII. apud Turrigium nell'historica narratione della Chiesa di S. Giacomo in Borgo. p. 8.

2 p. 548. 3 in Hierol. in *Porticani*.

4 p. 375.

5 Gemma animae cap. CCXXVI.

6 V. Macrum in *Baculus*. Sarnelli de' Bacoli de' Cantori. T. I. Lit. Eccl. p. 113. Johannem Lebeuf lettre sur la forme de Bâtons des Chantres. Merc. Janvier 1726. p. 17. Sur l'ancien usage des Bâtons de Confreries. ibid. Aout 1733.

7 p. 548.

comperi Pomp. Vgonium [1], cui incaute subscripserunt Janningus [2], et Bartholomaeus Plazza [3]. Ceterum hic error ex Mallio [4] fortasse manavit, qui *S. M. Vngariorum*, et *Scholam Vngariorum* ibidem exstitisse tradidit, etsi Janningus [5] alio in codice, *Virgariorum*, bis scriptum esse notaverit.

De eadem aede duo afferam loca Necrologii Vaticani, ubi ita memoratur. *Idib. Febr. Obiit Iannellus de Platea S. Petri, qui reliquit nostrae Basilicae dimidiam domum positam in supradicta Platea, in* Parrochia S. Mariae de Virgariis. *Expendatur pro Anniversario medietas pensionis dicte domus cum signo hominis cum carrafa in manu*. Itemque alibi [6]. vI. *Kal. Ian. Obiit R. P. D. Hyncho olim Episc. Holomien. de cujus bonis habuit Camera nostra florenos auri* cc, *qui conversi fuerunt in emptione domus cum signo Epi. posite in platea in parrochia* S. M. de Virgariis, *pro cujus anniversario expendantur duo floreni*. Praeter haec, audi, quid de eodem loco scriptum reliquit Panvinius, cujus haec sunt verba [7]. *Sub gradibus vero Symmachus in atrio in medio loci, qui Cortina dicebatur, in platea S. Petri, alium Cantharum foris in campo cum concha porphyretica ante Ecclesiam* S. M. Virgariorum *posuit, cujus usus esset in ablutione unctionis chrismatis feria* II. *post Pascha, et ceteris vero diebus publico usui esset, et hominum commodo. In quo etiam, more veteri, Schola* Virgariorum *praeparabat lectum in majori Letania Rom. Pontifici venienti ad S. Petrum, in quo paullulum de via fessus quiescebat*.

Sed lege, quaeso, quid de hoc ritu disserat Cencius

1 p. 97.
2 T. vI. Junii p. 95.
3 In Eph. Vat. p. 232.
4 T. vI. Iunii p. 50.
5 ibid. p. 52.
6 p. 183.
7 T. III. ms. p. 16. V. Macrum in Schola Virgariorum.

Camerarius, qui haec habet [1]. *Incedit usque ad locum, qui dicitur Cortina, et quiescit lecto ibi a Schola Virgarum praedicto modo aptato*; minime vero a *Schola Vngarorum*, ut Rasponio excidit. Qua de re ipsi *Virgarii*, ut idem Cencius [2] adnotavit, debebant *habere pro lecto* x. *Sol. proves*. His concinunt, ut mittam *Leonis* IX. diploma [3], quae de eadem sollemni supplicatione, die S. Marci haberi solita scripserat Benedictus in hunc modum [4]. *Venientes ad S. Laurentium, in porticu majori, ubi incipit simplicem litaniam usque ad Lectum cantari ante S. M. in Virgari*, in fine *Cortinae*; idest areae, seu plateae Vaticanae, cujus laxandae caussa, aedes *Pii* IV. jussu dejecta fuit.

CAPVT XII.

De S. Gregorio Armenorum.

Priusquam ex Area Vaticana discedamus, restat, ut aliquid etiam de altero nomine *Oratorii S. Gregorii de Cortina* disseratur. Alio enim vocabulo *Sanctus Gregorius Armenorum*, ut Grimaldus [5] animadvertit, vulgo appellabatur. Id autem contigisse tradit Martinellius [6], propter *Armenos* in proximo degentes. Quum enim Xenodochium Ecclesiae adhaereret, ubi degebant *Paracellararii*, qui pauperibus, et peregrinis illuc confluentibus, teste Petro Mallio [7], quem Alpharanum sequutum esse vidimus [8], ex Pontificis aerario stipem, et congiarium diribebant, ibi etiam *Armenos*, qui Pontificum liberalitate sustentabantur, suam habuisse sedem, putandum est. Qua de re huic parti *Burgi S. Petri*, quandoque no-

1 T. II. Mus. It. Ord. XII. p. 204.
2 ib. c. XL. p. 207.
3 T. I. Bull. Vat. p. 47.
4 T. II. Mus. It. p. 147.
5 in lib. Desc. Can. Bas. Vat. c. I.
6 Rom. ex ethn. sacr. p. 360. et 376.
7 c. IV.
8 p. 97.

men inhaesit *Contrata de l'Armini in Burgo S. Petri*, uti constat ex diplomate Innocentii VII. [1], ac in indice scripturarum Tabularii Bas. Vaticanae [2], *vicum Armenorum* dici consuevisse notant CC. editores.

Id etiam nominis exhibet Necrologium Vaticanum. Ibi enim legimus [3]. xiI. *Kalen. Maij. Item obiit Magister Nicolaus Concanicus noster, qui reliquit super pensione domus sue, que stat juxta viam*, qua itur ad Armenos, *quam dimisit Basilice nostre pro anniversario suo III. Libr. provis. usualis monete*. Atque alibi [4]. iI. *Non. Maii. Dedicatio Altaris* S. Bonifacii, *quod est in navi Basilicae Principis Apostolor. In isto festo faciendo reliquit Presbyter Pascasius Beneficiatus hujus Basilice in primis flor.* xx. *Item Sol.* xxx. *super pensione domus sue* juxta Hermenos. Ibidem aream eodem nomine donatam exstitisse probat alter Necrologii locus, qui est hujusmodi [5]. viiI. *Idus Iulii. Hac die D. Rita filia olim per* Ioh. *de Regione Pontis donavit nostre Basilice superficium unius sue domus posite in* platea Armenorum *in fundo Basilice cum signo baliste etc.*

Verum ex area Vaticana, ubi hactenus immorati sumus, rursus in Basilicam nos recipiamus. Porro quum, ni mihi nimium fortasse blandior, diserte probatum sit, *Gregorii* exuvias, neque in navi maxime meridionali n. 85. notata, multoque minus in sacris aedibus Gregorianis sub literis cc, et mm a nobis descriptis, a *Gregorio* IV. fuisse depositas, reliquum est, ut reconditae revera fuerint in altera Cella, ubi priusquam hoc Oratorium a *Gregorio* IV. excitaretur, *Secretarium antiquissimum* exstitisse demonstravimus. Itaque ad hoc evincendum in sequenti capite progrediamur.

1 T. iI. Bull. Vat. p. 65. 2 Indic. I. p. 30. 3 p. 55. 4 p. 63. 5 95.

CAPVT XIII.

De situ, quò vere Gregorii M. exuviae a Gregorio IV. *translatae fuerunt.*

Quod supra [1] polliciti sumus, in nobisque recepimus, quum Joh. Diaconi, et Anastasii verba protulimus, id modo relligiose praestandum est. Itaque cum Cl. Janningo, qui tamquam signum, ad hanc rem nobis sustulit, statuimus in loco dd, ubi prius exstiterat *Secretarium antiquissimum*, *Oratorium Gregorianum* successisse, eòque sacras *Gregorii* M. exuvias a *Gregorio* IV. fuisse translatas.

Ac primo Anastasius Cellam, de qua nunc sermo est, *infra* Ecclesiam S. Petri fuisse constructam tradit, uti supra [2] jam animadvertimus. Quod quidem, etsi etiam posset intelligi, de *Aedibus Gregorianis*, *de Palatio*, ac de *Cortina* nuncupatis, certe accipiendum minime est de *Cella* navis Basilicae meridionalis, a *Pio* II. erecta, quum *intra* Ecclesiam sitam fuisse, satis abunde jam demonstravìmus.

Accedit, quod tam Anastasius, quam Joh. Diaconus in *Cella Gregoriana Gregorii* IV, apsidem fuisse testantur. Hanc vero in ichnographia ipsismet oculis usurpare licet in sola Cella dd. *infra*, seu quod idem est, *extra* Basilicam.

Praeterea idem Anastasius nos docet, praeter Altare, sub quo *S. Gregorii* Papae Corpus quiescebat, *in eodem Oratorio SS. Corpora BB. MM. Sebastiani, et Gorgonii, ac Tiburtii, ex Coemeteriis, in quibus ante jacebant, perducta, et unumquodque eorum separatis Altaribus collocata* fuisse.

1 p. 689, et 690.   2 p. 690.

Quod ne ipsum quidem accipi potest de aliis *Aedibus Gregorianis*. Quî enim deponi potuissent SS. MM. exuviae sub *singulis* altaribus, ubi nonnisi *unum* Altare fuisse constat? Id itaque de hoc uno Oratorio dumtaxat intelligendum est, quod ex ipsa etiam ichnographia aperte patet, ex qua licet discere, *septem* ibi *recessus* fuisse, qui non solum memoratis *quattuor* Altaribus, sed aliis praeterea locum praebere potuerunt.

Et sane, Severanus [1] totidem in eo recessus enumerat; nimirum unum pro apside, atque Ara principe, tres a dextero latere, cum suis Altaribus, totidemque a sinistro, ea tantum varietate, ut ex hac parte, Altaris vice, janua viseretur, ex qua in Porticum aditus patebat.

§. I.

Altarium, et Monumentorum Sepulcralium in Oratorio a Gregorio IV. *exstructo existentium descriptio.*

Etsi nullam Severanus, aliique de Altarium nominibus in hoc Oratorio exstantium, mentionem fecerint, ea tamen licet agnoscere ex Alpharani ichnographica descriptione, quam Paullus de Angelis, et Bonannius [2] sequuti sunt. Itaque, Alpharano duce, singulas Oratorii partes sedulo inspiciamus. Ita vero exorditur [3]. *Hoc* Secretarium, *hodie* B. Mariae de febre *imperite appellatur, sed ob id, quia Deiparae Imago devotissima dicta* de febribus, *eo quod Christi fideles enixe se Virgini commendantes a febre quotidie liberarentur, quae erat in illo Templo, quod nunc habetur pro* Secretario, *huc translata fuerit, atque in abside Sacelli principalis* [4] *hujus* Secretarii *ad* Occi-

1 in ichn. p. 65. 2 c. vII. p. 29. 3 ms. p. 52. 4 n. 140.

dentem locata fuerit. Atque hoc eodem loco Benedicti I.[1] supra a nobis descriptum sepulcrum, antiquitus exstitisse conjecit. Pergit vero ad reliqua, hoc modo. *Sex etiam alia Sacella in hoc* Secretario *sunt, tria ad meridiem, et tria ad Aquilonem, a quibus etiam totidem Altaria locata fuisse credimus. Et in primis a parte dextera, ad meridiem juxta Sacellum majus praef. B. M. fuit translatum Altare*[2] S. Joh. Baptistae *ex Ecclesiae ruinis, ut supra expressimus, dotatum de quatuor Cappellanis a Cardinali Vrsinorum. In secundo loco est Altare*[3] S. Sebastiani *antiquissimum, a Christophoro de Iacobatiis Cardinali hujus Basilicae Canonico restitutum, et optime dotatum*, (uti etiam patet ex Alexandri vI. diplomate apud Turrigium[4], et Bull. Vat. editores[5], *ante quod fuit sepultus* Franciscus Feliceus *nobilissimus ex Civitate Hieracensi oriundus, Episcop. ejusdem Civitatis, nec non Cappellae Cantorum Paulli* iiI, *Iulii* iiI, *et Paulli* iv. *Summorum Pontificum Decanus dignissimus. In tertio vero est Altare*[6] *S. N. ante quod fuit sepultus* Sanctes de Pazzillis *hujus Basilicae Beneficiatus, et juxta eum Ioh. Baptista Camerti, Divi Petri Eques, Palatinusque Comes; et Paulli* iiI. *Pont. Max. Domesticus, sed etiam juxta praedictum Altare in liminaribus ostii, fuit sepultus* Guido Vainus *Imolensis, Iulii* iI, *Leonis* x, *et Paulli* iiI. *equitum ad custodiam destinatorum Praefectus, Karolique* v, *in expeditione adversus Turcas, equitum etiam dignissimus ductor*.

Sed priusquam ulterius progrediamur, heic adnotandum est, praeter illustres Viros, quos Alpharanus sub hoc Altari quievisse narrat, in ejusdem tabula ichnographica, sepulcrum *nobilis de Perbenedictis* nominari, quod

1 p. 653. 2 n.143. 3 n.144. 4 p.454. 5 T.iI.p.167. 6 n.145.

illud idem est *Ioh. Baptistae Camertis*. Hujus epitaphium adhuc superest, aeque ac altera *Sancti de Pazillis*, et *Guidonis Vaini*, quae heic subjicimus. Nam, quod *Francisco Feliceo* fuit inscriptum, desideratur [1].

Ellogium sepulcrale *Sancti de Pazillis* est hujusmodi [2].

D O M
ARMA . THOLO . EMERITVS . FIGIT . VITTRICIA . MILES
QVOD . TITVLI . ET . FIDEI . SINT . MONVMENTA . SVAE
BIS . SEX . LVSTRA . DEO . FAMVLATVS . CLAVIGER . OSSA
CONDIDIT . HIC . SANCTVS . FESSA . DICATA . TIBI

SANCTVS . ROMANVS . PATRIA . PAZILLVS . SOBOLE
PER . ANNOS LX. IN . PRINCIPIS . APOSTOLORVM
BASILICA . SACRIS . OPERATVS . VIVENS . SIBI . HOC
(sic)
SEPVCHRVM . POSVIT . QVI . V. AN.

1 V. Il Catalogo de' nomi, cognomi, e patria dei Cantori Pontificj, nelle osservazioni per ben regolare il Coro della Cappella Pontificia di Andrea Adami. Roma 1711. 4. p. 160.

2 *In Necrologio haec habentur*. Prid. Non. Oct. In nomine Domini anno Domini millesimo quingentesimo undecimo prid. nonas Octobr. Pontificatus SS. in Christo Patria, et Dñi N. Dñi Julii, divina providentia Pape secundi. Isto die Ven. Dñus *Sanctus de Pazillis*, Civia Romanus, Beneficiatua noster, qui ob sui maxime devotionis, quam habuit, et habet in ista Ven. Bas. Principis Apostolor. de Vrbe, in qua per annos sexaginta, et ultra fideliter deservivit in divinis, inter vivos donavit eid. Basilice ducentos ducatos, cum hoc pacto, quod Capitulum predictis Beneficiatis, et Clericis teneantur annuatim, ab anno quolibet in dicto die celebrare, seu celebrari facere anniversarium pro anima ipsius Dñi Sanctis, in quo per ipsum Capitulum expendant inter dictos Canonicos Beneficiatos, et Clericos dictae Bas. ducatos quatuor pro anima d. Dñi *Sanctis*, prout dicitur apparere manu Andree de Carossis publici Notarii Romani. Rogate ergo pro anima d. D. Sanctis, et suor. Deum Omnipotentem, et omnes Sanctos, ut die Iudicii eligant in sortem Sanctor. Dei. *Praeterea apud Grimaldum in lib. Descend.* fol. 129. *ante Epitaphium legitur*. *D. Sanctes Pazzillus* Romanus anno 1479. accepit possessionem Beneficiatus, dimisso Clericatu dictae Basilicae, quem possederat ab anno 1458. annis 64. in Clericatu, et Baneficiatu eidem Basilicae servivit. Suae servitutis annis 60. jam exactis, in Aedicula S. M. de Febribus juxta Basilicam, hoc sibi Epitaphium posuit. *Hujusmodi Epitaphii meminit etiam Laurentius Schraderus Saxon in Monum. It. lib.* 1I. et *apud Andream Schottum*

Alterum *Ioh. Perbenedicti* haec praeseferebat.

D. O. M.

IOANNI BAPTISTÆ ꝑ BENEDICTO
CAMERTI EQVITI D. PETRI COMITI
PALATINO PAVLI III. PON. MAX. DOMESTICO
QVI OBIT AN. SAL. HVM. M. DLXVI. VIII.
IDVS APR. ÆTATIS SVÆ LXVII. M. V. D. I.
CAROLVS EIVSQ. NEPOTES FRI ET PATRVO
CARISS. POSS. 1

in *Itiner. Ital.* p. 326, *ubi Aedes Deiparae in Vrbe dicatas recensens, Templum rotundum* S. M. Febrifugiae *pro* Oratorio Gregoriano *accepit. Inquit enim.* S. M. da Febribus, olim Martis in Vaticano, Heic Statua Michaelis Angeli Bonaroti ad S. Petrum, cum hoc Sancti Pazilli, qui annos LX. in Principis Apostolorum Basilica sacris est operatus. *Atque heic postremum Epitaphii distichon subjecit, priori amissa. Verum praecipue memoranda sunt, quae de hoc epitaphio tradidit Turrigius* p. 433, *qui ubi refert alteram Iab. Bapt. Perbenedicti Inscriptionem, haec habet.* Questa famiglia avea in S. Pietro la sua sepultura, come scrive Tib. Alfarano. Dietro a questa lapida è intagliato l' Epitaffio di Santi Pazillo Romano, il quale servì in S. Pietro sessant'anni; hora non si può più leggere, ma avendolo io copiato, quì lo pongo. *Id autem in aliis etiam marmoribus frequenter occurrit, opistographas inscriptiones praeseferentibus. Ceterum nemo est, qui nesciat, frequentius marmora obversari, e sepulcris Gentilium a Christianis avulsa, suisque aptata, nova inscriptione, ritu Christiano, in aversa parte apposita.*

1 *Alpharanus de eodem haec profert.* Di rincontro a questa d. Cappella nell' altra verso mezzodì, dov'è il sepolcro de M. Santo di Casa Pazilli, Beneficiato di S. Pietro, fu posta quest'altra Sepoltura. *Eamdem Inscriptionem tab. LXIII. num. 2. inter Sacrarum Cryptarum Vat. Bas. monumenta, Phil. Dionysius praeclare illustravit hoc modo p. 164.* Ioh. Bapt. Perbenedicto monumentum positum fuit, ac olim in veteris Vatic. Bas. extabat *Secretaria*, ubi tumulus erat proprius familiae de Perbenedictis, ut auctor est Alpharanus num. 145. Io. Bapt. titulos prosequitur Epitaphium, quod tamen Turrigius Crypt. Vat. pag. 433. haud solertissime descripsit. Prout lapidi incisum legitur, in hac tabula damus. In penultimo ejus versu nota compendiaria FRI vox *Fratri* designatur. *Hujusmodi inscriptio, in cujus aversa parte Sancti de Pazillis Epitaphium, uti vidimus, insculptum erat, in Cryptis Vatic. servatur.*

Tertium denique *Guidonis Vaini* [1] in hunc modum loquebatur

STRENVO VIRO GVIDONI VAYNO
VRBE IMOLA PROVINCIAE FLAMINIAE
NOBILI GENERE ORTO
EQVITVM AD CVSTODIAM DESTINATORVM
IVLII II. LEONIS X. PAVLI III.
SVMMORVM PONTIFICVM PRAEFECTO
ET CAROLI V. CAESARIS
IN EXPEDITIONE ADVERSVS TVRCAS
ANNO M. D. XXX. SVSCEPTA
DVCENTOR. EQVITVM DVCTORI
QVI VIX. AN. LXVII.
MAGNIFICVS ET GENEROSVS EQVES
S. IACOBI DE SPATHA
DOMINVS IACOBVS BRVSCVS AMICVS FIDISS.
BENEMERENTI EX TESTAM. POS.

Jam vero cum Alpharano [1] *ad reliqua tria alia Altaria, et Sacella, quae a sinistra, parte ad Aquilonem sunt, transeamus. Et primo ad Altare Sacelli* [2], *quod est contra Occidentem juxta dictum Sacellum principale, fuit etiam nostris temporibus translata altera Deiparae imago, cum SS. Apostolorum Petri, et Paulli, tunc inde antiquissimis imaginibus, cum tota muri spissitudine, quae erant inter columnas Porticalium in illo loco, in quo supra* [3] *retulimus*, Gregorium *Magnum per aliquod tempus jacuisse*.

Huic imagini idem B. M. a *febribus* nomen propter ejus propinquitatem, interdiu adhaesit. Ac propterea nos, ubi de ceteris imaginibus istiusmodi titulo insignitis disserimus, ad ejus illustrationem nonnulla op-

1 Ex Alpharano, et Grimaldo in lib. Instrumentorum. 2 ms. p. 52. 3 num. 146. 4 mss. p. 50.

portune proferemus. Nunc satis sit, ex eodem Alpharano ediscere [1], quod *ante hoc Altare, et Sacellum fuere sepulti* Jacobus, et Mutius de Fabiis *Romani, hujus sacratiss. Bas. Canonici*, et Joh. Bapt. Talliaferrus *Parmensis, Paulli* III. *P. M. familiaris carissimus*.

Fabiorum Inscriptiones sunt hujusmodi.

IACOBO FABIO
BASILICAE VATICANAE CANONICO PIENTISSIMO
AC VIRO FRVGI
MVTIVS FABIVS PATRVO B. M. POSVIT
VIXIT ANNOS LXXIII.
OBIIT VIII. DIE FEBRVARII MDLI. [2]

MVTIO FABIO
CANONICO VATICANO VIRO INTEGERRIMO
TARQVINIA FABIA SOROR MOESTISSIMA POSVIT
VIXIT ANNOS LXXVIII. DIES XXVII.
OBIIT MDLXXII. XIII. DECEMBRIS. [3]

Haec autem Alpharanus subdit de Baptista Talliafero. *Nel Secretario di S. Pietro, adesso chiamato S. Maria della Febre, appresso la Cappella della Madonna trasportata*

1 ms. p. 53.

2 *apud Alpharanum, et Grimaldum in lib. Instr., et in Descend. Canon. fol.* 298. *ubi haec habentur*. R. D. Iacobus de Fabiis die prima Ianuarii 1535. accepit possessionem Canonicatus vacan. per cessionem suprad. Iacobi de Sancte Cruce. D. Iacobus de Fabiis fuit Beneficiatus, ut in hoc libro fol. 146, *ubi scripsit*: D. Iacob. de Fabiis de mense Augusti 1502. accepit possessionem Beneficiatus vacan. per cessionem Petri Pauli Nigri Capparellae.

3 *apud Alpharanum, et Grimaldum in lib. Desc. Canon. fol.* 298. In Aedicula S. Mariae de Febribus e regione, ut in hoc lib. fol. 11, *ubi inquit*. R. D. Mutius de Fabiis die 25. Octobris 1545. accepit possessionem Canonicatus vacantis per cessionem Rmi Cardinalis Crispi. Obiit Mutius 13. Decembris 1572. Vide Epitaphium.

in tempo di Gregorio XIII, *son sepolchri con questa Iscrizione*.

D. O. M. S.
BAPTISTAE . TALLIAFERRO . PARMEN
VIRO . AEQVE . PROBO . AC . NOBILI
QVI . AB . INEVNTE . AETATE . PATRIS . SVI
EXEMPLVM . SEQVVTVS
VSQVE . AD . EXTREMVM . VITAE . TEMPVS
SVMMA . FIDE . AC . SEDVLITATE
OFFICIA . SVA . OMNIA . PAVLO II. PONT. MAX.
PRAESTITIT . TOTIQVE . EIVS . FAMILIAE
CARISSIMVS . FVIT
M. ANTONIVS . TALLIAFERRVS
FRATRI . O. M.
MVLTIS . CVM . LACRIMIS . POS.
VIX. AN. XL. OBIIT . A . CHRIST. NAT. M. D. XLVIII.
IV. NON. NOVEMBR.

Praeterea pone *Talliaferrum*, sepultum fuisse *Severinum de Magistris* constat ex hisce Necrologii verbis [1]. *A dì* 22. *di Maggio* 1602. *l'Illustre Sig.* Severino de Magistris, *Dottor di legge, Secretario dell'Illmo, et Rmo Sig. Card. Pallotta, detto di Cosenza, Arciprete di S. Pietro, Nepote di sua Signoria Illma, di anni* 32. *morto nel Palazzo Archipresbiterale, et sepolto con molto honore nella* Madonna della Febre, *vicino il Portico, in sepultura separata, vicino a quella del* Tagliaferro.

Sed hanc cellam, *Altare Iohannis Guidetti* quoque nuncupatam fuisse tradit Turrigius [2], quia vir quidam hujusce nominis, inhumatus ibidem erat, cujus titulus sepulcralis, ad Aedem SS. Michaelis, et Magni deinde translatus fuit, ubi adhuc legitur parieti affixus, in hunc modum.

1 pag. 104. 2 pag. 33.

D. O. M.
IOANNI GVIDETTO
HVIVS BASILICE
CLERICO BENEFIT°
GREGORII XIII. CA
PELLANO VIRO PR
OBO PRINCIP. CAR°
MATHEVS GVIDET°
FRA . BENEMERIT° MAE
STISS.° P. C.
VIXIT ANN. LX. OB
IIT PRI DECEMBRI
MDLXXXXII 1

1 *Accipe , quae de eodem memoriae tradidit Grimaldus in lib. Descend.* D. Ioh. Guidettus Bononiensis , Gregorii XIII. Cappellanus , (*minime vero* Saccellarius , *ut excidit Possevino , in Apparatus Sacri T. 1I. p.* 194.) die 27. Novembris 1575. accepit possessionem Clericatus vacantis per obitum D. Francisci Tosti . Hic Ioannes Directorium Chori , et Cantum Passionis , aliaque in cantu firmo , secundum veras Chori librorum notas edidit . *Sepulcri positus in Necrologio ita indicatur*. Il Reverendo M. Gio. Guidetti fu sepolto alla Madonna della febbre , presso la ferrata , a mano dritta , li 2. Decembre 1592. *Alidosius , et Orlandus* nelle Notiz. degli Scritt. Bolognesi p. 145. *duos Ioh. Guidettos , alterum Medicinae Doctorem , ac vita functum anno* 1424 , *et hunc sacris addictum , pro uno acceperunt . Huic tamen adscribendum est* Directorium Chori ad usum Bas. Vat. *et* omnium Ecclesiarum, tam Cathedralium, quam Collegiatarum . Romae apud Rob. Gravium Parisiensem 1572 , et ibid. apud Franc. Continum 1589 , et 1654 , *ac rursus* additionibus Franc. Polchiari , et Ioh. Franc. Massani , *ac demum* opera Fr. Gabr. Ant. de Roma Ord. Minor. de Observ. Aracoelitani Chori Moderatoris . Romae 1730. *Alterum opus a Grimaldo memoratum ita inscripsit* . Verba Evangelistae . Cantus Ecclesiasticus Passionis D. N. I. C. secundum Matthaeum , Marcum , Lucam , et Ioannem , juxta ritum Capellae S. D. N. Papae , et Sacros. Bas. Vat. Romae Alex. Gardanus 1586. fol. *Atque haec perperam Medico Guidetto tribuunt Alidosius , et Orlandus , ut recte adnotarunt CC. editores Catal. Bibl. Casanat. atque abhinc biennium , praestatissimus Comes Ioh. Elephantutius* nelle not. degli Scrittori Bolognesi T. IV. pag. 394 , *qui tamen hunc Scriptorem* Johan. Guidotti *appellat , neque ullam tituli sepulcralis mentionem facit* .

Sequitur et tertium, pergit Alpharanus [1], *hujus* Sacrarii *sacellum, in cujus Altari* [2] *Statua pulcherrima B. M. V. e marmore pario elegantissimo, filium mortuum amplexantis, a Michaele Bonaroto Florentino sculpta, Ioh. Cardinalis Sancti Dionysii Regis Francorum Oratoris impensa, per aliquod tempus stetit*. Hic Alpharani locus, incaute a Sindonio [3] accipitur, tamquam si ad *Sacrarium* nuper eversum pertineret, etsi manifesto de *Sacrarii antiquissimi*, in *Cellam Gregorianam* conversi descriptione, sit accipiendus. Verum heic eumdem Alpharanum, qui Ciampinium in errorem induxit, a Panvinio deceptum esse comperi, qui, ut infra observabimus, hoc idem Simulacrum, quod ipse in *Templo rotundo B. M. Febrium* situm fuisse [4] profitetur, in hac *Cella Gregoriana*, ubi eadem *B. M. Febrium* imago aliquamdiu stetit, parum sibi constans, fuisse scripsit. Hoc enim loco, cum Paullo de Angelis, et Bonannio, imo vero cum ipsa Alpharani tabula ichnographica, *Altare anonymum* tantummodo agnoscendum est, *ante quod*, uti docet idem Alpharanus [5], *fuit sepultus Ioh. Baptista de Canalibus Canonicus, et Petrus Siliprandus Reginen. Diaecesis, Pii* V, *et Gregorii* XIII. *Sum. Pont. Florerius*, quorum sepulcrales inscriptiones nobis Alpharanus servavit. Ait enim. *Nella Cappella, dove era la Vergine Maria de Michel Angelo Bonaroto, un sepolcro quasi tutto consumato*.

JO. BAPTISTÆ DE CANALIBVS

CANONICO

1 ms. p. 52.
2 num. 148.
3 p. 108.
4 T. III. ms. p. 30.
5 ms. p. 52.

Item un altro sepolcro con questo titulo

PETRO DE SILIPRANDIS
DE LVCERIA . DIOC. REGIEN
PII. V. ET GREGORII . XIII. PONT. MAX.
FLORERIO . VIRO . INTEGERRIMO
PIINVS ET IOANNES EX FRATRIBVS
NEPOTES ET EX TESTAMENTO
HEREDES . PATRVO . M. P. C.
QVI . VIXIT ANNOS LXV.
OBIIT XVII. MARTII . M. D. LXXIII.

Sed Alpharanum cetera docentem audiamus [1]. *In medio vero, in penetralibus hujus Secretarii, multa Christianorum, et egregiorum virorum corpora diversis temporibus humata dormiunt in Domino. Ante portam hujus* Secretarii, *a facie Orientis est d. Secretarii vestibulum* [2], *in quo stat absidula cum Altari, ante quod fuerunt sepulti multi summi Pontifices. Sed, ubi erat absidula, facta fuit janua contra meridiem, per quam descenditur ad Ecclesiam* [3] *S. Salvatoris de Torrione, cum Coemeterio, ad sepulturam omnium Vltramontanorum a P. Leone* IV. *Bas. tradita, vulgo* Campus Sanctus *nuncupatus, in quo sepeliuntur etiam Itali, et omnium nationum peregrini.*

Ac quandoquidem de Basilicae *januis* incidit sermo, placet heic insignem ejusdem Alpharani locum afferre, qui ad multarum rerum deinde explanandarum intelligentiam erit opportunissimus. Hic autem est hujusmodi [4]. *Sed et ipsa Basilica antiquitus multas januas, sive portas habebat. Nam in parietibus ad Orientem habuit portas quinque. In mediana navi portas tres aequalis altitudinis, singulae palmorum vigintinovem, et aequalis latitudinis singulae*

1 ms. p. 54. 2 litt. ee 3 litt. ff. 4 ms. p. 8.

palmorum tredecim . In duabus vero anterioribus minoribus navibus , ex utroque latere medianae navi proximis , portas duas aequalis altitudinis , singulae palmorum viginti octo , et aequalis latitudinis , singulae palmorum quatuordecim . Porta vero , quae d. Ecclesia in sinistra Bas. parte adita in posteriore navi sinistra ad Aquilonem , quae dicitur vultus Sancti pro anno Iubilaei , est altitudinis palmorum sexdecim , latitudinis vero palmorum decem . Sed et in parietibus a dextro Basilicae latere ad meridiem portas quinque , et totidem a sinistro , nec altitudinis , nec latitudinis aequalis , per quas postea ad quasdam Ecclesias , sive Oratoria circa Basilicam adaptati fuerunt aditus . In parietibus autem in transversa Basilicae parte ad Occidentem portas duas habuit , ad Boream portam unam , et ad meridiem portam unam aequalis altitudinis , singulae decem palmorum , et octo , et aequalis altitudinis singulae decem palmorum . Hinc itaque colligere licet , aditum procul dubio fuisse , ex quo recta in Basilicam Vaticanam , et vicissim ex ipsa Basilica in *Oratorium Gregorianum* , facilis , commodusque pateret accessus.

Sed , ut ad Altarium descriptionem redeamus , haec eadem , multo licet strictior , a Janningo [1] refertur , *sectione* IV, qua percurrit *Oratoria Basilicae contigua meridiem versus* , ubi tamen Severano , et Bonannio pepercit, qui cum Paullo de Angelis , et Alpharano in eumdem errorem inciderunt , dum de hisce Altaribus ita loquuntur , quasi ad *Secretarium* pertinuissent , quum certo constet , haec tantum in *Oratorio Gregoriano* , super *Secretarii antiquissimi* ruinas a *Gregorio* IV. aedificato deinceps erecta , atque iccirco huic dumtaxat esse referenda .

Hoc autem ipse Altarium numerus monere facillime

1 T. VI. Iunii p. 51.

potuisset. Dum enim hoc loco *Secretarium antiquissimum* obtinuit, priusquam *Oratorium Gregorianum* exaedificaretur, nondum in usu erat, plura in eodem Templo Altaria construere. *Vnicum* quippe *cuique* Ecclesiae, uti recte adnotavit doctissimus Mabillonius [1], primis Christianae Reip. temporibus erat *Altare*; tum quia *unus* Sacerdos *uni* Ecclesiae praeficiebatur; tum quia vel in ipsis Monasteriis, pauci erant Sacerdotes, ac nondum ulla coaluerant Sacerdotum Collegia.

Et sane in hanc rem insignis est locus ille Ignatii Martyris, ab Enrico Edmundo Presbytero Anglicano egregie vindicatus in *dissertatione de jure Episcopatus*, ubi in epistola [2] ad Philadelphenos inquit. *Vna est caro D. N. I. C, et unus sanguis, unus panis, qui omnibus fractus est*, unum Altare, *unus Episcopus*. Quocirca Tyrius Orator in *Panegyrico Encaeniorum* Templi a Paullino Episcopo constructi apud Eusebium [3], *augustum, et magnum, et unigenitum Altare* nuncupavit. Qui quidem veterum Christianorum usus [4] a Graecis, Armenis, Abyssinis, et Moscovitis adhuc retinetur, qui unum dumtaxat Altare in singulis habent Ecclesiis, ut plures testantur [5], et contra Baronii opinionem demonstrant Janningus [6], Sarnellius [7], ac praesertim Robertus Sala [8].

1 in I. Praef. Sec. III. ad Acta SS. Ben. p. 132.

2 in Patribus Apost. Cotelerii T. II. p. 31.

3 lib. x. Hist. c. IV.

4 V. Optatum Milevitanum. l. I. contra Parmen. num. XIX. Cyprianum. epist. IV. Athanasium. T. I. epist. ad Solitar. p. 656. Greg. Nazianz. orat. XI. Chrysostomum Homil. XVIII. in II. Corynth. VIII. p. 873. Cyprianum. l. II. ep. I. 30. Hieronymum Comm. in Amos lib. I. c. VIII. T. VI. p. 84. Synesium. Socratem. Theodoretum l. V. c. XXII. p. 250. Binghamum T. III. l. VIII. c. VI. §. XVI. Nonnisi unum Altare olim in una aliqua Eccl. p. 229.

5 Goar. in Euchologio pag. 26. Sigism. Herbestein In Commentar. rer. Moscovit. p. 21. Franc. Alvarez c. III. Hist. Aethiop.

6 de Bas. S. Petri in Vaticano, eiusque Abside. in T. VI. Iunii p. 132.

7 in Basilicographia p. 99. et 101.

8 in adnot. ad lib. I. rer. Lit. Card. Bonae cap. XIV.

Verum Christifidelium numero latius propagato, crevit etiam numerus Templorum, et Ministrorum. Quocirca mysteria sacra frequentius peracta, pluresque arae in eodem Templo constructae; nisi potius cum Baronio [1] opinari velimus, multiplicata fuisse Altaria ob plurima in singulis Basilicis erecta Martyrum sepulcra, quorum singulis singula in minoribus sacrarum aedium cellis erigebant Altaria, ut suus cuique honos seorsim haberetur. Postquam enim Valentinianus tumultum a Justina Matre sua, Arrianis favente, concitatum sedavit, narrat Ambrosius [2], in communi illa animorum laetitia *milites ipsos irruentes in Altaria, osculis significasse pacis indicia*. Quae quidem de Altaribus per circuitum cellae Basilicae Portianae collocatis intelligenda esse, una cum Basnagio [3], Cabassutius [4] putavit. Verum Franciscus Berlendus [5] sumenda potius esse censet pro mensis argenteis, quae circa Altare Sacrificii erant dispositae, ut Bencinius [6] de vII. Altaribus ex argento a Constantino Bas. Lateranensi dono datis sentiendum esse pronuntiavit.

Ceterum, tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia Altarium numerum Sec. vI. auctum fuisse produnt vitae S. Theodosii Caenobiarchae [7] juxta Hierosol, et S. Sabini [8]. Praeterea Gregorius Turonensis [9] Burdigalae in Basilica S. Petri, duplex, atque alibi trinum Altare exstitisse tradidit. Ipsius vero Gregorii M. [10] aetate plura

1 ad ann. LVII.
2 in ep. xxxIII. ad Marcellinam Sororem.
3 ad ann. ccxxvI.
4 In T. 1I. de Disc. Pop. Del Fleurii p. 219.
5 de Oblationibus p. 231.
6 in Tom. 1I. Anast. ed. Blanch. in vita S. Silvestri p. 310.
7 apud Surium d. 11. Iun. p. 162. T. I. Ian. Boll. c. vIL n. 11I. p. 690, e nelle Vite di xvII. Confessori di Cristo, tradotte da Gio. Pietro Maffei. Roma 1601. 4. p. 196.
8 T. I. Febr. Bolland. n. 27. p. 314.
9 lib. 1. de gloria MM. cap. xxxIII. et lib. v. c. XLIX.
10 lib. v. epist. I. ad Palladium Episc. Santonensem.

jam Altaria intra ejusdem Templi ambitum exstruebantur, quum idem sacrae aedis mentionem faciat, quae xiiI. Altaribus erat instructa.

Quod multo magis in usu fuit Sec. vII, quemadmodum, ut alia praeteream exempla a Mabillonio [1] allata, nos docet Arulfus Gallus Antistes, qui tunc temporis ad loca sacra peragranda sese contulit, ac in Templo Sepulcri Dominici quinque Altaria, ac quattuor in Aede Mariae in Valle Josaphat, se vidisse testatur.

Quid vero dicam de Seculo vIII, quo in Basilica S. Paulli, via Ostiensi, *quinque* Altaria fuisse vidimus, ubi Gregorius iiI. sex quotidie sacra perpetuo fieri mandavit suo diplomate superius allato, cum quo confer Typicum Irenae Ducae Imperatricis [2], quae singulis diebus in divina Liturgia vII. panes offerri praecepit? Haec a Sergio P. jampridem instaurata fuisse dicerem, quum Anastasius narret [3]. *Hic tectum, et cubicula universa in circuitu Basilicae B. Apostoli Paulli studiosius renovavit, ac reparavit*. Cubicula enim Templorum cellas antiquitus nuncupatas esse, praeter alios Scriptores [4], demonstravit Henricus Broemelius [5]. Verum, quum in iisdem cubiculis, quae Agnellus [6] vocat *Monasteria*, quaeque [7] *intra Templorum ascellas eleganti opere constructas*, alas nimirum, aut porticus [8], exstructa erant, nunquam Altaria

v

1 in Praefat. ad Acta SS. Ord. S. Ben. p. 57. In lib. I. de Lit. Gallic. c. vIII, et in Mus. Ital.

2 cap. xxxiv. in Tom. I. Analect. Graec. Mabill.

3 in vita Marcellini, et Xysti iiI.

4 S. Paullinus in epist. xiI. ad Severum. S. Nilus in descr. Templi ab Olympiodoro Praefecto exstructi. Baron. ad an. CDLXI. n. xI. Fr. Blanchinius in T. iiI. Anastasii pag. 159. Macer in Hierol. Ducangius in Gloss. Muratorius de vet. Christ. Sepulcris in T. I. Anecdot.

5 de Cellis sacris veter. Christianorum. Longosalissae 1710. 4.

6 in vita S. Joh. Arch. Ravennatis.

7 S. Greg. Turonensis in l. iI. hist. c. xvI.

8 Mabillon in Lit. Gallic. l. I. c. vIII. n. iI.

exstitisse pro sacris celebrandis, nonnulli contendant, sed tantum in ipsis vita functos terrae mandatos fuisse, ut Paullini auctoritate [1] demonstrant, seu Fideles ibidem majori quiete, ac commodo, piis precibus vacasse, ut ex descriptione Templi S. Brigittae Scotae [2] arguunt, iccirco haec missa faciam, eaque tantum adducam, quae nullam profecto dubitationem admittunt.

Eodem seculo exeunte, narrat Chronicon Cassinense [3], Archisium Ducem Beneventi, in Templo S. Sophiae ab se dicato, *tam Martyrum, quam Confessorum num.* xxxI. *sancta Corpora ibidem attulisse, et per diversa Altaria reverenter collocasse*. Altarium vero numerus alicubi ita auctus est, ut Petrus Archiepiscopus Ravennas in aede Petriana trecenta numeraverit, quemadmodum legimus apud Agnellum [4], Hieronymum Rubeum [5], et Muratorium [6]. Quapropter, ne major esset Altarium numerus, quam Sacerdotum, Karolus M. in Capitulari edito anno octingentesimo quarto ad Theodonis villam [7], legem tulerat *de Altaribus, ut non superabundent in Ecclesia*.

Hinc autem ortae sunt illae Altaris *Authentici, Capitanei, Cardinalis, Dominicalis, Conventualis, Majoris, Principis, Magistri*, denominationes, ut Altare princeps, ab aliis, quae in ceteris Templi partibus exstabant, distingueretur.

Quae quum ita sint, Seculo IX. minime dubitandum est, usum plura in eodem Templo Altaria construendi, latius etiam invaluisse. Quod certe, si cetera deessent exempla, hujusmodi Oratorium a Gregorio IV. excitatum, aperte probaret.

1 in epist. xxxII.
2 in T. I. Thes. Mon. Henr. Canisii p.413.
3 in T. II. rer. Ital. Murat. p. 367.
4 in lib. Pontific. p. I.
5 in lib. II. Hist. Ravenn.
6 in Spicil. Ravenn. Eccl. T. I. rerum Liturg. P. II. p. 577.
7 lib. I. n. VI.

Quamobrem mihi non convenit cum Johanne Petro Lucatellio, qui [1] seculo IX. in Occidente, plurium Altarium usum in eodem Templo nondum obtinuisse, una cum Rocho, qui historiam Eucharisticam lucubravit, et Beato Rhenano [2], sibi persuasit; ac propterea Anastasii locum de Corporibus BB. MM. *Sebastiani*, *Gorgonii*, *ac Tiburtii*, quae separatis Altaribus *Gregorius* IV. collocavit, de *diversis* potius *Ecclesiis*, quam de *diversis Altaribus* in eodem Templo intelligendum esse, perperam opinatus est. Quum enim inficiari nequeat, Corpus S. *Sebastiani*, multo ante *Gregorium* IV. in Templo, via Appia, III. ab Vrbe lapide, quievisse, falso conjecit, eô a *Gregorio* IV. primum fuisse perductum, atque hinc *Ecclesiam Apostolorum* antea nuncupatam, mutato nomine, *D. Sebastiani*, vulgo nuncupari coepisse. Siquidem de ejusdem Corporis inventione in Cloaca maxima, ejusque translatione ad Callixti Coemeterium, a Surio [3], Bollandianis [4], Mabillonio [5], Camillo Fanuccio [6], et Floravante Martinellio [7], qui de ea plurium auctorum testimonia congessit, edoceri facile poterat. Sed ipse Anastasii locus de vita Adriani I, qui ibidem ab eo indicatur, manifeste probat, vel multo ante *Gregorium* IV, *Sebastiani* exuvias eodem in loco adservatas fuisse, quum sit hujusmodi [8]. *Ecclesiam Apostolorum, foris Portam Appiam, milliario terno, in loco, qui appellatur Catacumbas, ubi Corpus B. Sebastiani Martyris cum aliis quiescit, in ruinis praeventam a novo restauravit*. Ac demum id aper-

1 Notizie istoriche concernenti la Testa di S. Sebastiano M. che si custodisce, e si venera nella Chiesa de' SS. IV. Coronati di Roma. c. IV. p. 26.

2 in epist. ad Ioh. Chrysost. Liturgiae.

3 d. XX. Ianuarii p. 302.

4 T. II. Ianuarii p. 257.

5 Acta SS. Ord. Benedict. P. I. p. 383.

6 Opere Pie di Roma. lib. IV. c. 26.

7 p. 393.

8 T. II. §. LXXVI. p. 226.

te constat ex allata [1] Anonymi Monachi Suessionensis historia de S. Sebastiani translatione, ubi haec habentur [2]. *Alacres simul vadunt ad locum non jam ignotum. Siquidem ex serie passionis ejus a S. Ambrosio luculenter editae didicerant, miliario tertio ab Vrbe, loco, qui ob stationem navium Catacumbas dicebatur, praecepisse per visum eumdem Beatum Martyrem Lucinae cuidam Matronae, sepeliri se ad vestigia Apostolorum Petri, et Paulli. Quem conditum aromatibus, prompta, quod jussa fuerat, executa est devotione.* Quapropter quum neque Sec. IX. usus, multorum Altarium numero repugnet, multoque pridem *Sebastiani* exuviae in propria aede colerentur, quid jam amplius erit, quod Anastasii locum, secus quam explicavimus, accipiendum esse persuadeat? Haec quum satis per se aperta sint, Decius Memmolus [3], semel [4], atque iterum [5] affirmare non dubitavit, *Gregorium* IV. *Sebastiani* exuvias ex Aede, ubi primum colebantur, ad Bas. Vat. transtulisse.

Sed fucum fortasse Lucatellio facere potuit Anastasii verbum, quo *reliquias* horum trium Martyrum, *Corpora* nominavit, ac proinde illud S. *Sebastiani*, in suburbana ejus aede, potius quam in uno ex Altaribus *Oratorii Gregoriani*, a *Gregorio* IV. locatum fuisse existimavit. Nil vero refert, quod ibi Anastasius *Corpora* pro *parte Corporis* nominaverit. Sic enim intelligi debere res ipsa demonstrat, ac praeter Aringhium [6], aliosque, Godefridus Henschenius [7] plurimis argumentis evincit; qui praeterea, hac adhibita distinctione, quam ob oculos semper habendam Baronium [8] monuisse, supra vidimus,

1 p. 282. T. II. Martii.
2 T. II. Boll. c. VI. p. 282, et in Actis SS. Ord. S. Bened. Sec. IV. P. I. p. 383. 414.
3 Della vita, Chiesa, et reliquie de' Santi Quattro Coronati. Roma 1628. 8.
4 p. 47.
5 p. 84.
6 T. II. l. IV. c. 9.
7 T. II. Ian. p. 259.
8 T. IX. p. 775.

alias invictissimi Martyris reliquias [1] ad Monasterium Sancti Medardi, Eugenio II. Pontifice, Suessionem translatas fuisse demonstrat, ut plures Scriptores testantur, nosque ipsi jam supra declaravimus [2].

Hoc item Constantinus Suyskenus, pluribus egregie declarat [3], ubi agit de alterius Martyris *Gorgonii* exuviis, quarum partem jacuisse tradit in *Coemeterio inter duas Lauros, via Lavicana*, sive, ut aliis placet, *Latina*, usque ad annum DCCLXV, quo magna earum portio in Galliam, rogante Godegrando Episcopo Diviodunensi, Paulli I. dono [4], translata fuit; aliam vero partem in eodem Coemeterio exstitisse usque ad Seculum IX, quo a Gregorio IV, quod ex iis reliquum erat, in *Oratorium Gregorianum* honorifice illatum fuit.

Ac demum, post Godefridum Henschenium [5], idem recte pronunciavit Joh. Pinius [6] de *Tiburtii* Martyris exuviis, quarum *partem*, una cum reliquiis *Chromatii Patris, et Sociorum*, Suessionem, aliòque translatas fuisse tradit.

Quae quum Laderchius minime animadverterit, *Tiburtii* Corpus [7], contra Eginhardi auctoritatem, qui [8] una cum Marcellino, et Petro in Gallias avectum fuisse narrat, dumtaxat in Basilicam S. Petri delatum fuisse contendit [9]. Recte tamen ibidem conjecit, clandestinam SS. Marcellini, et Petri subreptionem, quam ne ipse quidem inficiatur, a Gallis factam anno DCCCXXVI. [10], *Gregorium* IV. impulisse, ut e suburbanis locis *Tiburtii*,

1 T. II. Ian. p. 278.
2 p. 56. 3 T. III. Septemb. p. 531.
4 ibid. §. IV. p. 334, et in Actis SS. Ord. S. Bened. Sec. III. P. II. p. 204.
5 die II. Iunii p. 173. in Comm. praevio de SS. Marcellini, Petri etc. cultu, Ecclesiis, Actis.
6 T. II. Augusti d. XI. p. 613. in Comm. praevio de S. Tiburtio M. et Chromatio Patre ejus cum Sociis.
7 de translat. SS. Marcellini, et Petri lib. III. c. IX.
8 apud Bolland. die II. Iunii p. 181.
9 e. v. p. 21. 10 T. IX. Baron. an. 826.

Sebastiani, et *Gorgonii* reliquias, in unum e Basil. Vaticanae Oratoriis deduceret. Verum cum Joh. Pinio tenendum est, reliquam tantum, ex Ratleici, sociorumque furto, *Tiburtii* Corporis partem in Bas. Vat. fuisse adservatam, ut idem probat, non solum Bartholomaei Plazzae [1], sed etiam Aringhii auctoritate, qui rem ita fuse describit [2]. *Huc velut in tutum Religionis asylum .... invictorum* Tiburtii, et Gorgonii MM. *ossa ex Coemeteriis sublata, a Gregorio* IV. *Pontifice inferri meruerunt, et ab eodem sub Altaribus Oratorii, quod ipse in S. Gregorii Magni honorem exstruxerat, sejunctim prope nuncupatam Iudicii januam, ad laevam ingredientibus, collocata fuere.*

Quapropter nemo non videt, Alpharanum, cui Panvinius antea praeluxit, ac deinde Ciampinius etiam [3], una cum Serrano, Vgonio, Platina, et Bull. Vat. editoribus adhaesit, tria haec Altaria in Cella *SS. Andreae, et Gregorii*, uti jam supra vidimus [4], perperam collocasse, multoque magis reprehendendum esse, quod sibi repugnans [5] haec eadem Altaria alibi deinde statuerit, ubi scribit [6]. *Iuxta Gregorii* V. *sepulcrum sequebatur Altare antiquissimum, ubi erat absidula in parietum spissitudine, forte a Gregorio* IV. *exstructum, ut ex eodem P. Mallio conficitur, B. Sebastiano, aut SS. Gorgonio, et Tiburtio Christi Martyribus consecratum, quod denique injuria temporum exolevit.*

Illud autem heic memorandum est, quod maximo descriptorum Altarium honori vertitur, quodque manifesto indicio est, in *Oratorio Gregoriano*, de quo nunc agimus, Altaria nuper memorata exstitisse. Nam Benedictus Canonicus, cujus verba Panvinius etiam [7] refert,

1 in Hemerol. p. 148.
2 Rom. subt. T. I. p. 239.
3 p. 692. 694. 696. 698.
4 p. 698.
5 n. VIII. p. 34. mss.
6 ib. V. p. 723.
7 T. III. ms. p. 167.

in *libro Pollicito ad Guidonem de Castello*, tunc Cardinalem S. Marci, qui postmodum factus est Caelestinus II, anno MCXLIII, Innocentio II. sedente, exarato, agens de *Stationibus ad S. Petrum*, haec habet [1]. *Media autem nocte surgens, audito signo, Dominus Papa cum omnibus Ordinibus ad S.* Leonem *venire debet, ibique Mansionarius praeparat turibulum Episcopo; et Episcopus Pontifici, omnibus indutis de suis indumentis. Cubicularii vero cum duabus faculis accensis debent ire ante Pontificem. Pontifex autem primum incensat Altare S.* Leonis, *deinde cum processione incedens* per Porticum Pontificum ad S. Gregorium, *primum incensat* Altare ejus, et Altare S. Sebastiani, et Altare S. Tiburtii. Quae quidem ab eo confirmantur, dum caeremonias describit in *Statione ad S. Petrum*, pro festo Epiphaniae celebrandas. *Nocte vero*, inquit [2], *media surgit, et omnes Ordines cum eo congregantur ad Altare S.* Leonis; *ibique cum processione, sicut praelibatum est, incensando* Altaria, *usque ad Corpus, ubi facit vigilias trium lectionum, quibus peractis, ascendit ad Altare majus, et incensat.*

Sed ad interruptam Altarium descriptionem nos iterum conferamus. Ciampinius [3] suam Ichnographiam in hac parte, aliis supra descriptis profert omnino similem; verum aliis gravius errasse, mihi quidem videtur. Etsi enim in eorum descriptione *Secretarium* ibi fuisse dicit, postmodum, omisso *Gregorii* nomine, in Cellam cessisse subjungit, quae appellabatur *S. M. de Febre*, ac proinde singula Altaria, non ad *Oratorium Gregorianum*, sed ad hanc Deiparae Cellam pertinere opinatus esse videtur, quod aliqua tantum ex parte verum est. Ceterum Janningo [4] omnino adsentiendum reor, allatam Altarium indicationem, quum

1 in Ord.xI. p. 122. 2 ib. p.130. 3 lib.Iv. p.83. 4 T.vI. Iunii p. 151.

nulla certa auctoritate fulciatur, magnam partem de postremis tantum temporibus esse accipiendam. Siquidem ab Ichnographis descriptae recentiorum temporum denominationes sunt, uti aperte demonstrant, *Vrsinorum*, ac *Iacobatiorum* nomina illic expressa, antiquiorum nominibus, aut incuria deletis, aut oblivione praetermissis.

Verum addere Janningus potuisset, clarius id etiam agnosci, ex eo, quod nulla ab iisdem auctoribus, *S. Gregorii* mentio fiat, quamvis exploratum sit, aram principem, quô deinde translata fuit *B. M. a Febribus* imago, eidem S.Doctori a *Gregorio* IV. primitus dicatam fuisse. Quod sane nec levis momenti est, nec minus liquido confirmat, tum nonnulla Altaria, vel ipso *Gregorio* IV. longe sequiorum temporum fuisse, tum, quod ab eodem Ianningo recte observatur, e tribus Altaribus, illic ab Anastasio percensis, et SS. MM. *Sebastiani*, *Gorgonii*, et *Tiburtii* memoriae separatim erectis, solum superfuisse Altare *S. Sebastiani*, ab Alpharano [2], et Ciampino [3] prae ceteris jure *antiquissimum* dictum, atque a Christophoro de Iacobatiis postea innovatum.

Ac probabili sane, felicique conjectura, ni admodum fallor, idem Ianningus arguit, quae ab ichnographis Altaria duo anonyma indicantur, ea primitus exstitisse SS. *Gorgonio*, et *Tiburtio* sejunctim dicata, quorum memoria, insequenti aetate, penitus obsoleverit. Ex quibus omnibus tandem, et illud sequitur, cetera Altaria ab Ichnographis descripta, non solum *Secretario* minime tribuenda, sed etiam ad postrema esse tempora referenda, quibus *Oratorium Gregorianum* suum nomen amisit, et *Cella S. M. de Febribus* appellari coepit.

2 p. ms. 52. 3 p. 83.

Quae quum adeo obscura, atque implexa sint, multo minus statui licet, utrum *Gregorius* IV, quum Oratorium *noviter* erexit, *quattuor* ibi tantum Altaria excitaverit, quae Anastasius nominavit, an vero, praeter haec, alia etiam construxerit, ut septem in eo recessus fuisse jam inde ab initio putandum sit. Quod tamen nosse, non magni profecto interest.

§. II.

Quare hoc loco Gregorius IV. Cellam Gregorio sacram construxerit, et quando?

Illud heic modo juvabit inquirere, qua de caussa *Gregorius* IV. eodem loco, ubi pridem *Secretarium antiquissimum* steterat, *Oratorium S. Gregorio sacrum* construxerit, eôque ejusdem cineres ex ipso *Secretarii Vestibulo* transtulerit?

Atque ex Anastasio quidem licet discere, omnia fere loca, quae *Secretarium*, ejusque *Vestibulum* circumibant, vetustate penitus collapsa fuisse. Ac proinde quid verisimilius, quam quod, quum cetera reparare *Gregorius* IV. aggressus esset, item super *Secretarii* ruinas *Oratorium* in *S. Gregorii* honorem excitarit, cujus cineres jam aliô transferre cogeretur, disjecto etiam *Secretarii vestibulo*, ubi ad ejus usque aetatem quieverant? Et sane legimus in ejus vita, quod [1] *ea, quae in Ecclesia B. Petri Apostoli foris muros longo jam senio cassata videbantur, ad pristinum statum, cultumque perduxit. Nam pene totam Porticum super Oratorium S. Dei Genitricis Mariae, quae Mediana dicitur, noviter ex trabibus, ceterisque lignis ob decorem Basilicae decoravit. Immo ei aliam similiter por-*

1 T. III. §. xv. p. 28.

ticum ante valvas argenteas novo opere, cultuque praecipuo perfecit. Nec non et in fronte Paradisi jam fatae Ecclesiae, principali musivo cuncta, quae a priscis temporibus, in eodem pariete erant diruta, velocitate nimia pingere, ac restaurare decrevit. Renovavit simul et Porticum ejusdem Basilicae, quae super gradus ejus perspicitur.

Quapropter facile adducerer, ut crederem, *Gregorium*, dum in his esset, ad exhibendum relligionis cultum SS. suo decessori, de ejusdem exuviis in splendidiorem locum transferendis, atque iccirco de construendo, super jam collapsum *Secretarium*, *Oratorio Gregoriano* cogitasse. Quod quidem a Baronio animadversum esse vidi, qui rem ita enarravit [1]. *Sepulcrum ejus, quod pietatis ergo frequentare solebat, videns redditum jam nimia vetustate deforme, nec satis dignum, quod tantum creditum sibi thesaurum includeret, et locum ipsum, in quo esset, vilem, et imparem redditum gloriae tanti Pontificis, inde venerandum transferre Corpus in nobiliorem locum, consilium iniit; quod et felicissime praestitit hoc ipso primo ipsius Pontificatus anno. At non solum novum sepulcrum construxit, sed eodem in loco egregium Oratorium fabricavit, quod plurium SS. Martyrum reliquiis locupletavit, et insigniter illustravit.*

Sed tamen de tempore, quo *Gregorius* IV. hoc Oratorium aedificavit, Baronio, aliisque, qui ejus sententiam sequuti sunt, nequeo satis acquiescere. Vix enim, ac ne vix quidem credibile videtur, ut ille [2] opinatus est, anno DCCCXXVII, post cujus medium renunciatus ab eo dicitur Pontifex, etsi animum, statim *post electionem simul, et consecrationem Praesulatus sui*, ad Templa restauranda advertisset, tot, ac tanta, quae ab Anastasio me-

1 T. IX. p. 774. 2 n. 33. ad an. 827.

morantur, vel tantum circa Bas. Vat. molitum esse, ac *Oratorium Gregorianum* perficere potuisse. Qua de re certum *S. Gregorii* translationis tempus determinari minime posse videtur, uti pluribus demonstrare adnisus est Constantinus Suiskenus [1], qui idem de altera S. *Gorgonii*, quae plus minus eodem tempore fieri debuit, pronunciandum esse existimavit. Ceterum isthaec omnia, non ultra alterum suscepti a *Gregorio* Pontificatus annum differenda esse, totius narrationis Anastasianae series mihi facile persuadet. Nec tamen facile definierim, cui salutis anno iste respondeat. Nam et quo primum anno dictus sit *Gregorius* Pontifex, incertum est; quamquam nihil probabilius, quam quod in eruditissima *dissertatione de Libro diurno Romanorum Pontificum*, primus omnium vidit, confirmavitque Franc. Ant. Zaccaria [2], *Gregorium* mense Novembri anno DCCCXXVII. Pontificatum iniisse. Quamobrem, quum a Novembri mense insequentis anni secundus *Gregorii* annus hoc in systemate coeperit, medio circiter anno DCCCXXIX, et Oratorii constructio, et sacrorum Magni *Gregorii* cinerum translatio, statui commode poterunt.

Hoc autem, quo demum cumque sui Pontificatus anno *Gregorius* praestiterit, divino sane consilio in ejus animum incidisse putandum est, ut beatissimi Pontificis gloria, et cultus latius propagaretur; contra quam ab eo cautum fuerat, qui veritus, ne Corporis sui tegumenta honore, et cultu Sanctis debito Populus veneraretur, sancito canone statuerat, ut quum Romani Pontificis Corpus ad sepeliendum efferretur, nullo tegmine velatum esset. Quocirca Deus, ad ejus hanc animi demis-

1 T. III. Sept. p. 331.

2 T. III. Bibl. Liturgicae p. CCCLXX.

sionem exaltandam, honestandamque, effecit, ut refossa postea, una cum ejus Corpore, Pontificia ornamenta, Populus pio cultu certatim prosequeretur. Refert enim Joh. Diaconus, quod sub Altari sui nominis, *ejus anniversaria solemnitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur, in quam Pallium ejus, et Phylacteria, sed et baltheus ejus consuetudinaliter osculantur*. Quae quum *singulatim considerata*, ut idem auctor animadvertit, *et antiquitatem Viri, et mediocritatem habitus, et speciem regularis propositi, signis perspicuis repraesentent*, si cui lubitum esset, ea dignoscere, id assequetur ex icone allata apud Baronium [1], Angelum Roccham [2], Bollandistas [3], et Maurinos [4], in Gregorianorum Operum editione, ac praesertim apud Danielem Papebrochium in dissertatione xxiI, quae exstat *in Propylaeo ad Acta SS. Maij* [5]; ubi praeterea notis illustravit aliàs Gregorii Parentum imagines a Ioh. Diacono descriptas, ac *Phylacteriorum* nomine, cum Baronio, Roccha, aliisque, *Crucem Pontificalem* reliquiis refertam ad collum gestari solitam, Graecis ἐγκόλπιον, ex ipsius *Gregorii* epistola ad Theodolindam [6] significari docet.

Quanta vero esset festi hujus diei celebritas, ex eo etiam desumi potest, quod Mallius scriptum reliquit *de consuetudinibus Confessionis* [7]. *A festo*, inquit, *S. Gregorii Papae, usque ad festum Pentecostes, in unoquoque die*, xiI. *denarios Papienses dantur Domino Papae, et mille librae cerae per singulos annos, et in unoquoque mense una aquaricia olei, et una libra olibani, si est in Vrbe, vel circa Vrbem, per*

1 T. viiI. p. 182. 2 T. iI. p. 368.
3 T. iI. Martii.
4 T. iv.
5 p. 88.
6 l. x.v. ep. xiI. edit. Maur. Sarnelli. Se l'uso de' Vescovi di portare la Crocetta pendente dal collo sia antico? in T. vI. Lit. Eccl. p. 58.
7 in Append. Ord. Rom. xI. c. xxxviiI. pag. 63.

unum diem. Praeterea inter eas dies hoc festum [1] recensetur, in quibus, reverentiae caussa, consueverunt Romani Pontifices a Consistoriis abstinere. Inquit enim Ordo xiv. *In festo S. Gregorii Papae non fit Consistorium*. Ac demum [2] *per constitutionem B. Gregorii Papae* xI, *et Vrbani* vI, *in omnibus festivitatibus* iv. *Doctorum SS.* Gregorii, *Augustini, Hieronymi, et Ambrosii, in Missa dicitur* Credo in unum.

§. III.

Gregoriani Altaris ornamenta, et privilegia.

Quantum curae, ac studii *Gregorius* IV. impenderit, ut Oratorium ab se erectum omni ex parte, nitore, ac luxu splenderet, discimus ex Anastasio, quem iterum praestat audire. *Sacrum Altare*, inquit [3], *argenteis tabulis undique perornavit, et Oratorium suo sancto nomine titulavit, absidamque ejusdem superaurato musivo depinxit. In quod scilicet Oratorium Corpora BB. MM.* Sebastiani, Gorgonii, *ac* Tiburtii, *ex Coemeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit, et unumquodque eorum* separatis Altaribus *collocavit. Pro quibus denique, Pontificatus sui tempore decrevit, ut Monachi, qui ad officium persolvendum in Ecclesia B. Petri Apostoli sunt constituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant. Obtulit autem in eodem Oratorio vela majora, vel modica serica decem, et octo: vestes super Altare, sub quo SS. Gregorii Papae Corpus quiescit, tres, unam cum chrysoclavo habentem historiam..... et super unumquodque Altare praedictorum Martyrum vestem de fundato unam, imagines denique desuper deargentatas, nec non auro perfusas tres, habentes vultum Domini, et eorum depictas, quorum specialia ibidem Corpora humata miraculis,*

1 in Ord. xiv. p. 385. 2 in Ord. xv. p. 519. 3 T. III. n. vI. p. 11.

ac virtutibus pollent. Quibus tamen quum nondum singulare hujus Pontificis studium erga *Gregorium* M. contentum esset, eodem Anastasio teste [1], *fecit etiam in Oratorio SS. Papae* Gregorii, *infra Ecclesiam B. Petri Apostoli*, *columnellas argenteas* IIII, *habentes libras argenti numero* XL.

Praeterea a Ciacconio [2], et a Ciampinio [3], qui rem, uti supra videre licet [4], Alpharano teste, atque adstipulatore, memoriae prodiderunt, S. Pontificis Corpus urna marmoris aegyptiaci, mirae amplitudinis, ferratisque trabibus circumdata fuisse inclusum edocemur, etsi hujusmodi urnam, nonnisi in Altari a *Pio* II. erecto, quod *Gregorio* IV. tribuebant, perperam agnoverint. At Severanus, qui Oratorium a *Gregorio* IV. constructum loco suo collocavit, alia de ejusdem nobilitate, et pulcritudine persequutus est. *In fine porticus*, inquit [5], *meridiem versus visebatur Oratorium*, *sive Sacellum a Gregorio* IV, *qui floruit sub annum Domini* DCCCXXVII, *exaedificatum*, *cum tribuna*, *seu apside ex opere musaico*, *ad cujus aram principem argento coopertam transtulit Corpus Gregorii M. et sub tribus aliis in eodem Sacello recondidit Corpora SS. Sebastiani*, *Gorgonii*, *atque Tiburtii*. Si vero Grimaldi testimonio standum esset, praeter memorata ornamenta, nova etiam ibidem essent agnoscenda. Ait enim [6]. *Sacellum hoc septum fuit a Gregorio Quarto in quolibet columnarum spatio*, *usque ad Sacellum S. Thomae*, *magnis marmoreis tabulis altis*, *fere ad staturam hominis*. *Quod ornamentum*, *sive septum ne peregrinae multitudini ad Iubilaeum venturae anno* 1575. *visitando Basilicam impedimento foret*, *ut multi hodie reminiscuntur*, *Gregorius* XIII. *P. M. amoveri mandavit*. *Ex quo marmoreo ambitu colligitur*, *quod Gre-*

1 T.III.§.XLI.p.33. 2 T.I.p.599. 3 p.70. 4 p.692. 5 p.65.T.I. 6 p.ms.38.

gorius quartus Altare, subter quod collocavit Corpus S. Gregorii Magni, construxit in facie, nempe in pariete anteriori Basilicae ad ortum Solis extremae navis, dextra egrediendo Basilicam, ubi nunc exstat ipsius Pii sepulcrum. Verum, ne quid dicam de temporum ratione, ipsa locorum indicatio haec potius de Altari a *Pio* II. erecto intelligenda satis evincit, quod Grimaldus pro antiquiori a *Gregorio* IV. exstructo praepostere accepit, eo magis, quod opinionem hanc meam maxime adjuvat Panvinius, qui hanc eamdem Cellam a *Pio* II. exstructam describens [1], *totam cancellis marmoreis per intercolumnia, et testudine lateritia a Pio* II. *facta conclusam* testatur. Quare ea potius a Grimaldo accipiamus, quae alio loco de hoc Oratorio recte literis consignavit, ubi ait [2]. *Versus anteriorem Porticum, est aedicula apsidata, ternis hinc inde sacellis, arcuato fornice, ac columnis ornata, olim* S. Gregorii.

Atque haec de ornamentis *Gregoriani Oratorii* ex antiquis Sciptoribus corradere licuit. Addendum vero heic est, quod legitur apud Anastasium de *Leone* IV, qui [3] *fecit in Oratorio Beati* Gregorii *Confessoris, atque Pontificis vestem de fundato cum gammadiis, et Crucem ex argento texto unam.* Nec omittendum *Nicolai* Pontificis donum, qui, ut ait Anastasius in ejus vita [4], *in Basilica B. Petri Apostoli in Oratorio* S. Gregorii *Papae vestes fundatas per circuitum ornatus de olovero obtulit tres*, praeter *tabulam argenteam* ab Anglis huic Oratorio dono datam, sedente eodem Pontifice, de qua supra diximus [5].

Hinc vero patet, oblationes a vetustissimis usque temporibus ad *S. Gregorii* aram fieri solitas fuisse. Quo-

1 T. II. ms. p. 140.
2 in lib. instr. fol. 30.
3 T. III. §. XLIII. p. 94.
4 T. III. §. XXXVI. p. 191.
5 p. 679.

circa *Innocentius* II, qui, ut tradidit P. Mallius [1], *condidit privilegium, in quo concessit Canonicis Basilicae B. Petri medietatem omnium ministeriorum omnium Altarium, quae sunt in Ecclesia B. Petri, et S. Mariae in Turri, praeter Altare S. Leonis* IX, item suo diplomate [2] iisdem Canonicis perpetuo addixit *medietatem quoque oblationum Altaris S.* Gregorii, *et omnium eorum, quae ad ipsum pertinent.*

Praeterea Mallius [3], et ex eo Panvinius [4] adnotarunt, *ad S. Gregorium Cand. I. nocte dieque* illuxisse; ac quoties Romanus Pontifex nocturnas in Vaticana Basilica stationes celebrabat, toties in eodem, tus adolere consueverat, ut tradit Ordo XI, cujus verba rursus huc afferam [5]. *Pontifex autem primum incensat Altare S. Leonis, deinde cum processione incedens per Porticum Pontificum ad* S. Gregorium, *primum* incensat Altare ejus.

Ne vero quidquam de pristino ejus cultu, ac reverentia unquam decederet, *Innocentius* III, pii cujusdam Sacerdotis visu in somniis objecto admonitus, quod idem cum nonnullis aliis Vaticani Templi Altaribus exauguratum esset, Octaviano Cardinali Episcopo Ostiensi praecepit [6], ut denuo sollemni ritu illud consecraret. Et sane v. Kal. Maij in libro Benefactorum adnotatur *Consecratio Altaris B. Gregorii Papae.*

1 tit. 54. 2 T. I. Bull. Vat. p. 47.
3 T. VI. Iun. 89, et in Opp. Ord. Rom. in T. II. Mus. It. p. 161.
4 T. III. ms. p. 40.
5 in T. II. Mus. Ital. p. 222.
6 apud Raynald. ad an. 1198, et in T. I. Bull. Vat. pag. 79, et in Tom. II. Pontif. Catalani pag. 137.



§. IV.

De vetustissimo Gregorii Ordinationis festo.

Latinus Malabranca Ordinis Praedicatorum a *Nicolao* III. sacra purpura, et Ostiensi Ecclesia insignitus, non sine magna laudum suarum accessione, quae certe a Ciaccomio [1], aliisque ejus vitae Scriptoribus [2] minime erat praetermittenda, *Gregorii Magni* cultum insigniter studuit augere. Nam Codicillis, quos S. Coelestini diploma nobis exhibet [3], domos, et areas *juxta Ecclesiam S. Michaelis Frisonum in Porticu S. Petri, secus viam S. Spiritus in Saxia*, testamento legavit, ut singulis annis in Festo B. Gregorii, *distribuantur inter Canonicos, et Beneficiatos, ac Mansionarios praedictae Basilicae, qui praesentes fuerint in officio ejusdem festi, octo floreni aurei, ultra distributiones solitas. Item, quod fiat in eadem Basilica aliud sollemne festum* de Ordinatione B. Gregorii, IV. *Nonas Septembris, quod in nonnullis Ecclesiis celebratur, quodque maxime in ipsa Basilica, in qua idem Pontifex ordinatus exstitit, celebrari decet, et in ipso festo distribuantur inter praedictos quinque floreni aurei ultra solitas distributiones.*

Jure igitur Necrologium Bas. Vaticanae haud semel per anni cursum Cardinalis optime meriti memoriam excitabat. Sic enim loquebatur [4] IV. *Idus Martii. In isto festo S.* Gregorii *expendantur pro bone memorie Dño* Latino *Episcopo Ostien. qui donavit nostre Basilice Palatium juxta Sanctum Michaelem, cum domibus, et vineis juxta ipsum Palatium*, VIII. *flor. auri. Item eodem die expendantur de auro*

1 T. III. col 168.

2 Pomp. Sarnelli Catalogo de' Cardinali Domenicani, e di quelli della Famiglia Orsini. nel 1. T. delle sue lettere Ecclesiastiche p. 172. 183. Mandosio Bibl. Rom. Cent. I. p. 65.

3 T. I. Bull. Vat. p. 208. et 223.

4 p. 36.

regis Karoli V. *floren.* Ac rursus [1] iiI. *Id. Augusti. Obiit bo. me. Dñus* Latinus *Ostien. Episc. qui multum dilexit nostram Basilicam, et familiam ipsius, qui donavit nobis Palatium suum cum claustro, domibus, et vineis posit. juxta Ecclesiam S. Michaelis, mandans, quod Camera nostra distribuat inter Canonicos, Beneficiatos, unum florenum aureum quolibet die dominico, et in Ordinatione, et Electione S.* Gregorii *Pape* V. *flor. et in festo ejusdem S.* Gregorii viiI. *flor. auri, et in festo S. Dominici* v. *flor. auri de fructibus dictor. Palatii, claustri, domor. et vinear.* Ac demum [2]. iiI. *Non. Sept. Item in isto festo expendantur quinque floreni auri pro anima D.* Latini *Card. Hostiensis Episc.*

Et sane ipse SS. Pontificum Ordinationis dies, quem S. Leo *natalium diem*, aut *servitutis suae natalitium diem*, Ambrosius *natalem Sacerdotii*, Gregorius Turonensis *sollemnitatem Natalitii*, Petrus Crisologus, *Festa natalitia*, idemque *Gregorius* [3], aeque ac Liber Diurnus Rom. Pontificum [4], *natalem Pontificis* nominant [5], festus quotannis, dum vixerant, haberi consueverat. Tunc enim non modo Consacerdotes sui, nimirum Episcopi Ordinationi Sedis Apostolicae subjecti, sed etiam alii ex regionibus remotissimis, ac nonnulli etiam Presbyteri, teste Paullino [6], Romam conveniebant, ut Synodum celebrarent. Id aperte liquet ex epistola Invitatoria Diurni Romani ad Episcopum in *Natali Pontificis*, quae ita habet. *Dei nostri misericordia favente ill. dies, in quo Episcopatus mei est natalis adproperat, ad quem ex more missis a me literis invi-*

1 p. 112.
2 p. 124.
3 lib. I. ep. xxxvI.
4 tit. xiiI. p. 78. edit. Garner.
5 Binghamus lib. iv. cap. vI. §. xv. Dies ordinationis Episcopi anniversaria sollenitate celebratus. T. iI. p. 188. et l. xx. c. viiI. §. iI. de Anniversariis festivitatibus Ordinationum Episcoporum. T. ix. p. 164.
6 epist. xx.

taris. Decet enim, Frater carissime, ut ejusdem particeps festivitatis existas, et fraternae Congregationi praesentiam tuae dilectionis accomodes, ut ea inter nos, quae mos Ecclesiasticus exigit, confirmemus. Hujusmodi usus, quem aliorum etiam Antistitum proprium fuisse constat ex Augustino [1], patet etiam ex Xysti epistolis ad Cyrillum, et ad Joh. Antiochenum, et ex altera Hilari ad Asconium, ubi ait. *Lectis in Conventu Fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris;* itidemque ex epistola octava. *Praesidente Fratrum numeroso Concilio, et ex diversis provinciis ad diem Natalis nostri, in honorem B. Petri Apostoli, per Dei gratiam congregato.* Adde plures Leonis M. sermones [2], quos in natalibus suis ad Episcopos habuit. Plura etiam praestabant in sollemni *Coronationis* festo, in Vrbe quotannis celebrando, ut docent Ord. Rom. hujusmodi verbis [3], *Papa debet accipere coronam in capite suo, et per mediam Vrbem, cum processione redire ad Palatium, perficere festum Coronae. Coronatus redit ad Palatium, sicut in aliis coronis. Acceptis laudibus, et celebrata Corona, sicut mos est, omnes redeunt ad propria.*

Praecipue vero, ad eorum *Ordinationis* memoriam deinceps omni sollemnitate recolendam, optimo quidem consilio, sancitum fuit, quum primum eorum festivitates, Martyrum sollemnitatibus, quae tantum primis Ecclesiae seculis celebrabantur, adjectae fuerunt; ut idem dies quotannis, vel post eorum obitum perpetuo recolendus esset [4]. Ac propterea, ut recte notat Quesnel-

1 Serm. xxxiI. de verbo Domini.
2 Serm. I. c. IIl. Serm. IIl.
3 in T. II. Mus. Ital n. 26. 27. et 36. et in T. I. Gloss. Carpentier p. 1153. Franc. Corneus de commemoratione Anniversaria Coronationis Summi Pontificis.
4 V. Baronium. ad Martyrologium. p. 18. Rosweidum. ad epistol. xvI. S. Paullini. S. Boussaeum. in dissert. xxvII. noctium Theologicarum pag. 325. Ernestum Sal.

lius [1], Romanum Martyrologium nobis exhibet singulos Basilii Caesariensis, Ambrosii, Zenonis, Paullini, Augustini, Leonis, Hilari, Martini Turonensis *ordinationum* dies annua sollemnitate celebrandos. Alicubi vero, praeter ceteras caeremonias, stipem, et congiarium mendicis impertienda, Ritualia praescribebant, ut discimus ex Ord. Eccl. Mediol. ann. circ. MCXXX, ubi traditur [2]. *In Ordinatione S. Ambrosii, ad ejusdem Ecclesiam pauperibus dat Archiepiscopus pro elemosina .... Baffam unam .... si vero in sexta feria festum praedictum venerit, Archiepiscopus tantum tribuit casei, quantum Baffa sub aestimatione valeret*. Praeterea Conc. Lemovicense anno MXXX. haec habet [3]. *Hanc etiam diem statuimus habendam in recordatione omnibus annis, qua (Sanctus Martialis) translatus est; qua etiam die Cathedra ejus, hoc est* Ordinatio, *sive initium Episcopatus ejus est, non quod eadem die consecratus sit in Episcopum, sed sicut est* Cathedra B. Petri Antiochiae, *itemque* Cathedra Romae, *non quod tunc consecratus sit Episcopus, qui a Domino jam olim consecrationem susceperat Pontificalem, sed quia tunc primum in illa die apud easdem Ecclesias sedit, ad suscipiendum super populum Dei regimen pastorale*. Idem de *Gregorio M.* aperte liquet, de quo sub die III. Septemb., ita in Martyrologio adnotatur [4]. *Romae Ordinatio incomparabilis Viri* S. Gregorii Magni *in Summum Pontificem, qui onus illud subire coactus, e sublimiori throno, clarioribus Sanctitatis radiis in Orbe refulsit*. Hoc idem festum in multis aliis Sanctorum fastis memoratur, atque inter *Auctaria* ad Vsuar-

Cyprianum. in Programm. 2. de natalitiis Episcoporum. Colburgi 1708. 8. pag. 66. Wilihelmum Ern. Tenzelium. in Schediasm. de Natalitiis Episcoporum. in ejus exercit. select. Lips. 1692. 4. P. I. p. 344. Ioh. Henric. Stussium. de Natalitiis Ecclesiasticis. Gothae 1737. 4. §. III.

1 T. II. Opp. Leon. edit. Baller. p. 600.

2 in T. IV. Ant. Ital. med. aevi apud Murat. col. 926, et Carpent. in T. I. p. 418.

3 Sess. I.

4 p. 437. litt. o.

dum, et *inter Orationes, et Preces de Natalitiis SS.* a Thomasio [1] evulgatas, nonis Septembr., idest III. die Septembris, in qua praefigitur *Ordinatio S. Gregorii Papae ad S. Petrum*, quinque Orationes occurrunt.

Qua de caussa ad eamdem diem Bollandistae [2], ubi Sanctos praetermissos, et in alios dies dilatos adnotarunt, allata Romani Martyrologii verba proferentes, hujus festi meminerunt. At cur neque iidem *Gregorii Acta* [3] copiose illustrantes, neque Maurini, qui ejus vitam, operumque editionem adornarunt, aliam de eo mentionem fecerint, non intelligo. Nam vel anniversaria *Gregorii* sollemnitas, quum apud Latinos diem certam non habuerit, in iis praesertim Ecclesiis, quae a celebrandis Sanctorum festis per dies esuriales, ex veteri disciplinae usu abstinebant, atque iccirco a nonnullis ad diem XXVI. Aprilis, aut ad XXIX. Martii fuerit translata, ut apud Leodicenses [4], nihilominus a multis etiam hac ipsa ejus *Ordinationis* die celebrata fuit. Id olim vel in Vrbe factum fuisse testatur Radulphus Praepositus Turonensis, qui nullum Romae in Quadragesima festum celebrari consuevisse tradidit, ac propterea Annunciationis ante Christi nativitatem, S. *Gregorii* ad diem III. Septembris, in quam incurrit ejus *ordinatio*, ac S. Benedicti festa ad mensem Julium fuisse translata. Quocirca, saltem ob hanc caussam, hujusmodi festum, peculiari memoria dignum profecto videbatur.

Dolendum vero maxime est, ut jure meritoque pronunciavit Bartholomaeus Plazza [5], quod felicissima tam sollemnis diei recordatio, quae adhuc in Ecclesia Am-

1 T. II. edit. Vezzos. p. 511.
2 T. I. Septem. p. 597.
3 T. II. Martii.
4 Radulph. de Observant. Can. c. XVI. et Hospinianus de Origine festorum p. 50.
5 in Ephemer. Vat. p. 521.

brosiana, in Ordine Cluniacensium, in Diaecesi Aurelianensi, aliisque in locis relligiosissime retinetur, Romae, ubi inprimis perpetuo celebranda erat, plane desueverit.

Sed, ut in viam redeamus, Cellam hanc *Gregorianam* in locum *Secretarii antiquissimi* successisse, eôque translatas *Gregorii M.* exuvias fuisse, satis arbitror ex iis, quae hactenus attulimus, constare inter omnes debere. Ludovici autem Jacobi a S. Carolo opinionem, quid heic ego morer, qui non, uti ceteri Scriptores, in uno ex Altaribus Vaticanae Basilicae conditum *Gregorii* Corpus, sed *e Vaticano deductum ad Monasterium S. Andreae, nunc S. Gregorii, et sub Altari S. Andreae Apostoli sacro positum* fuisse affirmavit? Nam alibi etiam lapsus est vir, ceteroqui eruditissimus, cujus *Bibliotheca Pontificia* [1], summopere optandum esset, ut collata cum iis, quae Gaspar Sagittarius [2] adjecit, novis accessionibus, atque emendationibus locupletata, in lucem prodiret. At fortasse in hunc errorem incidit, quod, ut etiam Oldoinius [3] animadvertit, in Coelimontio ad Clivum Scauri, S. Doctoris brachium, Panvinio teste [4], custoditur, ut in aliis Vrbis Ecclesiis aliae ejusdem reliquiae. Nil aeque dicam de altera Gasparis Alveri conjectura, qui *Gregorium* M. in *Sacrario* nuper everso, a *Gregorio* IV. collocatum esse suspicatus est. De ea enim loco suo disseremus.

1 Lugduni 1643.
2 in Introduct. in Hist. Eccl. Ienae 1718. T. I. p. 650. c. xxv. de Scriptoribus Hist. Pontificum Romanorum universalis.
3 T. I. Ciacconii col. 417.
4 de vii. Eccl. p. 142.

§. V.

Caussae, quibus in vero Gregorianae hujus Cellae loco assignando, Scriptores in diversa abierint, explanantur.

Quod hac de re, adeo confuse, ac perturbate scripserint, totque in sententias, tam pugnantes, tam alienas discesserint allati auctores, id si quis miretur, is hujus dissentionis, et varietatis caussas has a nobis accipiat. Ac primo, quod fere omnes, centum, aut ducentis annis, postquam sub Altari S. *Andreae* Corpus *Gregorii* M. a *Pio* II. depositum fuerat, de *Cella Gregoriana* disputarunt. Ac proinde antiquiorem, cum aliis, sed praecipue cum ea a Pio II. erecta commutarunt. Secundo, quod et memoria Cellae *Gregorianae*, super *Secretarium antiquissimum* constructae, vetustaeque translationis illuc factae a *Gregorio* IV. jam obsoleverat, ejusque Corpus inde eductum, nomen quoque suum Altari, quod *Pius* II. construxerat, sensim communicaverat. Tertio denique, quod celeberrima imago *S. Mariae a Febribus* nuncupata, in *Cellam Gregorianam* a *Gregorio* IV. excitatam, aliunde illata, quod ibi fortasse reliquum erat nominis *Gregoriani*, celebritate sua, ac nova nominis fama, penitus extinxit.

Quam vero certum sit, Cellam hanc *Gregorianam*, antiquo nomine amisso, deinde *S. M. a Febribus*, vulgo audisse, constat ex multis scriptoribus, sed praesertim ex Panvinio. Eos optimos rei testes in medium profero. Panvinii verba haec sunt [1]. *Gregorii Corpus in extrema Porticu Bas. B. Petri ante* Secretarium *tunc antiquissimum*...

1 T. II. ms. c. xxII. p. 113.

sepultum est. Is locus, ut rem acu tangamus, est inter S. M. de Febre, *quae antiquitus Secretarium erat, et minorem Portam S. Petri, quae Iudicii dicitur, parieti, sive muro Basilicae affixus.* Atque alibi [1]. *Proxime eam Portam* (nempe Ravennianam) *et alia minor Iudicii, quae Ecclesiam vetustissimam S.* Gregorii *olim, nunc S. M. de Febre dictam respicit, quae antiquitus* Secretarium *fuit, ut supra dixi* [2], *in qua sunt duo perystilia, ex utroque latere, quatuor columnis sustentata, sex insunt Altaria totidem delubris locata, Majus, duo ex uno latere, et tres ex alio.* Verum id luculentius etiam demonstrat in capite, quod ita inscribit [3]. *De Secretario, quod olim Templum S. Gregorii, nunc S. M. de Febre,* ubi ait. *Is locus Laterani S. Thomae, apud S. Petrum S. M. de Febre nomine hodie, imperite appellatur a populis.* Ac demum idem alibi confirmat hujusmodi verbis [4]. *Secretarium vetus, quod olim S. Gregorii, hodie S. M. de Febre, imperite dicitur.* Quibus egregie declarat, *S. Gregorii* Cellam eodem in loco, ubi fuerat *Secretarium* vetus, seu juxta Joh. Diaconum, quem nos sequuti sumus, *antiquissimum*, surrexisse, quod demum postremis temporibus vulgo appellari coepit, ab imagine *B. M. a Febribus* illuc translata. Haec tamen omnium primum exacte notasse comperi Jacobum Grimaldum, qui ita scripsit apud Martinellium [5]. *Erat Aedicula* S. M. de Febribus *conjuncta cum Porticu anteriori, quae erat ante fores antiquae Basilicae a S. Gregorio aedificata, ut habet Pontificale antiquum dictae Basilicae, unico fornice, octo albis, et altis columnis, Zophoro, sex Sacellis, et absida ornata, cum porta ad Orientem, a Xysto* IV. *restituta.* Quae quidem Grimal-

1 Ibid. p. 136.
2 Ibid. p. 113.
3 T. III. ms. c. XXVI. p. 29.
4 de vet. Eccl. p. 47.
5 p. 217.

di verba iterum a Martinellio [1] recitantur, sub titulo *S.M. de Febribus*, ubi addidit, *a moderno scribi, esse Sacrarium Basilicae Vaticanae*. Quod manifeste demonstrat, Grimaldi locum, qui ad *Oratorium Gregorianum* a *Gregorio* IV. aedificatum, quò translata fuit B. V. Imago, tantum referendus erat, a Martinellio Templo rotundo, ubi eadem effigies primum depicta fuerat, ac postea rediit, praepostere esse attributum. Sed hic Grimaldi locus fraudi etiam fuit Karolo Fontanae, qui ejus verba de Templo rotundo accipiens, inconsulto scripsit [2]. *Sacrarii aedem a Xysto* IV. *anno* 1471. *instauratam, restratis muris labantem validius fuisse suffultam*; quod tantum de *Oratorio Gregoriano*, ut ait idem Grimaldus, a Xysto IV. restituto dicendum erat. Ac demum idem Grimaldi locus Marangonio fucum fecit, qui octo albas, altasque columnas, quae in hoc *Gregoriano Oratorio* tantum fuerant, in *Sacrario* nuper dejecto, oscitanter collocavit [3].

Sed pauca haec obiter adnotata de imagine *D. N. Mariae Febrifugiae*, modo sufficiant. Plura enim de ea disputaturi sumus libro sequenti, ubi de Templo rotundo disserendum erit, quod ejus nomini, postremis usque temporibus, sacrum permansit. Nunc, ut ad coeptum nos recipiamus, reliquum est, ad *Cellam Gregorianam*, super *antiquissimum Secretarium* firmius constabiliendam, ut prodam, contiguam plane fuisse *novello Secretario*, *ante* quod, non longe a *Secretario antiquissimo*, Joh. Diaconus, et Anastasius, a *Gregorio* IV. constructam fuisse testantur. Sed, antequam id a me ptaestetur, est aliud satis intricatum, quod sequenti capite expediam.

1 p. 372.
2 p. 69.
3 Cose Gentilesche ad uso delle Chiese cap. LII. *S. M. de Febribus* p. 261.

CAPVT XIIII.

Qualisnam e descriptis Cellis Gregorianis, quibusque de caussis, pro Secretario accepta fuerit?

De *Cellis Gregorianis* hactenus disputantes, quotuplex earum numerus, et quo eae loco positae fuerint, pluribus demonstravimus. Superest nunc, ut sedulo inquiramus, qualisnam earum, tamquam Bas. Vat. *Secretarium* accepta fuerit. Equidem, quotquot *Cellas Gregorianas* fuisse vidimus, totidem fere *Secretaria* fuisse dicendum esset, si fidem Vgonio, Ciampinio, et Mabillonio praestandam esse, quisquam contenderet.

Primus enim, postquam Cellam a *Pio* II. S. *Andreae* erectam, ac D. *Gregorio* quoque dicatam descripsit, ibi fuisse addit [1] *antiquum Secretarium Ecclesiae S. Petri, in quo Papa sacro indui ornatu solebat, ad divina officia peragenda, atque inde cum sollemni pompa procedere ad Altare SS. Apostolorum*. Quod seu de *antiquissimo*, seu de *novello* accipiendum sit, inepte Vgonium loquutum fuisse, et Bull. Vat. editores [1] immerito in ejus sententiam abiisse, palam est. Illud enim ad partem Porticus meridionalem, sub literis dd. exstitisse, omnium Ichnographorum consensu demonstravimus. Hoc autem, quum item extra Basilicam fuisse certum sit, ut infra declarabitur, profecto, ubi *Pius* II. Cellam B. *Andreae* Apostoli erexit, intra Basilicam, statui non posse, nemo non videt.

Ciampinius vero *Secretarium*, quod Vgonius in *Cella Gregoriana* a *Pio* II. erecta collocavit, alteri Cellae *Sancti Gregorii de Palatio* contiguum fuisse scripsit [2], *ubi*

1 p. 99. 2 T. II. p. 140, et 141. 3 p. 96.

olim Romani Pontifices dum e Laterano ad Ecclesiam S. Petri accedebant, vestes Pontificias ad divina peragenda assumebant. Quod falsum omnino esse, vel ipse Cellae hujus *Gregorianae* positus, supra a nobis [1] descriptus, aperte demonstrat. Etsi enim extra Basilicam sita esset, tamen ad septentrionalem ejus partem exstabat, quae feminis adsignata erat. De quo nos, vel una Amalarii auctoritas superius allata dubitare non sinit [2]. Propterea ex hac parte, nimirum *ad dextram introitus*, ut ait Vegius [3], ac multo antea Mallius etiam [4] docuerat, erat *Porta, quam Romanam appellatam esse accepimus, ex eo quod Romanae Mulieres antiquitus per eam frequentius Basilicam introirent*. Quapropter, quum tantum ad Austrum viri confluerent, ac residerent, qua demum ratione *Secretarium*, in opposita regione Feminis assignata collocabitur? Quod tamen multo potiori jure a Ciampinio animadvertendum erat, qui praeter *Secretarium antiquissimum* ab se indicatum [5], aliud etiam haud ita procul ex australi parte, itemque extra Basilicam situm fuisse descripsit [6], quod unum pro *novello*, de quo infra disseremus, accipiendum erat.

Hoc autem egregie confirmat Mabillonius in *Commentario ad Ordinem Romanum*, ubi agens *de forma veterum Basilicarum*, haec habet [7]. *Secretarium, vulgo* Sacristiam, *in inferiori parte navis ad austrum collocabant, scilicet ex parte virorum. Vnde in veteri Bas. Vat., et in Lateranensi* Secretaria *erant ad sinistram ingredientium in easdem Basilicas, quia Basilicae ipsae Orienti obversae, austrum habebant ad sinistram*. Verum post haec sapienter animadversa,

1 p. 725.
2 p. 187.
3 T. vI. Iunii p. 71.
4 ibid. p. 50.
5 p. 82.
6 p. 95.
7 T. iI. Mus. Ital. p. xxiI.

nollem, summo viro paucis verbis multa excidissent, quae veritati omnino adversantur. Nam paullo post ita pergit. *In illis porro* Secretariis *Oratorium etiam habebatur, ut in Lateranensi* S. Thomae, *in Vaticano* S. Gregorii, *quod Oratorium nunc* S. M. de Febre *appellatur. Sed neutrum modo pro* Secretario *est*.

Ac primo, *Oratorium S. Gregorii*, quod in *Secretario Vaticano*, certo exstitisse tradidit, nonnisi super *antiquissimi Secretarii* ruinas exstructum a *Gregorio* IV, *ante novellum Secretarium* fuisse, jam deprehendimus. II. Falsum omnino est, idem Oratorium sua aetate, *S. M. de Febre* appellatum esse. Hoc enim, dum ille scriberet, multo pridem solo dejectum fuerat; atque Oratorium, quod tunc revera *S. M. de Febre* sacrum exstabat, erat *Sacrarium* nuper eversum, quod nunquam *Gregorio* dicatum fuisse, loco suo demonstrabimus. III. Si Oratorium Sancti *Gregorii*, sua aetate *S. M. de Febre* appellabatur, quomodo affirmare potuit, pro *Secretario* amplius non esse? Ceterum in eumdem scopulum incaute impegit Edmundus Martene, qui ait [1]. *Secretaria olim Templi vicem referebant, utpote in quibus erecta erant Altaria, ut in Lateranensi S.* Thomae, *in Vaticano S.* Gregorii, *uti observavit Mabillonius in Commentario praevio ad Ordinem Romanum*. Eidem sententiae adhaesit Dominicus Georgius, qui ita scriptum reliquit [2]. *Observandum esse ducimus*, Secretaria *Basilicae Lateranensis, et Vaticanae fuisse ad sinistram ingredientium in eas Basilicas, quia eae ad Orientem obversaverant. In his etiam* Secretariis, *ut diximus, Oratorium erat, in Lateranensi S.* Thomae, *et in Vaticana Sancti* Gregorii. Sed priusquam caussas adducam, quibus

1 de Ant. Eccl. rit. T. II. p. 861.

2 de Liturgia Rom. Pont. T. I. p. 76.

Mabillonius, Martenius, Georgius, aliique in hujusmodi errorem incidisse videntur, ejusdem Georgii verba in medium afferenda esse duco, quae eamdem opinionem animo penitus imbibisse, satis manifeste declarant. Ipse enim illustrans *Liturgiam Romani Pontificis* [1], *ex vetustissimo more descendere*, generatim affirmavit, *ut Romani Pontifices, quoties sollemniter in Basilica Principis Apostolorum celebraturi sunt, in* Sacello S. Gregorii *sacra indumenta sumant, ac eo, ex veteri consuetudine, tamquam antiquo* Secretario, *etiamnum utantur*.

Jam vero, quum probatum abunde sit, neque in Cella a *Pio* II. exstructa, multoque minus in alteris *de Palatio*, ac de *Cortina*, neque in ea, quam *Gregorius* IV. erexit, quae solae fuerunt in Bas. Vat. Cellae, *Gregorio* dicatae, *Secretarium* exstitisse; caussas modo juvat inquirere, quibus nihilominus allati Scriptores, *Secretarium Vaticanum* idem esse, quod *Cellam Gregorianam*, sibi persuaserint.

Quum statim post *Gregorii* obitum, sacrae ejus exuviae in *Vestibulo Secretarii antiquissimi* fuerint collocatae, deinde vero in Oratorium ejus honori dicatum translatae, quod supra ejusdem *Secretarii antiquissimi* ruinas erectum, *ante novellum Secretarium* stetit, arguendum fortasse est, perpetuam *Gregorii* cinerum, et *Secretarii antiquissimi*, et *novelli* propinquitatem effecisse, ut quoties *Cella Gregoriana* nominaretur, toties *Secretarium* ei contiguum nominari quodammodo videretur, ac unum pro altera promiscue acciperetur. Atque hinc factum esse arbitror, ut *Nicolaus Signorilis Pop. Rom. Secretarius* in opere, quod exstat ms. in Bibl. Vat. [2], cui titulus *de Iuribus almae Romae*, quodque, jubente Martino V, exaravit, ubi de

1 T. III. p. 74. 2 Cod. 3536.

SS. reliquiis in Vrbe adservatis disserit, ita scripserit. *Item una Crux argentea deaurata, et lapidibus pretiosis ornata, quae dicitur* Crux S. Gregorii, *in qua est de Ligno verae, et salutiferae Crucis D. N. I. C.* Quum enim *Sacrarium*, ubi relligiose adservabatur, pone S. *Gregorii* Cellam esset, fortasse huic etiam Cruci, *Gregorii* nomen communicavit, ut conjecit Cl. Praesul Stephanus Borgia [1], qui huic conjecturae aliam quoque adjecit, quod nempe *Gregorius* hujusmodi Cruce frequenter uti potuit. Et sane Panvinius [2], qui ex opere Signorilis, reliquiarum Bas. Vat. indicem confecit, hanc S. *Gregorii* Crucem inter eas recenset [3], quas *in* Sacristia *dictae Ecclesiae conservari adnotavit*. Quapropter Borgiae sententiae prope assentior, ni potius dicendum sit, hujusmodi Crucem vulgo ita nuncupatam, quod statis anni diebus in ara proxima, *Gregorio* dicata, publico cultui exponeretur.

Praeterea, quum, uti loco suo pluribus ostendemus, imago *B. M. a Febribus*, in Cellam a *Gregorio* IV. exstructam translata fuerit, ibique aliquamdiu steterit, priusquam in *Sacrarium* recens dejectum reverteretur, id Mabillonio praesertim, fraudi fuisse puto, cur *Cellam Gregorianam*, pro *Secretario* acceperit. Quum enim, dum ea literis consignaret, imaginem *B. M. a Febribus* in *Sacrario* fuisse sciret, ignorans fortasse, eam alibi olim exstitisse, recentiorem B. V. sedem, quae tunc re ipsa *Secretarium* erat, cum antiquiori confudit, quae, quum eô translata fuit eadem effigies, *Secretarium* amplius non erat, sed Oratorium *Gregorio* dicatum. Ceterum ne hoc quidem modo, ut dicam, quod est, Mabillonius omni culpa liberatur, qui rursus sibi ipsi repugnavit, illud etiam

1 de Cruce Vat. p. 65. 2 T. III. ms. c. XXXII. fol. 42. 3 ibid. fol. 43.

affirmans, uti supra animadvertimus [1], *Oratorium B. M. de Febre pro Secretario minime esse*.

Hujusmodi vero persuasionem altius animis infixam fuisse opinor, ex eo quod, quasi *Gregorii* cineres a *Secretario* nunquam disjungi vellent, eodem plane loco, ubi prius *Secretarium novellum* steterat, deinde *Cella Gregoriana* a Clemente VIII. exstructa est, ibique a Paullo V, in postrema translatione, SS. Pontificis exuviae repositae. Itaque pari modo, quo *Oratorium Gregorianum* idem esse, quod *Secretarium*, antiquitus pronunciarunt, et ipsam *Cellam Clementinam*, ut inferius demonstrabimus, *Secretarium* nuncuparunt. Quis autem non videt, tam majores nostros minus proprie loquutos esse, quam certe nunc inscite loqueretur, quicumque *Cellam Clementinam*, *Sacrarium* appellaret; etsi, tamquam ex veteri jure, ac possessione, vel *novo Sacrario* continentem esse videamus?

Sed, quum hujusmodi caussis nondum satis acquiescerem, aliasque probabiliores inquirerem, quibus antiquiores Cellae *Gregorio* sacrae, pro *Secretario* fuerint acceptae, id tandem ex eo potissimum repetendum esse novi, quod singulares ritus in *Coena Domini* peractos in Cella a *Gregorio* IV. constructa, et sollemnes quasdam caeremonias *in Pontificum Consecratione, et in Imperatorum Coronatione*, vel ab antiquissimis temporibus, non solum in eadem Cella, sed deinde etiam in altera, quam *Pius* II. exstruxit, fieri consuevisse deprehendi. Quod praecipue quidem a Panvinio discimus, qui etsi a Vegio deceptus, ut infra declarabitur, sollemnes Pontificum Consecrationis caeremonias, in Altari *S. Andreae* a Symmacho constructo celebratas fuisse scripserit, tamen alibi disserens

1 p. 132.

de *Altari SS. Andreae, et Gregorii*, quod *Pius* II. excitavit, haec recte pronunciantem, audivimus [1]. *Die Coronationis Pontifici* pro Secretario *deservit*. Idem leges apud eumdem, ubi ait [2]. *Id Sacellum nunc* pro Secretario *in Pontificis Coronatione usui est, totum cancellis marmoreis per intercolumnia, et testudine lateritia a Pio* II. *facta conclusum*. Ac rursus idem confirmat hoc modo [3]. *Hoc Oratorium nunc* pro Secretario *est in usu, quando Pontifex Rom. consecratur*. Quum enim hujusmodi ritus in *Sacrario* tantum peractos, ac peragendos esse sibi persuaserint, iccirco quaslibet *Gregorii* Cellas, ubi haec acta fuisse constat, pro totidem *Sacrariis* habuerunt. Itaque operae pretium esse duco in medium proferre veterum Ordinum, ac Caeremonialium loca, in quibus hujusmodi ritus fuse describuntur. Hinc enim, praeter jucundissimam rerum pulcerrimarum cognitionem, quae in tam augustis, ac sollemnibus caeremoniis, ex veteri instituto fieri consueverunt, illud in primis constabit, quod maxime ad suscepti operis rationem pertinet, *Cellas Gregorianas* cum *Secretariis* perperam fuisse permixtas, atque confusas. Sed primum caeremonias, *Feria* v. *in Coena Domini*, in *Cella Gregoriana* habitas explicemus.

1 p. 694. 2 T. II. ms. p. 140. 3 T. III. ms. fol. 13.



CAPVT XV.

De ritibus olim servatis, Feria v. *in Coena Domini, in Cella a Gregorio* IV. *constructa*.

Cellam Gregorianam, quam *Gregorius* IV. exstruxit, a Bas. Vat. sejunctam, et a *Secretario* diversam fuisse, apertissime, planissimeque docet insignis *Ordinis* x. locus a Grimaldo [1], et Panvinio [2] etiam allatus, qui doctissimo Mabillonio [3] visus est antiquior Seculo XIII, ac potius ad XI. revocandus. Inter omnes Ordines ab eodem evulgatos, primus hic est, ubi S. *Gregorii Cella* nominatur. En tibi *Ordinis* verba [4]. *Qualiter agendum sit* v. *feria in Coena Domini*. *Statio ad S. Iohannem ad Lateranum*. *Antequam Domnus Papa exeat de camera, dicit Tertiam*. *Hora vero* VI. *exit Domnus Papa de Palatio cum Episcopis, et Cardinalibus, et cum toto apparatu Curiae veniens ad Palatium majus, ubi solet esse hospitium Episcopi Albanensis, stans ibi in loco eminenti sermocinatur ad populum, ut moris est, et postea recitantur sententiae: et facta confessione per Diaconum Cardinalem, et absolutione per Papam, datur populo indulgentia*. *Peractis iis omnibus, descendit ad Ecclesiam Lateranensem, et intrat Ecclesiam Sancti* Thomae, *et dicit cum Capellanis suis Nonam*. *Sed si est ad Ecclesiam S. Petri, descendit ad praefatam Ecclesiam, veniens* ante Secretarium, ad Capellam S. Gregorii, *et dicit ibi Nonam*.

Heic autem, ad hujusmodi verborum explanationem Joh. Diaconi locus in appendice Ordinis Rom. a Mabillonio [5] editus proferendus est, ut hoc alterum *Basi-*

1 in lib. instr. fol. 60. 2 T. III. ms. 4 n. II. p. 97.
3 T. II. Mus. It. p. 95. 5 T. II. Mus. Ital. in l. de Eccl. Later. p. 569.

licae Lateranensis Secretarium, praeter alia superius [1] descripta, illustremus. *In Atrio quoque ipsius Basilicae, Oratorium est pulcrum, et ibi est Altare S.* Thomae *Apostoli. In hoc quidem Oratorio, quod fecit Iohannes Papa, qui renovavit Ecclesiam, induit se Pontifex vestimenta Sacerdotalia, et Pontificalia, quando debet celebrare Missam in Stationibus istius Basilicae. De hoc enim Oratorio exiens cum processione, intrat Basilicam, et vadit ad Sacrosanctum Altare dominicum, quod omnium Altarium solum habet principatum.* Post haec, Grimaldum quoque praestat audire, ita docentem [2]. *Exstat hodie* Secretarium *antiquum* S. Thomae *in Ecclesia Lateranensi in extrema navi ad laevam, majorem portam introeuntibus. Supra* Secretarii *ostium cernitur hodie antiquissima pictura, quomodo Papa sub linteo, sive baldachino, a Secretario pergebat in Processione ad Altare ad divina peragenda.* Hujus autem picturae delineationem, praeter Rasponum [3], qui idem Oratorium, a Joh. Diacono descriptum [4], pluribus illustrat, exhibent etiam Papebrochius [5], et Ciampinius [6]. Sed ad nostrum *Ordinem* revertamur, qui ita pergit [7].

Deinde tam Pontifex, quam Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et alii Clerici, quisque induatur ornatu sui Ordinis. Pontifex induit vestimenta alba, Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, Diaconi dalmaticas, pro reverentia chrismatis. Pontifex vero jam indutus dalmatica, habens manum ad collum, sedeat in sede sua: cui praesentetur ampulla, quae major est cum oleo ab Acolythis, et balsamum: et ipse Pontifex balsamum cum oleo commisceat, et conficiat, circumvolvendo cum

1 p. 344. 345. 649. 656. 730.
2 in lib. Instr. fol. 70. 3 p. 63.
4 T. II. Mus. Ital. in App. Ord. Rom. pag. 569.
5 in Conatu Cronhistor. ad Catalogum Pontificum p. 161.
6 de Sacr. Aedif. p. 14. Tab. IV.
7 ibid. p. 98. n. 3.

5 H

palmis baculum immissum in ampullam . Omnes vero ampullae remaneant ibi , et diligenter custodiantur , quousque ad Altare portantur . Postmodum autem Pontifex lotis manibus , indutus planeta , procedit cum Episcopis , Presbyteris , Diaconibus , et Subdiaconibus , et Acolythis , et omnibus Ordinibus , et habeant in processione Crucem , Evangelium , septem candelabra , turibulum cum incenso ; et sic processionaliter pergant ad Altare cum ampulla , et facta confessione , et reverentia , adscendit sedem suam . Interim autem decantetur a Cantoribus Introitus sine Gloria Patri , *et finito versu primo , repetatur Introitus . Deinde Pontifex dicit excelsa voce* , Gloria in excelsis Deo . *Dicta oratione , lecta epistola , et Evangelio , factoque sermone ad populum , si voluerit , et* Credo in unum Deum *decantato , prosequatur Missa ordine suo , et conficiat duas hostias , unam scilicet sumendam , alteram reservandam in crastinum , ac tot , quot necessariae fuerint pro iis , qui hodie sunt communicaturi .*

Postquam Domnus Papa intrat ad sacrificandum , tunc Acolythus conducit juniorem Diaconum Cardinalem , et cum eo plures Subdiaconi . Vnus autem ex eis Subdiaconis portet Crucem , Acolytho antecedente cum turibulo , et ture . Et sic processionaliter vadunt ad Ecclesiam Sancti Thomae [1], *vel* Sancti Gregorii , *ubi ampullae cum chrismate , et oleo conservantur . Cardinalis Diaconus accipit illam ampullam , quae est Chrismatis : duo alii Subdiaconi accipiunt illas duas olei exorcizati , et olei infirmorum , portantes eas super brachium sinistrum , et eo modo , quo iverunt , revertantur .*

Aliis vero caeremoniis descriptis , concludit his verbis [2]. *Post benedictionem vero istam , omnes Episcopi , et Presbyteri Cardinales , et alii Episcopi salutent sanctum Chrisma ,*

1 Turrigio Grotte Vat. p. 436. 2 ibid. num. 11. p. 101.

et oleum, ter pro quolibet, et in salutando inclinent capita dicentes. Ave sanctum Chrisma, *ter pro quolibet, et deosculentur ampullam semel tantum, et deferatur a Subdiacono ampulla olei; et summus Pontifex salutet oleum, et deosculando ampullam, sicut fecit de Chrismate, et ceteri omnes salutent per ordinem ampullam in deosculando. Postea reportentur ampullae processionaliter, sicut fuerunt adductae, ad* Sacrarium, *vel* locum, ubi sedere debent, *et inde distribuatur unicuique, sicut decet, et fuerit opportunum*.

Quid autem, rogo, hujusce praestantissimi *Ordinis* scriptor adjicere poterat, ut luculentius declararet, Bas. Vat. *Secretarium*, a Cella S. *Gregorii* esse distinctum, et separatum? Quum enim *Secretarium* Lateranense esset Oratorium vetustissimum, Panvinio teste [1], a Johanne XII. excitatum, ac *D. Thomae* sacrum, ne quis idem de *Secretario Vaticano* suspicaretur, et pari modo *Gregorio M.* dicatum esse crederet, apposite adnotavit [2], *sed si est ad Ecclesiam S. Petri, descendit ad praefatam Ecclesiam, veniens* ante Secretarium, ad Capellam S. Gregorii. Ac rursus, ne quis forte persuasum haberet, ampullas in alio loco, praeter *Sacrarium*, servari non potuisse, ac propterea, si in *Capella S. Gregorii* deponebantur, eamdem ipsum fuisse *Sacrarium* contenderet, consulto videtur adjecisse [3], *reportentur ampullae processionaliter ad Sacrarium*, vel locum, ubi sedere debent.

Age vero, in hanc rem cetera posteriorum *Ordinum* testimonia proferamus. Ac primus occurrit Benedictus Canonicus, cujus illa sunt verba in *Ordine* xI. [4] *In Coena Domini.... ad Missam descendit summus Pontifex in* Secretarium. *Praeparatis ampullis plenis oleo, miscitat balsamum*

1 de vI.Eccl.p.123. 2 loc. cit. p. 98. 3 loc. cit. p.101. 4 ib. n. 40. p.136.

cum oleo. Deinde se innuit cum omnibus aliis, et habet septem candelabra ante se accensa: et cum processione procedit ad Altare cum linteo extenso super caput ejus.

Quaeres fortasse, cur *Capellae Sancti Thomae*, aut *Sancti Gregorii*, in hoc Ordine minime nominentur? Atqui non heic sermo est de temporibus *Gregorio* IV. anterioribus, ut in Ordine I[1], ubi de Cellis S. *Thomae*, aut S. *Gregorii* nondum erectis, ne verbum quidem fieri, quum, uti vidimus, hujusmodi caeremonia describitur, mirandum minime est. Contra vero in Ordine xII, ubi Cencius describit, *quid Dominus Papa facere debeat in Coena Domini*, haec habet[2]. *Descendit ad Ecclesiam Sancti Iohannis Lateranensis cum mitra sine frisio, hora sexta: et facta oratione ante Cruces, pergit ad* Secretarium, *ad Ecclesiam Sancti* Thomae, *cum Episcopis, Cardinalibus, et aliis Ordinibus, ibique cantat Nonam*. Quid igitur reponam? id nimirum; hoc loco Cencium, dumtaxat Ecclesiam S. *Thomae* nominasse, quod tantum de caeremoniis in Bas. Lateranensi ea die obeundis dissereret; quas vel ipse Benedictus unice indicare voluit, quum generatim ea die Pontificem in *Secretarium* introeuntem descripsit. Id tamen minime praetermisit P. Amelius in Ord. xv[3], qui caeremonias describens in *Capella* peragendas *de ampullis in die Iovis sancta, in Coena Domini*, disertis verbis declarat, *sic processionaliter vadunt ad Capellam* S. Thomae, vel S. Gregorii, *vel ubi ampullae cum chrismate, et cum oleo conservantur*. Et paullo post[4]. *Reportantur ampullae processionaliter, sicut fuerunt adductae ad* Sacrarium; *vel ad locum, quem Sacrista ordinavit, ubi stare debent*.

1 ibid. p. 20. et 33.
2 c. xl. p. 178.
3 c. LXIII. p. 483.
4 p. 484.

Neque vero Jac. Cajetanus in Ord. XIV. audiendus est, quem variis in locis interpolatum ipse Mabillonius fatetur [1], ubi agens *de officio feriae quintae in Coena Domini*, sic absolvit [2]. *Peractis his omnibus descendit ad Ecclesiam Lateranensem, et intrat Ecclesiam veniens*, ante Sacrarium *ad Ecclesiam Sancti* Georgii, *et dicit ibi Nonam*; aliisque caeremoniis expletis, quas supra indicavimus, ab eo descriptis [3], *sic processionaliter vadunt ad Ecclesiam S. Iohannis, vel Sancti* Georgii, *ubi ampullae cum chrismate, et oleo conservantur*. Vtrumque enim locum non carere mendo, atque *Gregorii* pro *Georgii* legendum esse, recte existimaveris. Neque a vero fortasse discesseris, si nonnulla etiam hoc loco deesse suspicaberis. Haud enim ibi Sancti *Gregorii* Basilicam a Cencio descriptam, indicari facile putem, sed potius *Cellam Gregorianam* Bas. Vat., quae *ante Sacrarium* exstabat. Ibi enim si chrismatis confectio celebranda esset, non in *Secretario*, ut in Basilica Lateranensi, sed *ante Secretarium* ad *Cellam S. Gregorii* pergendum erat; quod et adnotavit Georgius [5], quin tamen *Cellam Gregorianam* a *Secretario* distinguendam esse cognosceret. Ceterum Jac. Cajetanus, seu quicumque fuit hujusce Ordinis consarcinator, *Ordinem* X. supra descriptum [6] certe respexit, nec tamen satis accurate, ut ibi legitur, caeremonias, quae in Bas. Lateranensi fieri debebant, ab iis in. Bas. Vat. peragendis distinxit. Ac profecto plura ex *Ord.* X. excerpta, ac in *Ordinem* XIV. derivata, ex eo etiam liquet, quod ibidem [7] praecipiatur iisdem fere verbis, atque utitur *Ordo* X [8], *cum reverentia, et omni devotione* mensam cavi Altaris Bas. Later.

1 ibid. p. 357.
2 num. LXXXII. p. 354.
3 ibid. p. 355.
4 p. 96.
5 T. II. p. 23.
6 p. 138.
7 ibid. p. 356.
8 ibid. n. 7. p. 99.

a Diaconibus, et Subdiaconibus removeri, palliis desuper complicatis, ne aditum ad interiora occluderet, utque ea die Pontifex intra ipsum Altare sacris operaretur, transferri in *Capellam S. Pancratii, juxta Claustrum Canonicorum, quod ibi est locus conservationis*, atque ubi deinde fuit novum *Sacrarium* Basilica Lateranensis, antiquioris loco, quod S. Thomae sacrum fuerat, ab Eugenio IV. constructum, ut tradunt Panvinius [1], Rasponus [2], et Vignolius [3].

Praeterea hanc emendationem probandam, ac recipiendam, id etiam suadet, quod S. *Georgii* Oratorium nunquam exstitit pone Basilicam Lateranensem. Nam, ut ex Anastasio accepimus [4], Zacharias, qui *in venerabili Patriarchio sacratissimum B.* Georgii *Martyris in capsa reconditum reperit Caput, in qua et pictacium pariter invenit litteris exaratum graecis, ipsius Caput esse significans, omnino hilaris, et satisfactus, illico aggregato hujus Romanae Vrbis populo, cum hymnis, et canticis spiritualibus, in venerabilem Diaconiam ejus nomine consecratam, sitam in hac Romana Civitate, regione secunda ad velum aureum, illud deduci fecit, ubi immensa beneficia, atque miracula omnipotens Deus, ad laudem nominis sui, per eumdem sacratissimum Martyrem operari dignatur*.

Ac demum nemo ambiget, praedicti *Ordinis* locum esse corrigendum, quod pluries *Georgii* nomen pro *Gregorii* nomine irrepsisse constat apud Scriptores, quorum loca inferius indicabimus.

1 de vII. Eccl. p. 24.

2 p. 68.

3 T. II. in vita Leonis III. n. II. p. 275. et ibid. n. vI. p. 289.

4 T. II. §. xxIv. p. 80. et apud Rasponum lib. Iv. c. II. p. 300.

CAPVT XVI.

De sollemnibus Caeremoniis in Pontificum Consecratione, et Coronatione peractis, in Cella a Gregorio IV. *exstructa.*

Jam vero, quum prolatis ipsorum Ordinum testimoniis, quae nonnullos in contrariam sententiam adduxerunt, sacros ritus *Feria* v. *in Coena Domini* obeundos, nunquam in *Secretario*, sed in *Cella Gregoriana* peractos esse probavimus, id ipsum de aliis caeremoniis, quae in *Pontificum Consecratione, et Coronatione* celebrabantur, usuvenisse mox ostendemus. Sed primum de Scriptoribus, qui hujusmodi caeremonias praecipue illustrarunt, pauca delibemus. Nolim tamen, hujusmodi caeremoniarum lectionem suscipiat, qui faveat acerrimis Liturgiae osoribus, Dallaeo [1], Hospiniano [2], Montacutio [3], Hildebrando [4], Calvorio [5], Musardo [6], Coniiers Middletono [7], ceterisque, qui Vigilantii, Tanchelmitarum, Petrobusianorum, Henricianorum, Thaboritarum, ac Valdensium errores renovare, atque instaurare conati sunt. Nil certe magis irrideret, atque contemneret. Contra vero hujusmodi rituum descriptionem libentissime percurrent, qui probe noscant solidissimarum rationum momenta, qnibus adversariorum criminationes Cochlaeus [8], Pistorius [9], Ferrandus [10], Durantus [11], Casalius [12], Cardinalis Bona [13],

1 de cult. religiosis Latinor. Genevae 1761.
2 de orig. et progressu Rit. Tiguri 1586.
3 Origines Ecclesiasticae. Londini 1640.
4 Varia Sacra Christianor. Helmst. 1665.
5 Rituale Eccl. Evangelicae. Tigur. 1604.
6 Conformités des Ceremonies modernes avec les anciennes. e Leyde 1663.
7 Lettre ecrite de Rome, ou l'on montre l'exacte conformité, qu'il y a entre le Papisme, et la Religion des Romains. Amsterdam 1744.
8 Defensio Caeremoniar. Ingolsted. 1544.
9 Colloquia adversus Caeremoniarum oppressores. Lutetiae 1643.
10 Reponse e l'apologie pour la reforme, et pour les reformateurs. a Paris 1685.
11 De ritib. Eccl. Catholicae. Paris. 1682.
12 De veteribus Christianorum ritibus. Francofurti, et Hannoverae 1691.
13 Rerum Liturgicarum libri.

Bellotius [1], ac potissimum Dominicus Georgius [2], aliique sexcenti validissime confutarunt.

Itaque, ut de re dicere incipiam, Onuphrius Panvinius, praeter rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum Caeremoniarum libros tres a Christophoro Marcello, Archiep. Corcyrensi electo, Venetiis in lucem emissos, Leonis X. privilegio, an. MDLVI, novamque Rom. Ord. editionem, quam primus omnium adornaverat ann. MDLXI. Georgius Cassander, librum ritualem Cencii Camerarii Cardinalis *de Consuetudinibus, et Observantiis Ecclesiae Romanae*, ex uberiori ejusdem Cencii opere *de Censibus* concinnatum, novoque ordine tres in partes distributum, in vulgus emittere paraverat. Sed immatura morte praereptus, opus pulcerrimum evulgare non potuit, magno rei Liturgicae detrimento, integrumque in Bibliotheca Palatino Vaticana, doctissimi Viri manu exaratum, et in Regia Parisiensi, adhuc adservatur. Postrema hujusce operis pars, cujus universam rationem exposuit Mabillonius [3], agit *de Electione, et Consecratione Romani Pontificis, et de Coronatione Imperatoris*, de quibus modo a nobis disserendum est.

Verum, quod a Panvinio literaria Resp. obtinere non potuit, praestitum, ac compensatum abunde est a Mabillonio, qui T. II. *Musei Italici*, praemisso eruditissimo *Commentario*, XV. *Ordines* evulgavit, et ipsius Panvinii praefationem *in admonitione ad Ordinem* XII, Cencio attributum [4], in lucem emisit. Hujus deinceps vestigiis inhaerentes CC. VV. Blanchinius, Muratorius, Martenius, Georgius, Gattico, Jos. de Novaes [5], atque omnium po-

1 Observationes ad ritus Ecclesiae Laudunensis. Parisiis 1676.

2 de Lit.Rom.Pont.T.I.Praef.Rom.1731.

3 in Comm. praevio ad Ord. Rom. p.II.

4 p. 165.

5 Il sacro rito antico, e moderno della Elezione, Coronazione, e solenne Possesso del Somme Pont. Roma 1769. 8.

stremus Franc. Ant. Zaccaria in omni eruditionis, ac doctrinae genere versatissimus, rituum Ecclesiasticorum decus mirum in modum amplificarunt.

Ego vero, etsi omnes *Ordines* ab iis editos evolverim sanequam diligenter, nihilominus post memoratum Ord. jussu Gregorii X. editum, in XIV. apud Mabillonium, *Gregorii Cellam* in Pontificum Consecrationis rituum descriptione, nominatam fuisse comperi. Atque hunc quidem Ordinem ex apographo Ciampinii descriptum, Mabillonius, Jacobo Stephanesco, *Cajetano* vulgo nuncupato, tribuendum esse existimavit, qui Cardinalis Tituli S. Georgii in Velabro, a Proavo Bonifacio VIII. renunciatus fuit, et sub Clemente VI. decessit. Sed tamen conjectura de vero hujus Ordinis auctore, non solum eidem Mabillonio [1] parum arrisit, sed etiam aliis rerum Liturgicarum peritis, quos inter praecipue numerandi sunt Card. Thomasius [2], Dom. Georgius [3], et Joh. Bapt. Gattico [4], qui eumdem potius ex diversis Romanorum Ordinum Libellis consarcinatum, multisque in locis interpolatum, ad inferiora tempora retrahendum esse judicarunt.

Quidquid tamen sentiendum sit de ejus antiquitate, quod longius inquirere minime vacat, primum fortasse hunc esse Ord. nonnemo contendet, ubi Cella *S. Gregorii*, certis quibusdam in *Pontificum benedictione, et consecratione* peragendis caeremoniis nominata sit. Etsi enim haec etiam occurrat in *Caeremoniali Gregorii* X, quod Mabillonius seorsim edidit, ac Cajetani Ordini [5] anteposuit, tamen Joh. Bapt. Gattico hoc etiam Caeremoniale, quod Va-

1 p. 257. 2 T. I. edit. Vezzos. 4 in praef. Diar. p. 3.
3 de Litur. Rom. Pont. 5 T. II. Mus. It. p. 221.

ticano Codici 4737. insertum invenit, unam Cajetani Ordinis partem fuisse censuit. Ac propterea in Tomo I. *Actorum Caeremonialium*, Cajetani Ordinem, qui ceteris antiquior sibi visus est, longe uberiorem, et locupletiorem, ad allati Codicis fidem, in vulgus emisit. Porro autem haec ibi leges [1], ut item apud Mabillonium in *Caeremoniali Gregorii X.* [2]. *Si vero Papa fuerit Romae apud S. Petrum ordinatus, et consecratus, dum debet consecrari, inducitur* ad Capellam S. Gregorii, *et venit processionaliter ad Altare, et fiunt cetera, ut supra dictum est, quibus finitis, coronatur ad gradus, et redit Lateranum per viam Papae.*

Nam ex veteri instituto, ut notat Augustinus Patritius [3], usque ad *Xystum* IV, una eademque die, electus Pontifex consecrabatur Episcopus, benedicebatur, et *Coronae insignia* sumebat. Quae tamen de temporibus *Nicolaum* I. antecedentibus, neutiquam esse accipienda, probe norunt eruditi. Primum enim in *Nicolai* electione, consuetis *Ordinationis*, et *Consecrationis* caeremoniis, quae dumtaxat in praecedentium Pontificum vita, ab Anastasio memorantur, *Coronationis* sollemnia accesserunt, quae primum, ut Pagius [4] tradit ex Anastasio [5], anno DCCCLVIII. in Bas. Lateranensi, adstante Ludovico II. Augusto, celebrata sunt; contra quam usuvenisse compertum est in iis, quae deinde consequuta fuere, quaeque in Bas. Vat. perpetuo peracta sunt, unde Pontifices coronati, ad Basilicam Lateranensem, catholici regiminis initia auspicaturi, sese sollemni pompa conferre, in more habuerunt. Quod quidem diligenter animadverti velim, ne quis fortasse objiciat, Coronationis caeremonias antiquitus in *Se-*

1 apud Gattico p. 78.
2 c. 1. p. 219.
3 Sect. II. c. I.
4 Brev. Gest. Pont. T. I. in vita Nicol. n. II.
5 T. III. in vit. Nicol. §. VII. p. 174.

tretario fuisse celebratas, priusquam *Gregorius* IV. Cellam *Gregorio* sacram excitaret.

Quae vero a Pontifice in *Gregorii Cella* praestanda essent, diserte recensentur in capite XLV. Ordinis XIV. apud Mabillonium [1], quod etsi apud Gattico [2] breviori titulo proferatur ex *Rubrica* LVI. Cod. Vat. 1145, tamen ex *Rubrica* LXXXVI. Cod. Vat. 4737. [3] Mabillonio ferme consonat, atque unum, eumdemque Ordinem, juxta ipsius Gattici opinionem, esse demonstrat. Sic enim apud Mabillonium caput inscribitur [4]. *Incipit Ordo, qualiter Romanus Pontifex apud Basilicam B. Petri Apostoli debeat consecrari, Rubrica*. Et apud Gattico [5]. *Incipit Ordo, qualiter Rom. Pontifex apud Basilicam B. Petri Apostoli debeat coronari, et etiam consecrari*. Sequentia vero gemina sunt apud utrumque, quae ita habent. *In primis ipse, qui coronandus est, mane diei Dominicae veniat ad Basilicam B. Petri, in qua processionaliter a Canonicis recipietur, et facta reverentia eidem a Cardinalibus, et Praelatis, sicut fieri solet Romano Pontifici, stans in medio dicat*, Sit nomen Domini benedictum, *et resp.* Ex hoc nunc *etc. deinde vadat in* Capellam S. Gregorii, *ubi dicta Tertia, calciabitur caligis, et sandaliis, dicendo psalmos* Quam amabilia etc. *qui solent dici. Deinde lotis manibus induatur omnibus ornamentis, quibus Romanus Pontifex uti solet in Missarum sollemniis, exceptis dumtaxat Pallio, et anulo Pontificali. Erunt autem vestimenta coloris tempori congruentis. Deinde ordinata sollemni processione, in qua debent esse septem Candelabra cum septem faculis, sicut in praecipuis festis fieri solet, videlicet Cardinalium, Praelatorum, et ceterorum Ordinum, qui omnes debent habere indumenta coloris tempori congruentis.*

1 p. 271. 2 p. 202. 3 p. 93. 4 p. 271. 5 p. 93.

Consecrandus ipse, extensa super eum mappa, procedat signando, ut moris est, ad majus Altare. Porro hujusmodi ritus, atque apparatus totidem plane verbis describitur in memorata *Rubrica* LVI. Cod. Vat. 1145. apud Gattico [1], et in Ordine XVII, quem ex ms. Pont. Rom. Bibl. Colbertinae edidit Edmundus Martene [2], cujusque verbis Catalanus [3] illustravit Tit. II. *Libri Caeremonialis Augustini Patritii, de Ordinatione, et Consecrat. Rom. Pontificis.*

At quid, si forte Episcopus ad Petri sedem evectus esset? Alii tunc ritus servabantur, quorum descriptionem habemus ex Ordine XIV. apud Mabillonium [4]. Sic enim ibi praescribitur. *De Episcopo in Papam electo, et ejus Benedictione, et Coronatione. Episcopus, qui in Papam electus est, non consecratur denuo, sed benedicitur aliquo die Dominico, quo et coronatur: et descendens de Palatio suo apud S. Petrum, intrat Ecclesiam more solito cum rubeo pluviali, et mitra in loco solito. Oratione facta, receptis omnibus Cardinalibus, et Praelatis ad reverentiam, et dicto,* Sit nomen Domini benedictum, *et responso,* ex hoc nunc, et usque in seculum, *et benedictione data, vadit ad Vestiarium,* Capellam videlicet S. Gregorii, *et ibi servitur ei per Episcopum, es Diaconum Cardinales ad hoc assumendos, et per Priorem Diaconorum, seu per Priorem Basilicae, qui et portat mitram, et anulum, et habet ferulam, et ibidem electus in Papam induitur omnibus paramentis preciosis, et sollemnibus aptis tempori, et diei, et ponitur preciosissima mitra in capite, et datur sibi anulus Pontificalis per eumdem Episcopum; et Cubicularius primum anulum imponit digito summi Pontificis. Et dum Dominus Papa dalmaticam recipit,*

1 p. 202.
2 T. II. de ant. Eccl. rit.
3 T. I. §. X. p. 98.
4 num. XII. p. 254.

ipse Episcopus induit se superpellicio, amictu, et pluviali coloris diei, et portat mitram simplicem. Quum autem Dominus Papa planetam induit, venit idem Episcopus ad latus summi Pontificis: et accepto anulo de manu acolythi, ponit eum in manu Domini Papae parati omnibus paramentis, et mitra sollemnibus: et Cubicularius ponit primum anulum. Et Episcopus, accepta navicula cum incenso de manu acolythi, porrigit eam Papae, et osculatur manum ipsius: et imposito incenso in turibulum per Papam, Episcopus vadit ad locum, ubi sunt alii Episcopi. Cardinales processionaliter ordinati, factis impensis obsequiis, quae fieri solent, et impendi, quando Romani Pontifices parantur, salvo, quod tunc in ipsa processione non portat pallium, quod, ut infra sequitur, accipiet in Altari; quam processionem ordinat Archidiaconus, vel Prior Diaconorum infrascripto modo. Quae quidem omnia praesefert Codex Vaticanus 4731. a Gattico evulgatus *Rubrica* xxI. sub eodem plane titulo, ac iisdem fere verbis.

Etsi vero hic Cajetani Ordo ad inferiora tempora referendus est, vel ipso Mabillonio assentiente [1], tamen plus minus circa aetatem Clementis VI, et Innocentii VI, seculo nimirum XIV. assutus esse videtur. Vterque enim Pontifex in aliis ejusdem Ordinis rubricis apud Gattico, pluries diserte nominatur. Itaque perspicuum sane est, quum ibidem S. *Gregorii Capella* semel, atque iterum occurrat, hanc non aliam esse posse, quam eam, quae a *Gregorio* IV. super *antiquissimi Secretarii* ruinas exstructa, et a nobis haud ita pridem descripta fuit. Nam, praeter aliorum Ordinum testimonia, quae paullo infra afferemus, quum de *Imperatorum Coronatione* sermo erit, id ipsa temporum ratio manifeste demonstrat.

1 T. II. Mus. It. p. 257.

Siquidem *Gregorii* cineres, quousque a *Pio* II. in Cellam *Andreae* sacram *intra* Basilicam translati sunt, eodem loco permanserunt, ubi pridem eos collocaverat *Gregorius* IV, neque aliam per id aetatis in Basilica Vaticana Cellam, ei sacram fuisse constat.

At erit fortasse, qui ex ipsis Cajetani locis secus sentiendum esse arbitretur, ac non solum *Gregorii Capellam* ibi indicatam, Bas. Vat. *Vestiarium*, sed etiam *intra* eamdem Basilicam sitam fuisse, cum Vgonio contendat. Frustra tamen. Nam si primum Altare *Gregorio* sacrum, *intra* Basilicam *Pius* II. excitavit, ut supra fuse docuimus, quisnam sibi persuadeat, de eo loqui Ordinem potuisse, ut quam tardissime, circa Clementis VI, et Innocentii VI. tempora digestum? Praeterea, etsi darem, Altare *S. Gregorio* sacrum, ante *Pium* II. *intra* Basilicam exstitisse, quum Ordo praescribat, ut Pontifex *in Ecclesiam ingressus vadat ad Vestiarium*, quomodo suspicari quis possit, ad *Capellam*, *intra* Basil. ambitum, procedere consuevisse? Nonne *Vestiarium*, quod idem est, ac *Secretarium*, ex veterum Christianorum instituto, vetustisque Templorum ichnographiis, ab Ecclesia sejunctum fere semper fuit? Itaque quis ferat, Vgonium, aliosque, Altare a *Pio* II. exstructum, non solum pro Cella a *Gregorio* IV. excitata, sed etiam pro Bas. Vaticanae *Secretario* accepisse? Quod si nemo, qui *Secretarium* recte agnovit *extra* Basilicam situm, hujusmodi ritus in Pontificum inauguratione, et coronatione, adhibitos ibi esse censuit, quid, quaeso, caussae erit, cur eosdem potius in *Oratorio Gregoriano*, ante *Secretarium* peractos esse, aegre sibi persuadeat? Quemadmodum igitur, alias etiam Pontifex, priusquam ad *Vestiarium extra* Basilicam

sese conferret, Templum Vaticanum ingrediebatur; ita in Coronationis die, Basilicam primum introibat, ut deinde, sollemnioris caeremoniae caussa, pergeret ad *Gregorii Capellam*, *Vestiario* contiguam, per ostium, quod ex eadem *Capella*, uti supra vidimus cum Alpharano, in Bas. Vaticanam aditum recta patefaciebat.

Sentiendum itaque est, Ordinis Scriptorem, qui demum cumque fuit, nil aliud allatis supra verbis indicare voluisse, praeterquamquod, *die Benedictionis, et Coronationis Episcopi in Papam electi, Capella S. Gregorii, Vestiarii* loco, haberi soleret, ut ipsum celebrioris pompae, quae in ceteris quoque partibus distinguebatur, initium splendidius evaderet, ac par veluti gratia *Gregorio* M. redderetur, qui primus constituerat, ut nonnisi Romanus Pontifex ad *B. Petri Confessionem* consecrari posset; ac demum, ut ejus Successores, primum pone *Gregorii* cineres Pontificalia sumerent indumenta, ac peterent exempla virtutum.

CAPVT XVII.

De iisdem Caeremoniis in Cella Piana servatis.

Enimvero de tota hac re ita statuendum esse, quae mox dabimus, aperte confirmant. Nam vix *Pius* II. *Gregorii* Corpus ad Altare, ubi *Andreae* Caput collocaverat *intra* Basilicam, transferendum curavit, non amplius in eadem Cella *Gregorii* IV, quam diu, etiam postea, stetisse *B. M. a febribus* sacram, infra declarabimus, hujusmodi ritum servatum novimus, nec alterum Altare, *intra* eamdem Basilicam, hisce obeundis caere-

moniis destinatum fuit; verum ne primae institutionis memoria intercideret, in ipso hoc novo Altari, *Gregorii*, *et Andreae* reliquiis ditato, sollemni Coronationis die ut Pontifices sacris vestibus induerentur, in more positum fuisse vidimus.

Cujus quidem rei testem habemus locupletissimum Augustinum Patritium, qui eidem *Pio* II, quattuor annorum spatio, a caeremoniis fuit, ac proinde *Piccolominei* nomen adeptus, et Episcopatu Pientino donatus. Tribus enim libris, quibus *Innocentii* VIII. jussu, Romanae Ecclesiae caeremonias complexus est, a Christophoro Marcello Episcopo Corcyrensi, sub *Leone* X, frustra tum contra vehementer adnitente Paride de Crassis, primum evulgatis, ubi Pontificum Consecrationis, et Coronationis caeremonias describit, pluries D. *Gregorii* Cellam indigitat, quae certe illa esse debuit a *Pio* II. excitata, quum tunc temporis nulla alia intra Bas. Vat. exstaret *Gregorio* sacra. Itaque ejusdem descriptionem, ad illustrandos hujusmodi ritus valde accomodatam, etsi paullo prolixiorem, praestat heic subjicere, ex omnium postrema Catalani editione.

Quum Papa electus, inquit [1], *pervenerit ad Portam ultimam Palatii, quae est in capite Porticus Ecclesiae S. Petri, in Palatio apud Portam extenditur tapetum, ponitur faldistorium, et super illud cussinum magnum, et ad pedes parvum scabellum, et sedens ibi Electus recipit ad osculum pedis Canonicos, et Capitulum Basilicae S. Petri. Deinde surgens intrat Ecclesiam per Portam, quae est in medio: et progressus usque ad secundum circulum porphyreticum, detracta*

1 T. I. p. 105. §. XI. Vbi Pont. Electus recipit ad Osculum Pedis Canonicos, et Capitulum Bas. S. Petri, et de praeparatione ad Missam?

mitra versus ad Altare supra faldistorium a supradictis ibi paratum, et tunc supra scabellum parvum, ponitur parvus cussinus. Facta oratione surgit: reassumit mitram, et pergit ad Capellam S. Gregorii, quae dicitur Capella S. Andreae, *et sedens in sede sibi parata, recipit omnes Cardinales, et alios Praelatos cum suis cappis ad reverentiam, Cardinales ad manus sub auriphrygio, Praelatos ad pedis osculum. Tunc surgens sine mitra, adstante Cruce Papali, populo benedicit dicens,* Sit nomen Domini etc. *Subdiaconus dicturus Epistolam, deposita Cruce post benedictionem, capit omnia sua paramenta, et simul cum eo Acoluthi exuunt cappas, et induunt superpellicia supra Rocchettum, ad partem se retrahentes. Sedet deinde Electus aliquantulum cum mitra, et iterum surgens sine mitra versus ad Altare, sub silentio dicit* Pater noster etc. *Tum alte incipit pro Tertia* Deus in adjutorium; *et sic stat, quousque incipiatur Psalmus,* Legem pone. *Inde sedet cum mitra, et assistentibus Episcopis cum libro, ac juvantibus hinc inde Diaconis, ut moris est, incipit Psalmum,* Quam dilecta. *Interim Subdiaconus Apostolicus lecturus Epistolam, ut diximus, paratus omnibus suis paramentis, ex Altari, subministrante Sacrista, accipit Sandalia, quae reverenter portantur ad Electum, sequentibus illum Acoluthis cum superpelliciis, et ea simul cum Cubiculario Camerae, imponit pedibus suae Sanctitatis, Acoluthis circumcirca fimbrias pluvialis elevantibus, supra illorum capita. Impositis sandaliis, Diaconus lecturus Evangelium, cum duobus aliis Diaconis, qui assistent Papae, capiunt paramenta sua; ille amictum, albam, cingulum, stolam, dalmaticam, manipulum vero postea capiet in Altari. Alii vero duo capient amictum, et dalmaticas tantum. Induti reverenter simul ad Electum accedent, qui, finitis psalmis, quum dicitur Capitulum*

pro Tertia, surgit cum mitra, et finitis versiculis, deposita mitra, et adstantibus duobus Ceroferariis, dicit Dominus vobiscum, *et Orationem pro Tertia. Librum Prior Episcoporum Cardinalium, qui ei assistere debet, sustinet, supra caput, Episcopi vero assistentes juvant, et tenent candelam accensam. Dicto,* Dominus vobiscum, *post orationem liber removetur, Ceroferarii discedunt, et dicto a Cantoribus,* Benedicamus Domino, *Papa sedet cum mitra, et lavat manus, Episcopo Cardinali adjuvante, et reliqua, ut alias. Lotis manibus Episcopus Cardinalis redit ad locum suum, et Papa deponit mitram, pluviale, et stolam: et Diacono lecturo Evangelium ante se stante, induitur consuetis paramentis, quae per Acoluthos hoc ordine portantur ex Altari, et ipsi Diacono porriguntur. Duo Diaconi assistentes, et post eos duo Subdiaconi adjuvant vestientem. Primum portatur cingulum cum succinctorio; Crux pectoralis, Phanon, Stola, Tunicella, Dalmatica, Chirothecae, Planeta, Mitra auriphrygiata; Anulus autem non datur, si non est consecratus Episcopus, quem, si esset consecratus, Cardinalis Episcopus assistens imponeret.*

Hactenus Patritium audivimus, accurate describentem ritus omnes a Pontifice obeundos in Cella *S. Gregorii*, suae Coronationis die. Nunc itidem ei auscultemus enarranti, qualis sit [1] *Ordo procedendi ex Capella S. Gregorii ad Altare, et quae fiant, antequam Electus intret ad Altare.* Quem enim non mirifice capiat, ac recreet tam splendidae, ac nobilis pompae descriptio, quam propriis oculis quodammodo licet intueri?

Paratis, inquit, *omnibus Ordinibus, Pontifex incensum mittet in turibulo, et Prior Diaconorum cum ferula processionem ad Altare majus ordinabit hoc modo. Familiares Pa-*

[1] T. I. §. XIV. p. III.

pae, minores Nobiles, Cubicularii, Nobiles majores, et Barones, Conservatores, et Oratores laici, et non Praelati, Secretarii, et Advocati mixtim, ita ut duo antiquiores ex utroque ordine sint in digniori loco, Acoluthi, Clerici Camerae, Auditores, Acoluthus, Turiferarius, Acoluthi Ceroferarii, qui septem numero esse deberent, Subdiaconus cum Cruce Papali, et aliis Subdiaconis. Subdiaconi duo, Latini, et Graecus cum libris Evangeliorum, Diaconus Graecus. Et nota, quod pro Epistola, et Evangelio in lingua Graeca, solebant vocari in hac celebritate Monachi ex Monasterio Cryptae Ferratae. Deinde Abbates Forenses, Episcopi, Archiepiscopi, Oratores, Praelati, Abbates Vrbis, qui in hoc die sunt privilegiati, Episcopi Assistentes Papae, Patriarchae, Diaconi, Presbyteri, et Episcopi Cardinales, Diaconi duo assistentes, et inter eos medius Diaconus lecturus Evangelium. Demum ipse Pontifex, qui si pedibus suis incedet, ipsi Diaconi assistentes, fimbrias pluvialis portabunt; et major Princeps caudam, octo Nobiles, seu Oratores baldachinum supra ejus Caput ferent. Deinde sequetur Auditor, qui mitram ministrat, medius inter duos Cubiculares secretos, et inter eos est Secretarius Papae, si non est Praelatus. Deinde Protonotarii, et Curiales Clerici non parati. Ante Pontificem immediate minister caeremoniarum praecedit cum duabus arundinibus, super alteram stuppam, super alteram vero candelam ardentem portans. Et quum Pontifex Capellam S. Gregorii *exierit, Caerimoniarius ad eum conversus, ignem stuppae mittit, et genuflexus alta voce dicit.* Pater Sancte, sic transit gloria Mundi. *Quod tertio facit, distincto aequali spacio, antequam perveniunt ad Portam Capellae.*

Hic certe usus alibi etiam obtinuit, quoties Antistites sacrum sollemne celebrarent, quasi humanae in-

firmitatis tunc maxime admonendi essent, ne forte eos ob reverentiam sibi a cunctis exhibitam vanitas inflaret. Audi Ordinem antiquum Ecclesiae Bisuntinae de Paschatis die ita disserentem [1]. *Intrent reverentissime chorum, cantantes*, Nolite metuere. *Tunc Archidiaconus ponat ignem in farum, et dum linum succenditur, venit Archidiaconus inclinans se reverentissime ante D. Archiepiscopum dicit ad eum*. Reverendissime Pater, sic transit Mundus, et concupiscentia ejus. Id ipsum in Natali D. N. J., aliisque festis sollemnioribus ex eodem Ordinario fieri solitum fuisse discimus; imo eadem die id non semel repetitum fuisse docet hujusmodi verbis [2]. *Surgens de Cathedra Archipraesul, antequam incipiat*, Gloria in excelsis, *accedat Archidiaconus reverenter, et tenens oram planetae, trahat leniter, et dicat*, Scito te terram esse; *sicque debet fieri, quotiescumque Archiepiscopus, aut Sacerdos a sede surgit, ut accedat ad Altare post orationem*. Sic enim humanae conditionis humilitatem, in illius status sublimitate, ac brevitatem humani cujusque gaudii cito citius praeterituri, spectantium animis contemplandam proponebant, pari modo, quo [3] Hebraei, hausto vino, in nuptiis cyathum vitreum confestim terrae illidunt, et comminuunt.

Nescio, an hujusmodi ritum aliqua ex parte respiciant, quae legimus in Ord. xI [4]. *Quum autem intrat Presbyterium* (Bas. Liberianae), *Mansionarius Eccl. porrigit ei arundinem cum cereo accenso. Tunc Pontifex accipit eam, et ponit ignem in stuppa posita super capita columnarum, ad figuram finis Mundi per ignem*. Ac rursus infra, totidem quasi verbis [5]. *Quum intrat Presbyterium Ecclesiae Mansionarius*

1 in T. I. hist. Sequan. p. 40. et in T. III. Carpentier p. 447.
2 ibid. p. 11.
3 Goar. Not. in Offic. Coron. Nupt. n. VII. pag. 398.
4 p. 126.
5 p. 141. V. Macrum p. 444. 454. 557.

praeparat ei arundinem cum cereo accenso, quam accipit, et ponit ignem in stuppa super capita columnarum, quae ibi stant. Porro in Paschatis festo haec in usu erant [1]. *Apostolico in Pascha procedente, pharus ex stuppa super eum suspenditur, quae igne succensa super eum cadere permittitur, sed a Ministris vel a terra excipitur, et per hoc ipse in cinerem redigi, et gloria ornatus ejus in favillam converti admonetur*. Id etiam in festa die Pentecostes peragebatur, ut discimus ex Ordinario Eccl. Lexoviensis, Sec. xiiI. exarato, cujus haec sunt verba [2]. *Ad processionem Missae*, stuppae inflammantur, *quas Custodes inveniunt*; *ad* Kyrie *Missae pulsator flores, et nebulas spargit*. Quod etiam interdum in Vrbe fiebat, ut constat ex iis Cencii Camerarii [3]. *In Sabbato S. Pentecostes par facularum ad Missam, et unum denarium illis, qui flores super D. Papam jactant*. Verum haec missa faciam. Nam ob adventum Spiritus S. declarandum praestita fuisse, nemo non videt, ut *in Dominica de rosa*, teste Benedicto [4], *de altitudine Templi S. M. Rotundae mittebantur rosae, in figura ejusdem Spiritus S.*

Nunc reliqua a Patritio diligenter enarrata audiamus. *Procedunt deinde omnes per navim ipsius* Capellae S. Gregorii, *ubi sepulcra sunt Romanorum Pontificum, et quum illam exierint, flectunt ad dextram, et per portam, quae est ante Altare, ingrediuntur Capellam, et adscendunt etiam ad dextram, antequam Papa cancellos Capellae intret: tres ultimi Presbyteri Cardinales veniunt ei obviam, et osculantur os, et pectus Pontificis, a seniori incipientes* [5]; *deinde ante Diaconos assistentes procedunt. Quum autem perventum fue-*

1 Gem. de ant. Ritu Missae. c. 223.
2 in Macri Hierol. in Nebula.
3 in Ord. xiI. p. 218. Godfr. Thilo de Linguis ignitis 1675. 4. et in Thes. Theol. Phil. T. II. p. 427.
4 in Ord. xI. p. 1488.
5 V. p. 410, et Macrum in Hierolexico p. 255. 460.

rit ad Altare, Pontifex, deposita mitra, facit orationem super Faldistorium; deinde surgens, remoto Faldistorio, facit confessionem more solito, stans hoc ordine. A Pontificis dextra stat Episcopus Cardinalis Consecrator, vel assistens, si non est Consecrator; et post eum Diaconus Cardinalis assistens, a sinistris stat Diaconus Cardinalis lecturus Evangelium, et post eum Diaconus Cardinalis assistens, post quem genuflexus manet Subdiaconus Latinus cum libro Evangeliorum, et manipulo Pontificis, quem illi imponit, dicto Indulgentiam etc. *Interim Cantores cantant Introitum Missae, et* Kyrie eleison. *Et haec quidem supradicta circa descensum ex Palatio ad Ecclesiam, et quae* in Capella S. Gregorii, *et usque ad factam confessionem superius dicta sunt, praeterquam de parando Consecrante, servantur etiam, quando electus Episcopus non est consecrandus, sed benedicendus, et coronandus tantum.* Haec ibi Patritius.

Vides igitur, sancitum esse, ut omnes a Patritio descripti ritus, in novo Altari, quod Pius II. construxerat, deinceps peragerentur, postquam e Cella, quam in M. *Gregorii* honorem extra Basilicam *Gregorius* IV. excitaverat, atque hujusmodi caeremoniis usque ad *Pium* II. procul dubio inservierat, eô translatum fuit Sancti Pontificis Corpus. Atqui, inquies, Joh. Baptista Gattico [1], ubi agit *de coronatione, et equitatione sollemni Romanorum Pontificum ad Basilicam Lateranensem*, ex *Diario* Antonii Petri refert Coronationem *Innocentii* VII, et *Gregorii* XII, ac paucula quoque adjungit, de altera *Nicolai* V. ex *Diariis* Codicis Barberini, quin ulla ibidem de *Cella Gregoriana* mentio fiat; quae ne nominatur quidem in celebri Oratione Aeneae Sylvii *de obitu Eugenii* IV, *creatione-*

1 tit. III. p. 366.

que, et coronatione Nicolai V, habita anno MCDXLVII. [1].
Ista tamen non efficiunt, contra quam diximus, in *Gregoriana* illla Cella ante *Pium* II, qui *Callixto* III. suffectus est anno MCDLVIII, sacras illas caeremonias non fuisse peractas. Nam, praeterquamquod, quae Gattico in lucem protulit, carptim excerpta sunt ex *Diariis caeremonialibus*, ubi reliqua eorum rituum descriptionis pars, quae fortasse, uti cetera, *Gregorii Cellam* exhiberet, inedita delitescit; licet *Cella Gregoriana* in iis minime nominata esset, (quod et in sua oratione Aeneas Sylvius fecit), facilis, ac legitima caussa suppetit, cur earum descriptionum auctores de ea silerent, brevitatis scilicet studium, quo singula, ac praesertim vulgatiora persequi prohiberentur.

Ceterum, si in more positum fuit, ut ante *Gregorii* cineres, qui faustum, fortunatumque Pontificatus exordium novo Pontifici a Deo impetrarent, hujusmodi ritus peragerentur, nonnisi in ejus Cella a *Gregorio* IV. *extra* Basilicam condita, quousque ibidem quievere, peragi potuerunt. At vero, postquam *Pius* II, eosdem ad *Andreae* Altare transferendos curavit, exscriptas Pontificum coronationis caeremonias, ibidem fieri consuevisse, Patritius diserte nos docuit. Quod quidem, usque ad ejusdem Altaris dejectionem, praestitum ibidem fuisse, quae sequuntur, mirifice confirmant. Nam, etsi nihil in Gattici *Diariis caeremonialibus* occurrit de *Paulli* II, et *Xysti* IV, qui *Pio* II. αμεσως successerunt, coronatione, tamen dubitandum minime est, quin omnium primi in novo illo Piano Altari, coronationis die, Pontificalibus indumentis exornati fuerint. Quum enim Pa-

1 in Balutii Miscl. vII. p. 525. 562. et in Murat. Script. rer. Ital. T. III. P. II. p. 875. 902.

tritius utriusque coronationi interfuerit, quae supra attulimus, ad earum exemplum ab se descripta esse, facile, opinor, sibi quisque persuadeat. Adde, quod sane gravissimum est, a Patritio adnotatum diligenter fuisse, quid *Xystus* IV. [1] novo exemplo fecerat, diversis diebus consecratus, et coronatus. Quamobrem, si quae alia seu loci, seu rei varietas, in obeundis ejusdem coronationis caeremoniis accidisset, eam scripto, ac memoriae aeque consignaturum illum pro sua accuratione fuisse, ecquis non intelligat?

Verum, quod de *Paulli* II, et *Xysti* IIII. Coronationis descriptione desiderari fortasse posset, in posterioribus, ingenti accessione pensatur. Nam Godefridus Guilielmus Leibnitius *Mantissae Codicis juris gentium diplomatici* [2] adjecit *Ioh. Burcardi Diarium* sub titulo. *Caeremoniale antiquum Sedis Romanae vacantis a morte Xysti IV, usque ad ingressum novi Ponificis in Ecclesiam Lateranensem*, ubi non solum, quae a Patritio didicimus, aperte confirmantur, sed etiam plura occurrunt, quae magnificum *Cellae Gregorianae* apparatum, ac pompam graphice depingunt. Hujusmodi Diario suam quoque collectionem ditavit, atque illustravit I. B. Gattico [3], cui tamen prima Leibnitii editio ignota fuisse videtur.

Porro ibi, praeter aulaea, ac peristromata, quae pro *Solio Pontificis*, *Choro Bas. Vat*, ac *Suggesto supra gradus* ejùsdem Basilicae paranda erant, praecipitur, ut, indicta *Innocentii* VIII. coronationis die [4], *panni viridis* pro Capella S. Gregorii *in Basilica praedicta cannae decem* in promptu essent. Item indicitur [5] *Credentiariis Papae*, ut *portent unam Credentiam* in Capella S. Grego-

1 sect. II. c. I. 2 p. 97. 3 p. 367. 4 ibid. 5 p. 368.

rii. Sed praecipue ejusdem Cellae ornandae cura *Officio Floreriorum Papae* commissa fuit. *Parent*, jubet Burcardus [1], *ornatissime* Capellam S. Gregorii *cum palliis, et pannis viridibus in terra; ac sedem Papae, in qua sacras vestes recepturus est, pallio albo ornent, cum suis scabellis, duobus hinc, et inde pro Diaconis assistentibus. Parent scamna, sive bancos in dicta Capella pro RR. DD. Cardinalibus, et Oratoribus laicis juxta Altare a retro, et Episcopis assistentibus ad sinistram Papae, et omnia bancalibus ornent more solito. Extra Capellam praedictam parent scamna, sive bancos pro Praelatis, quae similiter bancalibus cooperiant.*

Praeterea Burcardus exponit, quonam munere fungi debebat *Prior Diaconorum Cardinalium*, hujusmodi verbis [2]. *Facta per Cardinales* in Capella S. Gregorii, *in Basilica S. Petri, Papae reverentia, accipit paramenta sua, videlicet amictum, albam, cingulum, stolam, et dalmaticam, et Pontifice omnibus paramentis induto, accipit manipulum. Dictis Tertiis, parat Pontificem omnibus paramentis Pontificalibus, Pallio dempto, more solito. Induto Pontifice, paramento consueto, et Tertiis finitis, accipit ferulam, sive baculum album, et processionem ordinat ad Altare majus per Vaticanum, hoc ordine.*

Heic autem Burcardus noster ordinem sollemnis pompae ab Augustino Patritio supra descriptum, accurate designat. Verum, quum immensa Populi vis hujusmodi caeremoniis interesse, ac circumfundi soleat, *Capitaneo Portae Palatii Apostolici* praescriptum erat [3], ut summo mane plures ex suis *Peditibus*, praeter *chorum Altaris majoris*, et *suggestum supra gradus Basilicae*, custodirent *ostium* Capellae *S.* Gregorii *in Basilica S. Petri*.

1 ibid. 2 p. 368. 3 p. 371.

Sed ne heic quidem ornandae *Cellae Gregorianae* cura continebatur. Indicit enim Burcardus [1], *ut Clerici Campellarii Capellae S. D. N. Papae provideant de septem faculis, sive candelis albis, unius librae quaelibet, pro Processione de Palatio* ad Capellam S. Gregorii, *et totidem candelis albis*. Ac demum praecipit, ut *portentur duo Candelabra super Altare* in Capella S. Gregorii, *cum duabus faculis unius librae quaelibet. Faldistorium portetur cum scabello, et cussinis pro Pontifice, quo ipse in diversis locis utitur, videlicet intra Portam Palatii*, in Capella S. Gregorii.

Post hujusmodi rerum recensionem narrat Burcardus [2], quo modo peracta fuit sollemnis *Innocentii* VIII. coronatio; quaeque in *Capella S. Gregorii* facta esse perhibentur, Patritii praescripto exacte respondent. Deinde vero stuppae caeremoniam exponit [3], quae, vix extra *Capellam S. Gregorii* Pontifice egresso, de more combusta fuit, quaeque in itinerario Adriani VI [4], *in limine Sacelli S. Andreae* incensa describitur.

Haec autem, aliaque id genus, quae in Gattici *Diariis Caeremonialibus* occurrunt, iis esse anteponenda ratus sum, quae congessit *Petrus Paullus Vergerius in Ordine eligendi Pontificis, et ratione de ordinatione, et consecratione ejusdem* [5], ipsisque *Caeremonialibus electionis, et coronationis Pontificis Romani a Ioh. Gerardo Meuschenio* in lucem editis [6]. Sed et eo lubentius protuli e Gattici opere, quod quum illud Benedicti XIV. jussu suppressum fuerit, pro-

1 p. 371. 2 ibid. 3 p. 373.

4 Blasii Ortizii Itinerarium Adriani VI, ab Hispania Romam usque, ac ipsius Pontificatus eventus. apud Balutium in T. III. Misc. p. 408, et 444, et in Gasp. Burmanni Analect. Hist. de Adriano VI. Trajectino, Papa Romano. Traj. ad Rhenum 1727. 4, et in Gloss. Ducange.

5 Tubingae 1556. 4.

6 Francofurti ad Maenum 1732. 4.

ptereaque raris jam libris adcenseatur, fere ut nova, ac inedita haberi possint.

Quae vero tradidit Burcardus in *Innocentii* VIII. Coronatione, in *Cella Gregoriana* peracta fuisse, praestita ibidem esse scripsit in altera *Pii* III, uti constat ex *Schedula intimationis*, ubi ait [1]. *Sanctitas sua..... associabitur a Cardinalibus, et Praelatis in eorum cappis ad* Capellam S. Gregorii. Etsi enim narret paullo infra, Pontificem *in Capella S. Georgii* super solium ibidem paratum constitisse, tamen ibi legendum esse in *Capella S. Gregorii*, dubitaverit nemo. Hoc idem mendum, quod bis in Ord. XIV. irrepsisse vidimus [2], occurrit etiam in memorata descriptione coronationis *Innocentii* VIII, apud Leibnitium [3], qui tamen illud, aeque ac Gattico, in suo exemplari incastigatum dimisit. Verum hoc erratum Mabillonio commune fuisse deprehendi, qui item *Georgii*, contra quam veritas patiebatur, pro *Gregorii* scripsit [4], nominans hujus *Oratorium juxta Ecclesiam Principis Apostolorum*. Cujus quidem erroris alia etiam exempla suppetunt. Nam Benedictus Canonicus in descriptione *Processionis* a Sergio institutae *Imaginis Acheropitae*, cujus pedes pluries lavabant *de Basilico*, die festa Mariae S. sideribus receptae, haec habet [5]. *Cardinales, et Diacones accipiunt imaginem Iesu Christi, et abstrahunt de Basilica S. Laurentii cum omni Populo, portantes eam per Campum Lateranum* juxta Basilicam S. Gregorii; ac paucis interpositis verbis, *dum*

1 p. 379. 2 p. 791.

3 p. 97.

4 T. II. Mus. Ital. p. 572.

5 ibid. in Ord. XI. n. 72. p. 151. V. Marangoni delle cose Gentilesche ridotte ad uso delle Chiese c. XXVIII. della lavanda de' piedi dell'imagine del SS. Salvatore nella Processione, che faceasi nella Vigilia dell'Assunzione della B.V. in Roma pag. 103, e nell'Opera dell'Oratorio di S. Lorenzo detto, *Sancta Sanctorum*. p. 112. 139.

imago transit per Campum, *Cubicularii stant* in culmine S. Georgii, *tenentes duas faculas accensas*, *quas*, *imagine transacta*, *extinguunt faculas*.

Verum aliorum etiam Scriptorum loca deesse, ne credas, ubi *Gregorii* pro *Georgii* nomen, contra sit commutatum. Siquidem Paullus de Angelis Cellas Basilicae describens, unam ex iis appellat Altares *S. Laurentii*, et *Gregorii* conditum a Jac. Cajetano de Stephanescis Card., quod item Fontana [1], Ciampinius [2], Bonannius [3], Janningus [4], *S. Georgio* ab eodem Card. Tituli S. Georgii in Velabro, seu Velo aureo, dedicatum fuisse demonstrant. Id aperte confirmat Alpharanus, qui etsi in opere MSS. [5] huic Altari *SS. Laurentii*, *et Gregorii* nomen tribuerit, tamen ad ipsius operis oram, *Georgii* nomen substituit, errorem emendans, et in tabula ichnographica [6] Altare *SS. Laurentii*, *et Georgii* diserte vocat. Quae tam frequens utriusque nominis commutatio, dumtaxat ex quadam eorum similitudine, minime vero ex propinquitate Altaris *S. Georgii* videtur repetenda, quod ex tabula Alpharani [7] e regione Cellae Clementinae situm fuisse ostendemus. De eodem ita loquitur Martyrol. Bas. [8]. II. *Kal. Mart. Consecratio Altaris* S. Georgii *Martyris*. *In isto festo consecrationis d. Altaris expendatur de Camera inter Canonicos*, *Beneficiatos*, *et Clericos manualiter florenus unus*.

Sed ne quis dubius adhuc haereat, num hujusmodi caeremoniae peractae revera fuerint, in Cella, quô *Pius* II. *Gregorii* Corpus transtulerat, id, velim, praeter ea, quae de sua aetate Panvinium tradidisse vidimus [9], clarius agnoscat ex altero Joh. Burcardi loco *de Coronatione*, *et Equi-*

1 in Templ. Vat. 2 p. 71. 5 p. 36. 6 num. 87.
3 n. 47. 4 T. vI. Iun. p. 96. et 102. 7 ms. p. 189. n. 65. 8 p. 163. 9 p. 694.

tatione sollemni ad Lateranum Iulii II, ubi ait [1]. *Intimetur pro die crastina, quae est martis, 5. praesentis mensis Decembris, si non pluet, quod SS. D. N. audiet Missam sine cantu in* Capella D. Andreae, et D. Gregorii, *in Basilica S. Petri, et inde Cardinales, et Praelati in paramentis albis ascendent equitaturi, prout alias fuit ordinatum, et processionaliter equitabunt ad Bas. Lateranensem, prout in creatione Pontificum fieri consuevit.*

Quum autem haec Cella, uti supra [2] adnotavimus, modo unius, modo alterius Sancti titulo veniret, idem Burcardus paullo infra, *S. Andreae* Altare absolute vocavit hoc modo [3]. *Descendit in sede ad Basilicam S. Petri* ad Capellam S. Andreae, *quae fuit pannis aureis ornata circumcirca sine solio, et sine sede Pontificali, sed faldistorio Papae cum suo scabello, et cussinis super tapete, super quibus genuflexus audivit Missam bassam, quam legit D. Dominicus Capellanus suus, omnibus Cardinalibus praesentibus, excepto Beneventano, et Estensi infirmis.*

Verum quam obvia, et communis esset utriusque nominis permutatio, perspicue etiam patet ex *Diario* Blasii de Martinellis, apud eumdem Gattico, de *Coronatione Adriani* VI, ubi ait [4]. *Advisavi Magistrum domus ad praeparandum necessaria cum Ferrariis, et Lignariis in Capella S. Petri, et in* Capella S. Andreae, *et in suggestu super scalas*. Ac paullo post inquit. In Capella S. Gregorii *fuerunt factae caeremoniae, et sacris paramentis indutus Papa processit ad Altare*. Rursus vero, ubi agit de coronatione Paulli III, *Capellam S. Andreae* vocavit. Ait enim [5]. *Die* 20. *significavimus Floreriis, quod viderent, paramenta si haberent in sufficientia, quia tria loca erant prae-*

1 p. 379. 2 p. 693. 3 p. 380. 4 p. 385. 5 p. 386.

paranda, *videlicet* Capella S. Andreae, *Capella major S. Petri*, *et suggestus*, *in quo coronandus erat Papa*, *maxime de pannis viridibus*, *et rubeis super solium Papae*. Itemque paullo infra [1]. *Inde sic pedester versus* Capellam S. Andreae, *cum magna difficultate potuimus introire*.

Atque haec quidem *S. Andreae* denominatio huic Altari communior fuisse videtur. Hoc enim potius titulo, quam *S. Gregorii*, saepius designatum fuisse animadverti apud alios Scriptores. Nicolaus Colaine, praeter allata exempla, praesto est in *Diario*, quo lingua vernacula descripsit Paulli IV. *coronationem*, *et equitationem ad Lateranum* apud eumdem Gattico. *Anno*, inquit [2], 1555. *alli* 26. (di Maggio Paolo IV,) *si coronò in S. Pietro*, *et alla* Cappella di S. Andrea *furono fatte molte cerimonie*. *Sua Santità si vestì d' oro*, *e così tutti gli altri Cardinali*, *et all' uscire dalla Cappella fu abbrugiata la stoppa*, *e poi andò all' Altar Maggiore a Messa*. Ac demum, ne nimius sim, Cornelius Firmanus, alter Caeremoniarum Praefectus, describens *coronationem*, *et equitationem ad Lateranum S. Pii* V, ait [3]. *Ivit ad* Capellam S. Andreae, *quum prius orasset ante SS. Sacramentum*. *In dicta Capella Cardinales iverunt ad osculandum manus sub auriphrygio*, *et Praelati ad osculum pedum*.

Jam vero, etsi neque idem Cornelius Firmanus agens de Coronatione *Gregorii* XIII [4], neque Paullus Alaleo de altera *Xysti* V [5], atque *Innocentii* IX [6], neque Joh. Paullus Mucantius de insequutis *Leonis* XI [7], ac *Paulli* V [8], Cellam hanc, eodem *S. Andreae*, seu *S. Gregorii* titulo amplius nominaverint, cave tamen, non ibidem peractas fuisse hujusmodi caeremonias, suspiceris. Cete-

1 p.387. 2 p.391. 3 p.392. 4 p.393. 5 p.394. 6 p.400. 7 ibid. 8 ibid.

rum postremus omnium Pontificum, qui ibidem descriptos ritus obivit, *Paullus* V. esse debuit, qni, uti refert Mucantius [1], coronatus fuit die XXIX. Maij an. MDCV. Nam, ut supra cum Grimaldo adnotavimus [2], in demolitione anterioris partis veteris Basilicae, *Altare S. Gregorii P.* I, *et S. Andreae* die XXIX. Decembris ejusdem anni MDCV, exauguratum fuit. Die autem VIII. Januarii sequentis anni, sacrum *Gregorii* Corpus ad *Cellam Clementinam*, ubi hodieque servatur, relligiosissime translatum est.

CAPUT XVIII.

Num eaedem caeremoniae in aliis Bas. Vat. Altaribus peractae aliquando fuerint?

Etsi Paullus Alaleo, qui egit de *Coronatione, et Equitatione ad Lateranum Gregorii* XV, *Paullo* suffecti, caeremonias, quae in dejecto Altari *SS. Andreae, et Gregorii* antea peragebantur, tum primum in *Cella Clementina* celebratas fuisse non adnotaverit, tamen ita rem sese habere, minime dubitandum est. Ipse enim generatim memoriae consignavit [3], *in omnibus locis, in quibus fuerunt factae caeremoniae, facta fuisse repagula pro evitanda confusione*.

Huic loco I. Bapt. Gattico lucem afferre conatus est, sed tamen eum haud satis accurate loquutum reperio. Ibi enim de suo haec interserit, *videlicet in Porticu, ad* Altare S. Gregorii, *in Capella*, ubi quod de *Porticu*, et *Capella*, seu ara principe Vat. Bas. recte notatum est, haud ita vero de *Altari S. Gregorii*. Siquidem quum alterum a *Pio* II. exstructum, XVI. ante annis dejectum

1 p. 404. 2 p. 717. 3 p. 407.

fuisset, ac prima haec esset coronatio, cujus consueti ritus in novo Altari *S. Gregorii* peracti fuerunt, nonnihil profecto adjiciendum erat de hujusmodi mutatione, ne aut sibi incompertam fuisse proderet, aut aliis errandi occasionem praeberet.

Quod vero caeremoniae, quae anteactis temporibus in Cella *Andreae, et Gregorii* fiebant, deinde in *Cella Clementina* habitae fuerint, etsi Paullus Alaleo in ejusdem *Gregorii* XV [1], et *Vrbani* VIII. [2] coronatione describenda, rem declarare praetermisit, argui tamen facile potest ex eo, quod in subsecutorum Pontificum Coronationibus praestitum fuisse scimus. Id enim palam facit Fulvius Servantius, qui coronationem *Innocentii* X, quam descripsit etiam, et tabulis aeneis exornavit *Laurentius Banch* [3], accuratissime enarravit. Ait itaque [4] *pro actu tantae sollemnitatis per multos, et multos annos in Vrbe non visae* (quod nempe eadem die IV. Octobris MDCXLIV. coronari, ac praeter morem sacris ritibus sollemniter operari voluit) *fuerunt praeparata opportuna, et necessaria. Fuerunt erecti Throni* IV. *Primum scilicet cum repagulis sub Porticu S. Petri, secundum similiter cum repagulis peramplum* in Sacello Gregoriano, *pro cantanda Tertia, et sumendis paramentis.*

At vero nonnemini fortasse scrupulum, dubitationemque injiciat Servantii locus; esse nimirum ibidem intelligendam Cellam *B. Virginis de Columna*, a *Gregorio* XIII. erectam, ac propterea *Gregorianam* vulgo nun-

1 p. 407.
2 p. 408.
3 Roma triumphans, seu actus inaugurationis, et coronationis Innocentii X. P. M. brevis descriptio cum omnibus triumphis, et caeremoniis eidem actui additis. Accessit in fine appendix de quarumdam caeremoniarum Pap. origine. Franekerae 1645. et 1656. 12.
4 p. 409.

cupatam, quam Alpharanus [1], Ascanius Valentinus [2], et Fortunius Lelius [3] accurate descripserunt. Sed idem Servantius omnino auferet hujusmodi suspicionem, si legas, quae paullo infra subjecit [4]. *Preces fudit ante SS. Sacramentum in suo Sacello expositum super Altare; inde delatus ad Sacellum Clementinum D.* Gregorio M. *dicatum, ascendit in solium ibi elevatum pro sua Sanctitate, seditque in Sede Pontificali, stantibus Oratoribus, et aliis supra nominatis apud suam Sanctitatem, et Cardinalibus in eorum sedibus.* Ac deinde idem rursus confirmavit, ubi ait [5]. *Quum fuit Pontifex extra praedictam Capellam* S. Gregorii, *accensa parva stuppa in culmine arundinis.* Quibus in locis verum Cellae situm rectius indigitavit, quam minus proprie, *Gregorianam* antea nuncupaverat.

Quamobrem, quum satis constet, Cellam a *Clemente* VIII. instructam, et *Gregorio* a *Paullo* V. dicatam, alteri a *Pio* II. erectae substitutam fuisse, ut descripti Coronationis ritus in *Cella Gregorii*, de veteri more obirentur, iisdem primum inserviisse putandum est, quum coronatus fuit *Gregorius* XV. Mirandum vero minus est, I. B. Gattico, (quod ei supra vitio vertebam), Altare *S. Gregorii* absolute nominasse, quin ullam hujusce mutationis notionem exhiberet, quum idem Servantius, qui *Innocentii* X, et *Alexandri* VII. Coronationes descripsit, haud ita ab altera *Gregorii* XV, aliorumque remotas, tamen non solum Cellam Clementinam, *Gregorianam* appellaverit, sed etiam ibidem praepostere *S. Andreae* Cellam fuisse scripserit. Ait enim de Alexandro VII. [6] *Sa-*

1 ms. p. 38. n. 96.
2 De Sacello Gregoriano. Romae 8.
3 Descrizione della pompa, ed apparato seguito in Roma nella traslazione del Corpo di S. Gregorio Nazianzeno dalla Chiesa di S. M. in Campo Marzo alla Cappella Gregoriana. Venezia 1585. 4.
4 p. 410. ibid. 5 ibid. 6 p. 416.

cellum Clementinum, ubi sub Altari D. Gregorio Magno dicatum, sanctum ejus Corpus requiescit, olim Capella S. Andreae *nuncupatum, erat undique clausum ligneis repagulis, relicto tamen aditu e conspectu Altaris*. Sed alios etiam Caeremoniarum Praefectos, *Cellam Clementinam*, cum Altari a *Pio* II. in *Gregorii* honorem condito, temere commutasse, infra ostendemus.

Quod tamen ad rem nostram maxime interest, a *Gregorio* XV, usque ad PIVM VI, qui felix imperet, ad Vicennalia, ad Tricennalia, Pontifices in *Cella Clementina*, ubi *Gregorii* Corpus adservatur, coronationis die, sacris indumentis sollemniter ornari consuevisse, certum est. Alibi enim descriptas caeremonias, unum obiisse scimus *Innocentium* XI, ex *Schedula intimationis* Petri Paulli Bonae, quae est hujusmodi [1]. *Dominica die 4. currentis mensis Octobris, hora 13 fient sollemnia Coronationis SS. D. N. EE. DD. Cardinales cappis rubeis induti convenient in* Capella Sixtina, *in qua Sanctitas sua sumet sacra indumenta. In Sacello SS. Trinitatis, seu SS. Sacramenti, audiet sermonem Emi Card. Archipresbyteri, et excipiet Canonicos, et Clerum Basilicae ad osculum pedis. Interim Cardinales, et Episcopi, dimissis cappis, sument sacra indumenta. Perget deinde Summus Pontifex ad* Sacellum Gregorianum B. M. *dicatum, ibique adorabit venerabile Sacramentum. Inde accedet ad Altare SS. Apostolorum, quumque ibi parvum solium conscenderit, leget praeparationes, et induetur vestibus missalibus, et celebrabit Missam*. Audi haec eadem confirmata a Fulvio Servantio, in descriptione ejusdem Coronationis [2]. *Ab hoc Sacello, in quo asservari solet, remotum fuerat SS. Sacramentum pro hoc actu, et repositum in* Sacello

1 p. 424. 2 p. 422.

Gregoriano. *Longa fuit haec actio descensus, quia ob nimium concursum Populi vix incedi poterat. Finem tandem habuit, et Pontifex pervenit in Sacellum praedictum, et inde ad locum, ubi consistere debebat, praeparatum extra cancellos ejusdem Sacelli, in loco illo, qui extenditur usque ad Navim principalem Basilicae, qui repagulis undique vallatus erat. Circumcirca extendebantur sedilia pro DD. Cardinalibus, et in angulo a dextra manu egressus solium Pontificium sub baldachino aspiciebatur supra tres gradus, cum suis subselliis pro Cardinalibus Diaconis assistentibus hinc inde.* Ac rursus [1]. *Itum fuit recta via ad* Sacellum Gregorianum, *B. M. V. dicatum, ubi erat expositum SS. Sacramentum. Ibi Pontifex descendit de Sede, nudato capite, et genuflexus oravit. Recompositus in Sede, reassumpsit mitram, et elevatus eodem ordine, a praedicto Sacello, venit ad Altare majus Pontificium.*

Quae quum ita sint, quisnam Vgonio, Ciampinio, Mabillonio, Martenio, et Georgio adsentiatur, Cellam S. *Gregorii*, Basilicae *Secretarium* fuisse, ac ibidem Pontifices ex veteri instituto, sacris indumentis ornari consuevisse? Primum enim falsum omnino est, eos *quoties* sacris ritibus sollemniter operantur, in Basilica Vaticana, *toties in Cella Gregoriana*, ut Georgium affirmasse [2] vidimus, sacris vestibus sese induisse, ac *etiamnum* indui. Quod quidem, nisi me omnia fallunt, disertissime, plenissimeque ostensum est ex ipsis Romanorum *Ordinum* locis, quae consulto superius attulimus. Ea enim docent, antiquiorem *M. Gregorii* Cellam a *Gregorio* IV. excitatam, sollemni dumtaxat Pontificum Consecrationis, et Coronationis die, ac praeterea quotannis *feria* v. *in*

1 p. 422. 2 p. 782.

Coena Domini, *Secretarii* vice inserviisse; Cellam vero a *Pio* II. constructam, iisdem caeremoniis, pro *Pontificum Consecratione*, *et Coronatione* destinatam. Verum ceteris festis anni diebus, in alio Basilicae loco Pontifices sese sacris indumentis ornabant, ut videre licet, non solum in *Romanis Ordinibus* a nobis supra allatis, sed etiam in iisdem quattuor *Ordinibus Missae Pontificalis*, quos edidit ipse Georgius [1], *in Appendice Commentarii de Liturgia Romani Pontificis*, ubi nusquam *Cella Gregoriana* nominatur.

Secundo, etsi *ex veteri consuetudine*, Coronationis die, in *Cella S. Gregorii* Pontificalia indumenta sumant, falsum item est, illos eadem, *tamquam antiquo Secretario*, *etiamnum uti*; idque neque de antiquis, neque de recentioribus temporibus affirmari potest. Ex iis enim, quae fusius iccirco persequuti sumus, satis superque probatum est, jam inde ab initio, quum Pontificum *Consecratio*, et *Coronatio* in Bas. Vat. fieri coeperunt, nusquam hujusmodi caeremonias in *Secretario* peractas fuisse. Primum enim eas in Cella a *Gregorio* IV. constructa *ante novellum Secretarium* celebrari consuevisse demonstravimus; deinde in altera, quam *Pius* II. erexit, ac demum, si unum exemplum excipias, in *Cella Clementina*, ubi *Paullus* V. *Gregorii* exuvias collocavit.

Verum etsi *Cellam Gregorianam*, usque ad *Pii* II. aetatem, extra Templi ambitum fuisse, fatendum est, tamen vel tum a *Secretario* distinctam fuisse, praeter jam allata argumenta, luculentissime demonstrant insignia multorum Ordinum loca de *Imperatorum Coronatione*, quae, quum ad instituti nostri illustrationem maxime sint accommodata, non inutiliter in sequenti capite proferentur.

1 T. III.

CAPVT XVIIII.

Eadem de Vat. Bas. Secretarii a Cella Gregoriana disjunctione disquisitio continuatur, allatis multorum Ordinum locis, de Imperatorum Coronatione.

Plures sunt Romani Ordines, qui ritus in *Imperatoris coronatione* [1] exequendos describunt. Sed ab antiquioribus exordiamur. Is autem habendus certe ille est, quem primum edidit Odoricus Raynaldus ad annum MCCIX [2], ubi disserit de *Othonis* IV. Coronatione ab *Innocentio* III. peracta. Hunc ille ipso *Innocentii* aevo scriptum putavit. Qui deinde in *Museo Italico* [3] eumdem evulgavit Mabillonius, Cencio Camerario adjudicavit. Rursus vero Edmundus Martene [4] ex Codice Arelatensi ceteris uberiorem emisit; sed nil tamen de ejus aetate, aut auctore pronunciavit. Ipsa igitur brevissimi *Ordinis* verba habeto ex Raynaldo descripta, quae ceteris Mabillonii, et Martenii fere consonant.

Incipit Ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem, quando coronam accipit. Promissio Imperatoris. In nomine Christi etc. *Dehinc orationem primam det Albanensis Episcopus ante Portam argenteam Basilicae Beati Petri.* Deus, in cujus manu corda sunt Regum etc. *Orationem vero secundam det Episcopus Portuensis intra Ecclesiam D. Petri, in medio rotae*, Deus inenarrabilis etc. . . . *Deinde vadunt ante*

1 V. Ioachim Fellerum. Lipsiae 1622. Horatium Blancum. de tribus Coronis Longobardis ad Paullum Diaconum. extt. in T. I. Script. Ital. Muratorii pag. 460. Ioh. Iacob. Mascovium. de Regali, Imperialique Augustorum Germaniae, Augustarumque coronatione. Lipsiae 1723. Christianum Weidlingium. de triplici Imperatoris Coronatione Longobardica, Romana, et Germanica.

2 p. 168.

3 T. II. Ord. XII. n. 58. p. 215.

4 de Ant. Eccl. Rit. lib. II. T. III. c. IX. Ord. VII. et V. T. II. Thesaur. Anecdot. p. 485, et 497.

Confessionem B. Petri Apostoli, et prosternant se proni in terram, et Archidiaconus faciat letaniam. Qua finita Episcopus Hostiensis....

Eumdem Ordinem doctissimus Cajetanus Cennius in *dissertatione* vI. *de Codice Rudolphino* §. vI. *de ritu Coronationis Karolingiorum Augg.* ex praestantissimo *Codice Albiniano* [1] depromsit, solidisque argumentis demonstravit, allatos *Ordinis* editores ejusdem aetatem non esse assequutos, quam ab aevo *Cencii Camerarii* ad *Karolinos* ipsos retrahendam docuit. Neque tamen hunc Ordinem iccirco assignandum esse duxit ipsis Imperatoriae Coronationis initiis, de cujus ritibus nulla mentio apud scriptores occurrit, praeter *Anonymum Panegyristam Berengarii*. Sed ipsa Imperatoris promissio, ac nullum insuper *Missae* indicium, *Karolinis*, et *Germanis Ordinem* aperte vindicant, qui *Coronam ante sacri celebrationem* suscipiebant.

Sed alteram ipse caussam adjiciam, cur idem *Ordo* ceteris antiquior jure sit habendus. Ibi enim nusquam *Altare S. Gregorii* nominatur, quod tamen, postquam a *Gregorio* IV. conditum fuit, in ceteris *Ordinibus*, ubi ritus *Coronationis Regum Germaniae* describitur, quum *electio Regis Romanorum* constituta est, una cum *Altari S. Mauritii* fere semper occurrit. Siquidem, quum ritus hujusmodi Coronationum, Occidentali Imperio instaurato, a *Leone* III. fuerit institutus, qui omnium primus in Basilica Vaticana *Karolum* M, extremo anno Seculi vIII, natali die D. N. Jesu, post sacrum sollemne rite coronavit, tunc certe nullae hac de caussa, in *Cella Gregoriana* nondum exstructa, caeremoniae celebratae fuerunt, licet jam, uti vidimus [2], alterum in ipso *Secretarii an-*

1 T. I. p. 256. 2 p. 672.

tiquissimi Vestibulo Altare *Gregorio* sacrum existeret. Tunc enim, ut ipse Cencius in *dissertatione* I. *de Leonis* III. *epistolis* [1] eruditissime animadvertit, adstipulantibus Monacho Engolismensi, Eginardo, Ademaro, et Libro Pontificali, Karolus M. de improviso *ad Missam ante Confessionem B. Petri* a Leone III. coronatus est, a *cuncto Rom. Populo acclamatum* Karolo Augusto a Deo Coronato, magno, et pacifico Imperatori Romanorum, vita, et victoria.

Neque vero obstat, quod ne in aliis quidem *Ordinibus* sequiorum temporum, uti certe sunt XIV, Cajetano attributus apud Mabillonium [2], et a Gattico iterum exhibitus [3], VI. ex MSS. Pontificali Ecclesiae Apamensis in Syria, et VIII. ex MSS. Codice Bigotiano apud Martenium [4], ac demum I, et II. apud Muratorium [5], *Gregorii* Cella nominetur. Nam ob temporum, ac rerum vices, variamque Basilicae formam, ritus hujusce Coronationis necessario aliquantulum immutari debuit. Ac propterea, modo in *Gregorii* Cella, modo ejus vice, in alio Basilicae loco consuetas caeremonias fuisse obitas, omnes una mecum existimabunt. Nisi quis malit, etsi vel postmodum hic ritus in *Cella Gregoriana* praestitus fuit, tamen recentiores Ordinum consarcinatores in posteriorum Coronationum ritibus describendis, nulla habita varietatum deinceps inductarum ratione, antiquiora, prout stabant, descripsisse, nullamque hujusce deinde habitae, contra quam debuissent, fecisse mentionem.



1 T. II. Cod. Car. §. III. p. 17.
2 T. II. Mus. It. p. 399.
3 p. 129.
4 p. 593.
5 T. I. Antiq. Ital. col. 99.

§. I.

Quando Imperatores nonnullas coronationis caeremonias in Cella Gregoriana servare coeperint ?

Ritus deducendi Imperatorem ad *Cellam Gregorianam* in die Coronationis, primum apparet in Coronatione *Henrici* II, et *Hagnae* Augg. atque iccirco ejus origo e Sec. xI. videtur repetenda. Porro ex duodeviginti Imperatorum Coronationibus, quotquot a *Karolo* M. usque ad *Karolum* V. contigisse scimus, nulla fuit hujusmodi Coronatione augustior, atque nobilior, quae primum, contra morem, inter *Missarum sollemnia*, fieri coepit, antequam Doxologia magna, sive Hymnus Angelicus, aut triumphalis concineretur. Multa enim tum nova, et singularia contigerunt, quum tres una simul coronis ornandi fuerint, nimirum *Clemens* II, qui eadem die sacrorum sollemnibus initiatus fuit, ac postea *Henricus* II, Conradi Salici Filius Aug. *Hagneque* ejus Vxsor.

In Caeremoniali, quod primum Panvinius inter Ordines ab se collectos recensuit [1], ritus ea occasione servati memoriae sunt proditi. Hoc idem e MSS. Chisianae Bibl. a Mabillonio erutum Edmundus Martene evulgavit [2], deinde recudit Ludovicus Ant. Muratorius [3], ac demum J. B. Gattico [4], qui idem, veluti antea ineditum ex Panvinii libro descripsit, Cenniumque [5] hoc nomine decepit.

Verum Mabillonio, Martenio, Muratorio, aeque ac Panvinio, et Gattico ignotum fuit, quidnam in tantae vetustatis monumento contineretur. Primus omnium, qui

1 in Cod. Vat. 642.

2 lib. II. in Ord. IX. cap. XXIII. p. 846. in addendis ad lib. II. c. IX. col. 596.

3 T. I. Antiqq. Ital. in Ord. III. p. 103.

4 p. 215.

5 p. 261.

ejusdem pretium agnovit, detexitque, idem Cennius fuit in dissertatione vI. *de Codice Rudolphino* [1], ubi, duobus exemplaribus inspectis, diligenterque collatis, ad eorum fidem rectius, atque emendatius, totum Ordinem iterum praelo commisit, et Hermanni Contracti Monachi Augiensis errorem detexit.

Jam vero, quid sollemni illa die, in *Cella Gregoriana* peractum fuerit, ex ipso Ordine audiamus. Postquam *Henricus* Rex Romanorum, Electus Imperator, sacramentum praestitit *fidelitatis, in capite graduum, ante portas aereas S. Mariae in Turri*, Episcopus *Albanensis* primam Orationem recitavit *ante Portam argenteam*. Deinde *Domnus Papa*, et *Electus* Basilicam ingressi, in sedibus praeparatis considerunt; ac Pontifex, vII. Episcopis sedentibus, secundum ordinem, ad dexteram suam, et Episcopis Theutonicis sedentibus ad dexteram Electi, Cardinalibus, et ceteris Ecclesiae Ordinibus circumstantibus, fecit *Scrutinium*, cujus formulae ibi afferuntur. Quo expleto, *vadit Domnus Papa* ad Secretarium, *et induit se Pontificalibus indumentis usque ad Dalmaticam, qua indutus sedet. Interim Episcopus Portuensis, in medio rotae medianae, det hanc Orationem super Electum*. Deus inenarrabilis, *sicut in unctione Regis. Finita oratione, vadit Electus ad* Chorum Gregorii, *cum praedicto Cardinalium Archipresbytero, et Archidiacono, quibus, quasi magistris, uti debet in toto officio unctionis, et induunt eum amictu, et alba, et cingulo, et sic deducunt eum ad Domnum Papam in* Secretarium, *ibique Clericum facit eum, et concedit ei tunicam, et dalmaticam, et pluviale, et mitram, et caligas, et sandalia, quibus utatur in Coronatione sua, et sic indutus stat ante*

1 ibid.

Domnum Papam . Nunc autem , velim , in mentem revoces , quae de ritu conferendi minores Ordines in *Secretario majori* , superius [1] adnotavi , ab hoc illustri exemplo egregie confirmata .

Atque heic liceat mihi insignem vitae Nicolai Gabrini , Laurentii F. Tribuni P. R. qui repentino tumultu occisus est anno MCCCLIII , locum interserere , *Dalmaticae* ab Imperatoribus gestandae usum mirifice illustrantem . Sic itaque de eo scriptum legimus , postquam de Columnensibus victoriam reportavit [2] . *La dimane pe tiempo deo pe terra le belle palazza , in pede de Ponte Santo Pietro , in fronte de Santo Ceizo : puoi ne ijo con soa Cavallaria a Santo Pietro , entrao ne la* Sacrestia , *e sopre tutte le arme se vestio* la Dalmatica de stati de Imperatore, quella Dalmatica se viesto l'Imperatori , quanno se incoronano , *tutta ene de minute perne lavorata , ricco ene quello vestimento : con tale veste , a muodo de Cesari , sallio a lo Palazzo de lo Papa , co tromme sonanti , e fo denanti a lo Legato , soa bacchetta in mano , soa corona in capo , terribele , fantastico parea* .

Sed, ut ad *Henrici* II , et Hagnae Augg. coronationis historiam revertamur , notandus est *Chori* titulus , qui novo , atque unico exemplo , *Cellae Gregorianae* tribuitur, in hoc tantum Ordine, apud Panvinii , aliorumque exemplaria . Passim enim apud Scriptores pro Templi abside , et Sanctuario *Chorus* adcipitur , ac proprie *Chorus* olim erat in Ecclesia pars illa navis , ubi ambo.

1 p. 577.

2 Vita di Cola di Rienzo, Tribuno del Popolo Romano. Bracciano 1631. 8. p.97. et apud Muratorium in T. III. Antiq. Medii Aevi lib. I. cap. XXXI. Iean Antoine du Cerceau , Conjuration de Nicolas Gabrini , dit de Rienzi , Tyran de Rome en 1347. Paris. 1733. 12. Michael Corradus Curtius de Senatu Romano pag. 405.

Heic tamen hujusmodi titulus ex eo fortasse petendus est, quod, quum ibi antea a Pontifice, qui eadem die consecratus fuit, de more recitanda fuerit *Tertia*, ac Scamna, *Chori* instar, pro Cardinalibus disponenda, qui caeremonias, quas supra descripsimus, obire debuerunt, tunc iccirco *Chorus* videri, et nominari potuit; quod nusquam postea dictum fuisse demonstrabimus in aliis *Ordinibus*, qui solam Imperatorum Coronationem, a Ponficum inauguratione segregatam describunt.

Et sane dubitari minime potest, quin *Chorus S. Gregorii* idem heic sit, quod *Cella Gregoriana*. Audi, quae idem Ordo statim subjungit. *Verum completo Scrutinio, exit Hostiensis Episcopus ad Portam Argenteam, ubi Regina cum Iudicibus, et suis Baronibus praestolatur, et dat ei hanc Orationem*. Omnipotens aeterne Deus...... *Qua Oratione completa, unus de Cardinalibus Presbyteris, cui Prior praeceperit, de Diaconibus similiter unus, cui Archidiaconus jusserit, Reginam deducant usque* ad Altare S. Gregorii, *ibique exspectet, donec Domnus Papa cum sua processione exeat*.

Quid clarius? Heic *Chorus S. Gregorii* disertis, ac perspicuis verbis, *Altare S. Gregorii* nominatur, quod, uti jam saepe diximus, a *Gregorio* IV, *ante novellum Secretarium* constructum fuit. Quis vero non videt, contra Mabillonii, et Georgii sententiam, *Secretarium* non idem esse, ac *Cellam Gregorianam*, modo ad ea verba animum advertat: *Vadit Domnus Papa ad Secretarium.... Vadit Electus ad Chorum Gregorii.... et induunt eum amictu, et alba, et cingulo, et sic deducunt eum ad Domnum Papam in Secretarium, ibique Clericum facit eum*. Ac rursus ad alia, quae de Regina notantur, quae *deducitur tantum* usque ad Altare S. Gregorii, *ibique exspectat, donec Dom-*

nus Papa cum sua Processione exeat *e* Secretario, quô Feminis, ex veteri instituto, aditus praecludebatur? Nihil vero obstat, quod Cellam a *Gregorio* IV. erectam, *extra* Basilicam fuisse diximus. Etsi enim *Henricus*, et *Hagne* eô processerunt, postquam Basilicam ingressi fuerant, tamen per ostium, quod e Basilica ad eamdem Cellam aditum praebebat, uti superius [1] ostendimus, eô se facile conferre potuerunt, eodem plane modo, quo Pontifex eamdem Basilicam ingressus antea fuerat, ac dehin ex ea ad *Secretarium* perrexerat, quod nemo certe *extra* Basilicam positum fuisse, diffitebitur. Quapropter haec antiquissimi *Ordinis* loca nostrae opinioni nihil incommodant, dum, contra quam plures docti viri sensere, Cellam a *Gregorio* IV. erectam, *extra* Basilicam statuendam esse, contendimus.

§. II.

De Diaconi, aut Subdiaconi munere ab Imperatoribus praestito, aliisque sollemnibus caeremoniis in eorum Coronatione servatis.

Verum de his, eruditionis suae parcus, ac tenax Cennius nihil habet, etsi ceteros, ut ita dicam, Imperatoris gradus sedulo sit persequutus. Plura enim, ac praeclara de *Sacramento fidelitatis* in Aede S. *M. in Turri* praestando [2] disseruit, ac praesertim inquisivit, quonam tempore a Canonicis Bas. Vat. Imperatores ibidem in Fratrem recipi [3], incoeptum sit. Quod, *ut Subdiaconi*

1 p. 750.

2 p. 271.

3 p. 273. V. Pomp. Sarnelli, che il principale atto del Suddiacono sia offerire al Diacono il Calice vacuo, e la Patena vacua, e se l' Imperadore Romano de' avere l' ordine Suddiaconale, con altre curiose notizie ¶ in T. vI. Liter. Eccles. p. 34. della Coronazione dell'eletto Imperatore. T. vIII. p. 3. del Suddiaconato, e Acolitato, strettamente, ed in

officio in re divina fungi posset, fieri consuevisse demonstrat, non minus Durantis Rationalis [1] auctoritate, quam *Clementis* V, de Coronatione *Henrici* VII. facienda, praescripto innixus.

Ceterum, ut obiter heic moneam, ignoro, qua de caussa Vir doctus adnotatione dignum non judicaverit, quod Imperatores, Coronationis die, *Subdiaconatus* munere fungerentur, *Patenam cum hostia, et Calicem cum vino, et aqua Pontifici* [2] ministrantes, quum deinde, quoties Pontificum sacris interessent, vel *Diaconi* vices exercerent [3]. Nam de Imperatore *Sigismundo* sic habet historia [4]. *Mane venit Imperator ad Missam, Romae in S. Petro, quam Papa cantavit, et Imperator legit Evangelium in habitu Diaconi*. Ac profecto Augustinus Patritius [5], et Card. Papiensis [6] *Fridericum* III. Imperatorem, in Officio nocturno Nativitatis Domini, anno MCDLXVIII, *Paullo* II. P. M. Romae Evangelium in morem Diaconi cantasse scribunt. Eadem habet de *Karolo* IV. Dominicus Macer in *Hierolexico*, qui concinit Chronicis Belgicis, et Continuatori Nangii [7]. *Karolus* IV. *Imperator, ut narrat in ejus Chronica an.* MCCXLVII. *Albertus Argentoratensis, Basileae, die Sancto Nativitatis Domini, communicatus fuit, legitque in Missa, in Galli can-*

largo modo intesi, e de' Principi benemeriti di S. Chiesa, onorati dalla medesima. ibid. p. 6. Delle Almuzie Canonicali. in T. x. litt. Eccl. p. 84.

1 lib. II. c. vII. n. 6.

2 Bianco Negri nella Bas. Petroniana. p. 75. Poscia disse S. S. il *Credo*, e dopo l'Offertorio, Cesare depose ogni cosa, sino il manto, che ha eva intorno, et andò a' piedi di N. S. et offrì 30. doppie da 4. ducati l'una, e come Suddiacono vestito, andò all'Altare con S. S., e ministrò il Calice, e la patena, e l'acqua, che s'infonde nel vino, e si ritirò alla destra parte, sinchè il Papa andò alla sua sede per communicarsi.

3 In ambone Imperatores interdum coronatos fuisse testantur Theophanes p. 405. et Auctor incertus post eumd. p. 431. 419. 426.

4 apud Berrium in Karolo vII, et apud Ducangium

5 T. I. Mus. It p. 263, et 264.

6 lib. vII. Commentariorum.

7 an. MCCCLXXVIII. apud Ducangium.

tu, alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Evangelium, Exiit edictum a Caesare Augusto. Atque hoc item *Karolum* V, die Natalis Domini, anno MDXXIX. Bononiae praestitisse scimus, ut Josephus Catalanus adnotavit [1], ubi egit *de sollemni Evangelii lectione Imperatoribus concessa* [2]. Verum hujusmodi ritum facilius in usu fuisse putat Catalanus [3], si forte Rex aliquis, praeter Imperatorem, interesset. Tunc enim Rex Epistolam, Imperator Evangelium legebat, ut constat ex veteri Caeremoniali gallice scripto apud Ducangium, et Ciampinium [4], cujus haec sunt verba. *Comme on fait un Empereur, le Pape doit chanter la Messe, et le Roy de France y peut estre, et doit dire l' Epistre; en son absence, le Roy de Sicile la doit dire, l'Empereur doit dire l' Evangile, et y estre couronnè l'Empereur à S. Pierre de Rome.* Quae quidem non in minimis ponenda, atque ad rem apposita maxime videbantur. Sed Cennius praedictis adnotationibus contentus fuit, qui praeterea [5] adjecit, quando Imperatorum inunctio ad *Altare S. Mauritii* fieri coeperit; ac multa demum exquisita eruditione subjunxit de *Insignium Imperialium traditione*, nimirum de *Manto Collobio, Anulo, Sceptro, Pomo Crucigero, Mitra, et Gladio*, quae vide sis apud eumdem, aliosque [6]. Vtinam vero,

1 de Codice S. Evangelii c. IV. p. 37.

2 V. Ioh. Matthaeum Hammerich. de usu Evangelici Cod. apud veteres Christianos. Hauniae 1702, et Andr. Schmidium. de cultu Evangeliorum. in Triga Exercitationum. Ienae 1692. 4.

3 T. I. Pontif. p. 388.

4 T. I. Vet. Monum. c. XVI. p. 134.

5 p. 271.

6 V. Gattico. in Diar. Caer. Ducangium. in Dissert. de Imperatorum Constantinopolitanorum, seu de inferioris aevi, vel Imperii, uti vocant, Numismatibus, notis illustrata, et ejus Glossario editionis Basileensis, et Parisiensis adjecta, Bull. Vat. edit. in diplom. Honorii II. Harduinum. de numis Vrbium pag. 413. Ioh. Georg. Roeserum. de Sceptris Principum. Francofurti ad Viadrum 1690. Kar. Fridericum Cobium. de Sceptrorum

eodem modo, Viro pererudito placuisset inquirere, quonam tempore descripti ritus in *Cella Gregoriana* celebrari coeperunt, et hanc quoque Imperatorum stationem, uti ceteras, illustrasset!

Sed intactam hujusmodi provinciam reliquerunt non minus Cennius, quam Maurini, et Bollandiani, qui etsi tot, ac tanta de *Gregorii* laudibus, ejusque cultu tradiderint, nil tamen unquam de tam illustribus praerogativis, quae huic Cellae, prae ceteris Vat. Bas. adhaeserunt, *Feria* v. *in Coena Domini*, et in *Pontificum inaugaratione, et Imperatorum Coronatione*, indicarunt. Quod certe de utrisque satis mirari nequeo; quum, etsi nondum Mabillonius Romanos Ordines a Panvinio collectos evulgasset, neque Martenii, et Muratorii editiones prodidissent, quas deinde a Gattico, et Cennio cumulatas fuisse vidimus, tamen priusquam Maurini *Gregorii* vitam, ac reliqua ad ejus gloriam, cultumque spectantia typis consignassent, jam Romae, et Venetiis prodierat *Pontificale Romanum*, ubi *Gregorii* Cellam, uti supra ostendimus, ac denuo mox declarabimus, descriptis Pontificum, et Imperatorum Coronationum ritibus obeundis fuisse destinatam, noscere facile potuissent.

Quod vero ad Bollandianos spectat, quae in *vita Gregorii* Ianningus [1] omiserat, ea certe supplere alibi, facile, atque opportune potuissent Socii praestantissimi, ac praesertim Johannes Cleus, qui plurima *de gloria po-*

origine. Wittebergae 1722. Frid. Henric. Iacoba de Sceptro. Ienae 1704. Christoph. Godofr. Hoffmannum. de origine, et jure Sceptrorum. Francofurti ad Viadrum 1724. Ioh. Gasp. Struvium. de Sceptro, regiminis eminentioris symbolo. Helmstadii 1728. Henric. Theodorum Pagenstecherum. de Sceptro Majestatis insigni. Exst. in Triade dissertat. Lemgoviae 1739. 4. et Ioanne Christophorum Snodtmannum. de Sceptris veterum. Guelpherbyti 1744.

1 T. 1I. Martii.

sthuma S. Mauricii, et Thebaeorum MM. erudite [1] congessit, Verum, etsi de Ara, quam *S. Mauritius* habuit in Basilica Vaticana, nonnulla commemoret, tamen de *ritu Imperatoris brachium dextrum, scapulasque oleo exorcizato* ibidem *inungendi*, praetermissis omnium Ordinum auctoritatibus, vulgare tantum Barth. Plazzae [2] profert testimonium, haec de suo deinde subjungens. *Olim autem Imperatores ad ejus Aram Imperii insignia proferre, et protectionem singularem experiri solebant*. Atqui nae Cleus pluribus de hujus Arae privilegiis, quae recensere professus erat, minus dixit, quam paucis Janningus, qui etsi in *descriptione Bas. Vat.* [3] obiter egit de *Altari S. Mauritii*, tamen postquam ibi de veteri Imperatores inungendi consuetudine [4] multo gravius Manlii, et Paulli de Angelis protulit testimonium, celebrem talis rei caeremoniam a Patritio [5], et a Goldasto [6] describi adnotavit? At, quaeso, quisnam aptior eidem Janningo locus offerri poterat, ut quod de *S. Mauritii Cella* adnotandum esse jure censuit, idem, ubi venit ad *Gregoriani* Altaris descriptionem [7], animadverteret, quodque in *vita Gregorii* praetermissum fuerat, vel ibi commode suppleret, vel saltem in peculiari dissertatione, quam [8] *de situ Secretarii antiqui, et Sacelli Gregoriani S. Gregorio primo a Gregorio* IV. *constructo* lucubravit?

Frustra vero eadem exspectes a Galliciolio, etsi omnium postremus multo uberiorem *Gregorii* operum edi-

1 T. vI. Sept. V. plura a nobis allata pag. 35. de Legionibus Thebaea, ac Melitina.

2 in Hemer. die 22. Sept.

3 T. vI. Iunii p. 103.

4 V. Ioach. Zientgravium. de Vnctione Regum. Argentorati 1658. et Nic. Henelium. De Vnctionis ritu in Imperator. ac Regum Inaugurationibus. Exst. in ejus Otio Vratislaviensi. cap. xiv. pag. 104. Ienae 1658. 8.

5 in Rit. Sect. v.

6 in Const. Imp. p. 412.

7 T. vI. Iunii p. 93, et 94.

8 ibid. p. 151.

tionem adornaverit, quaeque a Maurinis, et Bollandianis praetermissa fuerant, in medium proferre, in se receperit.

§. III.

Quousque hujusmodi caeremoniae in Cella Gregoriana celebratae?

Erit fortasse, qui sibi persuadeat, ritus in *Henrici*, et *Hagnae* coronatione servatos, atque a nobis, quoad licuit, Cennio, Maurinis, Bollandianis, et Galliciolio hac de re fere silentibus, illustratos, postea desuevisse. Id enim primum conjici posse videbitur ex allatis Martenii, et Muratorii Ordinibus, ubi *Cella Gregoriana* minime nominatur; ac praesertim ex Ordine XIV, ubi tantum [1] *Secretarium* occurrit, in quo *Summus Pontifex praeparat se cum omnibus Ordinibus suis, tamquam celebraturus divina*. Quod aeque animadvertimus, tum in diplomate *Clementis* V [2], in quo agit de coronatione *Henrici* VII, quae non in Templo Lateranensi, sed in Vaticano de more habenda erat, tum in diplomate *Innocentii* VI [3], ubi ritus in *Karoli* IV. Romanorum Regis, ejusque Vxsoris *Annae* Reginae Coronatione, a Cardinali Hostiensi servandus, fuse praescribitur. Ibi enim nusquam *Cella Gregoriana* innuitur, etsi omnes coronationis caeremoniae descriptae sint.

Verum sedulo animadvertendum est, Ordines a Martenio, et Muratorio evulgatos, certam nullius Imperatoris Coronationem exhibere; sed tantum, quidnam agendum esset in ea, quolibet casu obeunda, indicare. Quapropter mirandum minime est, singula non fuisse ibidem adnotata. Ac praeterea, quum Ordines sint incerti

1 p. 398.
2 T. I. Bull. Vat. p. 250.
3 apud Raynal. ad an. 1355. n. 3. et in T. I. Bull. Vat. p. 350.

temporis, ex primo, quem edidit Raynaldus, ceteros expressos esse, jure suspicabimur. Quod vero attinet ad *Clementis*, et *Innocentii* Diplomata, fatendum est, ne ullam quidem ibi fieri mentionem loci, ubi Imperator sacris vestibus induendus erat. Sed tamen, quum probe compertum sit, iis in *Cella Gregoriana* ceteros Imperatores ornari consuevisse, sentiendum est, utrumque Pontificem de *benedictionum*, et *juramenti* formulis praescribendis tantummodo sollicitum, ea praetermisisse, ut illa aetate jam satis pervulgata, ac multo minoris momenti. Quod si nonnemo subjungat, dici idem posse de Ordine, quem Raynaldus in lucem emisit, ubi ne alius quidem locus assignatur ad vestiendum Imperatorem, reponam, ibi varias etiam legi *benedictionum* formulas, quae iccirco eum antiquiorem esse produnt, ac ne *Altare* quidem *S. Mauricii* ibidem nominari, quod tamen in ceteris Ordinibus semper occurrit. Hinc enimvero praeter ea, quae supra [1] adnotavimus, datur opinandi locus, quum nondum eo tempore perficeretur inunctio *ante Altare S. Mauricii*, neque totius functionis ritus constabilitus omnino esset, nondum etiam *Cellam Gregorianam*, ad Imperatorem recipiendum, sacrisque vestibus ornandum, fuisse destinatam. Verum, quo tamen cumque modo sese res habeat, ex allatorum Ordinum, et *Clementis*, et *Innocentii* VI. diplomatum silentio, id unum evinci poterit, *Cellam Gregorianam* aliquoties, fortuita ex caussa, quae certo ignoratur, hujusmodi caeremoniis non inserviisse. Id enim superioribus temporibus usuvenisse, satis abunde demonstravimus, ac posterioribus etiam id accidisse, nunc declarabitur.

1 p. 824.

Pagius ad annum MCDLII[1], *Friderici* III. coronationem a *Nicolao* V. peractam describit, Naucleri verbis, qui, etsi certe ea die *Cella Gregoriana*, flore novo, et festo cultu exornata, prolatis ritibus obeundis de more inservierit, tamen nusquam illam in sua narratione nominavit. Quod etiam luculenter probat, alias etiam fieri potuisse, ut eadem Cella in consuetis caeremoniis peragendis rite usi fuerint, quin id ipsum in *Ordinibus* aperte sit declaratum. Id autem manifeste patet ex *Historia Friderici* III. ab Aenea Sylvio, qui deinde *Pius* II. fuit, conscripta, ubi primum, contra morem majorum, in Basilica Vaticana corona ferrea, quam Modoetiae[2], aut Mediolani suscipere debuisset, et simul aurea redimitum fuisse, narrat hoc modo[3]. *Fridericus per aliquot Cardinales ad Capellam ductus, quae* intra Turres *dicitur, ibi jusjurandum B. Petro, et Nicolao Pontifici, suisque Successoribus in ea forma praestitit, qua Ludovicum M. Karoli F. jurasse, Pontificum decreta confirmant. Ibi quoque et alba indutus, in Canonicum S. Petri receptus, Fratribus, qui aderant Canonicis, osculum dedit. Nec mora, inter Cardina-*

1 p. 390.

2 V. Bzovium ad ann. MDCXXXI. p. 19. Barth. Zucchi Breve Istoria della Corona Ferrea, ed il Catalogo di quei Re, ed Imperatori, che in Monza Città Imperiale, ed altrove l' hanno usata. Milano 1613. 4. Tre illustrissime glorie di Monza, Città Imperiale, per la Vita della Reina Teodolinda, per la Corona Ferrea, e per la Vita di Gherardo. ivi 1613. 4. Istoria dell' insigne Corona Ferrea, che si conserva nell'insigne Basilica di Monza. Milano 1707. 4. Iust. Fontanini de Corona Ferrea Longobardorum. Romae 1717, et 1719. 4, et Lugd. Batav. 1723. fol. Muratorium de Corona Ferrea, qua Romanorum Imperatores in Insubribus coronari solent. in T. II. Anecd. Bibl. Ambr. an. 1698. p. 267, et Lugd. Bat. cum Diss. Fontaninil. De cultu Coronae Ferreae animadvers. (Prosperi de Lambertini) Acced. Catalogus Auctorum, qui de Corona Ferrea verba faciunt. Roma 1715. et 1717. fol. Ant. Franc. Frisi Memorie della Chiesa Monzese. Milan. 1774. T. III. 4.

3 p. 80. V. de Friderici III. Imp. in Italiam profectione votiva, honorifico ad Vrbem adventu, et gloriosa Coronatione Romana narrationem, e l. 1. S. Caerem. §. III. c. I. apud Schardium, et Goldastum in Part. IV. Polit. Imper. p. 325. et apud Murator. in T. XXIV. Rer. Ital. p. 203.

les medius incedit. Ad praecipuam Ecclesiae portam quum venisset, ibi per Subdiaconum S. Mariae Novae Cardinalem, Eugenii IV. *Nepotem, sollemni benedictione coopertus est. Deinde* Capellam S. Gregorii *ingressus, Sandalia tulit, tunicellam induit, et augustale paludamentum accepit. Mox ei in medium Basilicae profecto, per alium Cardinalem benedictio superfusa est. Tertiam quoque benedictionem apud Cancellum S. Petri suscepit. Exinde ductus ad Altare S. Mauritii, per Cardinalem Portuensem, nunc Vice Cancellarium, de quo supra meminimus, in scapulis, atque in dextro brachio, pro veteri more, oleo sacro delinitus, iisdemque locis inuncta est Conjux ejus Leonora, quibus peractis, ambo in sua tribunalia transierunt.*

Postrema haec omnium fuit Imperatorum Coronatio, quae in Bas.Vat. peracta sit. Nam *Maximilianus Friderici* Filius, quem *Iulius* II. insignibus Imperii ornare designaverat, bello immature decessit. Quapropter ambigendum minime est, qualem e Cellis *Gregorianis*, quas supra illustravimus, Romani Ordines, atque Historici indicaverint. Ipse enim positus *Cellae Gregorianae de Palatio*, ac *de Cortina*, ut jam demonstravimus, easdem ex hoc numero retrahendas esse declarat. De duabus aliis quaestio superesset, de ea nimirum, quam *Gregorius* IV. excitavit, deque altera, quam *Pius* II. *Andreae*, et *Gregorio* dicavit. Sed ipsa temporum ratio, hanc alteram aperte excludit, quum allatae coronationes, *Pii* II. Pontificatum antecesserint. Itaque aperte liquet, ritum, sandaliis, tunicella, et paludamento Imperatorem induendi, a Coronatione *Henrici* II, usque ad postremam *Friderici* III, in Cella a *Gregorio* IV. *extra* Basilicam constructa, fuisse ususpatum.

Ceterum, etsi haudquaquam constaret, novum Altare, quô *Pius* II. transtulit *Gregorii* exuvias, caeremoniis in Imperatorum Coronatione obeundis nunquam inserviisse, contra quam in Pontificum Inaugurationibus, et Coronationibus, a *Pii* II. Pontificatu, usque ad ejusdem Altaris eversionem factum vidimus, dubitandum tamen minime esset, quin *Gregorii Cella*, quae tam in Pontificum, quam in Imperatorum Coronationibus describendis in *Pontificali Romano* ab Augustino Patricio nominatur, haec eadem fuerit, quam sua aetate *Pius* erexerat. Quum enim in *Pontificum Coronationibus*, alteri a *Gregorio* IV. erectae suffecta esset, eodem modo statutum fuerat, ut *Imperatorum Coronationibus*, si quae postea fuissent, quoque inserviret. Ac propterea quaecumque Patritius, *Innocentii* VIII. jussu, scripto consignavit, de *Pii* II. Cella accipienda esse, nullus, opinor, dubitaverit.

Itaque lubet heic eadem Patritii loca in medium afferre, qui, utpote scientissimus, ac peritissimus Dissignator, totam festae illius diei pompam. ita ob oculos ponit, ut ei interesse quodammodo videaris. Ac primum agit *de adventu, et Coronatione Electi in Imperatorem* [1], deinceps de *caeremoniis in die coronationis servandis* ita disserit [2]. *Adveniente die statuta Imperialis Coronationis, quae convenientissima est in die Dominica* Laetare, *in medio Quadragesimae, ut Durantes in Rationali divinorum Officiorum scripsit, et ita a Nicolao Quinto in Coronatione Friderici servatum est, Ecclesia Sancti Petri, et Capella major erunt decenter ornatae, ut in maximis Sollemnitatibus, quum Pontifex est celebraturus divina, solent ornari, et praeter consueta, eriguntur duo suggestus hinc, et inde extra cancellos Ca-*

1 T. I. Caerem. edit. Catalani Tit. v. p. 165. 2 ibid. §. 2. p. 184.

pellae, alter pro Imperatore Electo, ad sinistram venientibus, alter a dextra pro Imperatrice, et ornetur tapetis, aulaeis, sedibus, scabellis, et aliis opportunis. Ecclesia tota, et maxime Capella S. Gregorii, *S. Mauritii, et quae S. Mariae in Turribus appellata, extra Ecclesiam in primo Porticu sub Turri Campanaria est, bene mundentur, ornenturque.*

Quis autem *Cellam D. Gregorii*, quae heic a Patritio memoratur, una cum altera *D. Mauritii*, intra Vaticanae Basilicae ambitum positam fuisse non agnoscat, quum ab altera *S. M. in Turribus* utramque distinguat, quam unice *extra* Ecclesiam fuisse scribit? Itaque Cellam a *Pio* II. erectam a Patritio indigitari, perspicuum sane est; quod clarius etiam constat ex altero ejus loco, ubi, postquam caeremonias recensuit ab Imperatore obeundas in *Ecclesia B. M. inter Turres*, primamque Orationem descripsit *ante Portam argenteam* super eum recitandam, agit [1] *de accessu Imperatoris ad* Capellam S. Gregorii, *et de altera Oratione super eum dicenda*. Inquit enim. *Finita prima Oratione*, intrant Ecclesiam, *Caesare incedente semper inter duos Diaconos Cardinales praedictos, et immediate praecedentibus duobus Episcopis Cardinalibus praefatis, et flectentes ad sinistram, perveniunt* ad Capellam S. Gregorii, *ubi Imperator sedens, deposita Almucia, primo induit Sandalia, deinde stans, Tunicellam, et demum Imperiale Paludamentum: et mox inde procedens ad medium Ecclesiae, ubi rota porphyretica est, venit, et ibi ab alio Episcopo Cardinali ibi assistente dicitur super eum alia oratio.*

1 T. I. Caerem. edit. Catalani §. xiv. p. 193.



CAPVT XX.

De Coronatione Karoli V. *Bononiae habita in Templo S. Petronii, in formam Bas. Vat. commutato.*

Quae Patritius facienda praescripserat, *in Cella Gregoriana Pii* II, etsi nunquam in Bas. Vat. exequi licuerit, in omnium tamen suprema *Karoli* V. Coronatione, quam Bononiae *Clemens* VII, in Templo S. Petronii peregit, adamussim praestita fuerunt. Priusquam vero Pontifex datas die XVII. Septembris anni MDXXIX. literas acciperet, quibus *Karolus* V, Germania tumultuante, ac *Ferdinando* Fratre adversus Turcas opem flagitante, Bononiae coronari postulavit, Blasius de Martinellis Caeremoniarum Praefectus, Pontifici declaraverat, quae in Imperatoris Coronatione rite erant peragenda, si in Basilica Vaticana, ex veteri consuetudine celebranda esset. Haec autem quum I. B. Gattico primum [1] evulgaverit, rem non injucundam Lectoribus fore arbitror, si ea quoque heic ceteris attexamus. Ait itaque [2]. *Intrat Ecclesiam Caesar inter duos Cardinales Diaconos, praecedentibus Episcopis Cardinalibus, veniunt ad* Capellam S. Georgii, *in sinistra manu existentem, ubi Imperator sedens deposita cotta, et almutia, induitur sandaliis, et inde veste longa de cremesino taffetano suffulta usque ad pedes, et inde tegitur rocchetto longo, et desuper tunicella, et demum Imperiale paludamentum accipiat. Veniunt ad medium Ecclesiae, ubi est rota porphyrea*. Heic vero lapsum fuisse Blasium, nemo non videt, qui perperam Altare *S. Georgii* pro *Gregorii* nominavit, quin Gattico errorem animadverterit, quem tamen aliis etiam Scriptoribus melioris notae fuisse com-

1 tit. IX. p. 101. 2 ibid. p. 104.

munemum [1], supra demonstravimus. Quod ita profecto esse, manifeste patet ex altero ipsius Blasii loco, ubi ait [2]. *Praesupposito, quod in Vrbe, ut secundum leges, et instituta antiquorum Patrum fieri convenit, et debet, quia Caput Imperii, et in Ecclesia S. Petri, primo procurandum erit, quod Ecclesia sit bene ornata, sicut fieri solet in maximis sollemnitatibus, et praesertim Altare majus, ubi Papa celebraturus erit, sicut decet,* Altare S. Gregorii, *ubi Imperator recipit indumenta, Altare S. Mauritii, ubi unctiones fiunt, sollemniter ornetur.* Ac rursus paullo infra [3]. *Faldistorium cum cussino deaurato in* Capella S. Gregorii, *in quo genuflectit, et orat, et inde sedet. Duo alii cussini pro Cardinalibus associantibus, super quibus genuflectant. Duo scabella pro duobus Cardinalibus hinc inde sedentibus. Sedilia, et loca parata ad sedendum pro aliis Principibus, et Praelatis, secundum loci capacitatem. Super Altare erunt caligae, Sandalia, vestis longa de cremesino taffetano suffulta, cum manicis strictis, et cingitur desuper. Rocchettum longum usque ad collum pedis. Stola broccati riccii ab humero sinistro in transversum sub dextro. Manipulum de eodem broccato ad sinistrum brachium. Paludamentum Imperiale, et vestis Imperialis bene ornata, et perlis circa fimbrias, et collum, cum aperturis ante, et retro.*

Haec autem Blasius de more praescripserat, dummodo Romae in Bas. Vat. Coronatio haberetur. Quum vero una cum Pontifice Bononiam profectus esset, ibique omnia in Aede S. Petronii, instar Templi Vaticani, exacte disposuisset, totum ritum ea occasione servatum, die Jovis, festo S. Matthiae Apost. XXIV. Februarii, anno MDXXX. posteritati mandavit.

1 p. 813. 2 p. 107. 3 p. 108.

Eum itaque haec omnia in Aede S. Petronii sedulo, naviterque disponentem, parumper sequi ne pigeat. Ecce jubet [1], ut *Capella, quae dicitur* S. Gregorii, *in introitu Ecclesiae ad sinistram, ornetur perpulchre. Ibi faldistorium pro Caesare, quatuor scabella pro quatuor Cardinalibus; super Altare parentur sandalia, amictus, rocchettum longum, vestes de cremesino usque ad talos, tunicella, manipulus, quibus omnibus ibi Caesar induetur*. Atque alibi, quum loca, quae *praeparari, et ornari debuerunt pro expletione tantae rei, cum Magistro Domus Papae, et Deputatis Imperialibus* inspecta describit, *ad introitum*, inquit [2], *Ecclesiae a sinistris in secundam Capellam, loco* Capellae S. Gregorii *in Basilica S. Petri, praeordinatam, ad quam ex eodem ponte per alium ponticulum descendebatur, devenimus, quam similiter ornandam disposuimus. In hac Capella Caesar indui sacris vestibus, et paludamentis Imperialibus debebat*.

Nunc, nisi molestum est, accipe ex eodem Blasio, quae in *Cella Gregoriana*, sollemni illa die peracta fuerunt. *Electus*, inquit [3], *medius inter dictos duos Diaconos Cardinales, praecedentibus ante eum duobus illis Episcopis Cardinalibus cum pluvialibus, et mitris suis, descenderunt, per ponticulum transversalem in Capellam secundam a sinistris introitus Ecclesiae erectam, sub vocabulo S.* Gregorii, *ad instar illius Capellae* S. Gregorii *in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, ubi electus Imperator in faldistorio sibi praeparato genuflexus oravit. Mox consurgens, quatuor illis Cardinalibus in certis scabellis in lateribus praeparatis considentibus, a suis Praelatis assistentibus exutus almutia, et superpelliceo, ministrantibus ibi Capellanis, et Camerariis suis secretis indumenta, et paramenta infrascripta, illis indutus fuit; vi-*

1 p. 138. 2 p. 142. 3 p. 145.

delicet primo, quibusdam sandaliis, levibus gemmis ornatis, calciatus fuit; tum stans, veste in modum guarnatiae talari de cremesino raso, strictis manicis apertis in brachio dextro, ligatis tamen, et collectis cordulis aureis, deinde alba, quae camisia vocatur, aperta, et inversa retro, tum stola auro, et perlis contexta in modum Diaconi, tunicella, et dalmatica ex tela aurea subtili, postremo paludamentum induit; idest vestem Imperialem auro, et gemmis pretiosis contextam, magni ponderis, in formam quasi pluvialis, a parte anteriori apertam, ut cum magna difficultate deferri posse videretur. Ad haec Coronam regiam in capite deferens, medius inter illos Diaconos Cardinales, et praecedentibus ante eum duobus illis Episcopis Cardinalibus cum pluvialibus, et mitris, rediens ad pontem majorem in medium Ecclesiae porrectum cum suis Nobilibus, et illis quatuor Proceribus insignia sua deferentibus, venit ad medium Ecclesiae, ubi erat rota Porphyrea designata, ad instar rotae porphyreae in Ecclesia S. Petri de Vrbe, ubi caeremoniae infrascriptae expleri debebant. Sed antequam illuc accederet, in exitu Capellae S. Gregorii *orta est contentio inter Ianuenses, et Senenses Oratores super praecedentia.*

Hactenus Blasius. Sed juvat heic etiam, quid Paullus Jovius, qui eidem coronationi interfuit, paucis de ea scriptum reliquit, cum lectoribus communicare. *Erant omnia*, inquit [1], *ad imaginem Vaticani Templi constituta, et novae Sacellis appellationes impositae, ut ea singillatim ad veterem consuetudinem ex Pontificiis libris responderent. Affuere igitur Romani Sacerdotes, quibus sacra Vaticani Templi sunt commendata. Ii ad aram Caesarem susceperunt, linteaque sacerdotali tunica super injecta, in Collegium ejus Sacerdotii cooptarunt. Eum Salviatus Cardinalis in verba ex li-*

1 lib. xxvii. Hist.

bris Pontificiis concepta sacramento adegit; ita ut in summa, libens juraret, se Pontificiae dignitatis perpetuo futurum esse defensorem. Ab hac Ara, duarum Turrium *nuncupata, duo Diaconi Cardinales, Salviatus scilicet ipse, et Ridulphus, ambo ex Patruelibus Pontificiis Nepotes, ad Templi limen deducunt. Flexo genu supplicantem Piccolomineus Presbyter Card. certis precationibus expiatum in* Sacellum S. Gregorii *perducit. Ibi lintea tunica deponitur. Sandalia margaritis, et gemmis picta statim induuntur, et Dalmatica veste in morem Diaconi prius assumta, paludamento demum convestitur. In eo habitu procedenti Puccius Cardinalis ad porphyreticam rotam, quae est ad Vaticani Templi medium, mitratus occurrit. Ingeniculatus Caesar ad Aram maximam obvertitur, sollemnique altera precatione, ut ejus Imperium stabile, perpetuum, victoriarum, pietatis plenum faxit, Deo Max., in cujus manu sunt Regna, commendatur.*

Haec eadem prodit *descriptio vera, et elegans adventus, et introitus in Vrbem Bononiam invictissimi quondam Romanorum Imperatoris Karoli* V, *ut et ejusdem inaugurationis, et coronationis ibidem per Pont. Max. Clementem* VII. *facta anno* MDXXX. *die* XIV. *Febr.* ubi tamen *Cella S. Gregorii, Sacrarii* titulo designatur hujusmodi verbis [1]. *Hoc facto Caesar in* Sacrarium *abducebatur, in quo tantisper pronus incumbebat, donec litania finiretur, in qua pro ipso supplicationes ad Deum fiebant.*

Verum Cornelius Agrippa in *Historiola de duplici coronatione Karoli* V. *apud Bononiam* [2], hunc eumdem locum diserte *S. Gregorii Cellam* nuncupavit. Ait enim. *Iamque Caesar ingressus Templum,* ad Sacellum D. Grego-

1 apud Schardium T. II. et Part. IV. Polit. Imperialis Goldasti p. 329.

2 in T. II. ejus Opp. et apud Schardium, et Goldastum p. 336.

rii *traducitur, ubi positis superpellicio, atque amicia per Ven. Cavriensem Antistitem sacris vestibus, humerali, et alba, et Dalmatica, et tibialibus, et sandaliis indutus est, ac Imperiali trabea circumdatus, quae babylonicis, ac phrygiis artibus contexta, et insertis pretiosissimis gemmis multiformiter variegata, sic ut cum descriptione sit difficilis, tum pondere fere importabilis, magnificentia ejus supra omne pretium inaestimabilis existat. Hoc sacro, atque pretiosissimo habitu adornatus Caesar, duobus Praesulibus a quovis latere, videlicet Barrensi, et Palatinensi, Brixiensi, et Cavriensi, ac illustri Comite de Nassau a tergo, gemmatae trabeae grave pondus sustinentibus, medius duorum Cardinalium, ad medium usque Templi, cui loco* Rotae Porphyreae *nomen indiderant, traductus est.*

Quae certe ad magnificae Petronianae Aedis [1] celebritatem amplificandam, non parum conferre putavit Blancus Negri, qui totius caeremoniae prolixam descriptionem vernaculo sermone exaravit [2], utut Cl. Jacobum

1 Vita Clementis VII. ex edit. Bosqueti. in Balutii Vitis Papar. Avenion. Tom. I. p. 485. et 539. et in Muratorii Rer. Ital. T. III. P. II. pag. 730, et 759. Georgius Sabinus Brandeburgensis. Electio, et Coronat. Karoli V. Imp. Libellus Imperii dignitatem, majestatemque complectens... Accedit Nic. Mamerani Lucamburgensis gestorum ejusdem Imp. perscripta relatio. Coloniae 1550. 8. Philip. Melanchtho. de electione, et coronatione Karoli V. Historia primum sub nomine Georgii Sabini edita. apud Schardium T. II. Inauguratio, Coronatio, et Electio aliquot Imperatorum. Hanov. 1613. 8. Christianus Eberhart de electione, et coronatione Karoli V. Imp. Helmst. 1660. Guicciardinus, Raynaldus, Muratorius, Celsus Falconius nelle Memorie Istoriche della Chiesa di Bologna 1649. Cherubinus Ghirardaccius. Istoria di Bologna 1596., et ejusdem Karoli vitae scriptores.

2 Basilica Petroniana, overo Vita di S. Petronio Vesc. e Prot. di Bologna con la descrizione della sua Chiesa, e funtioni cospicue fatte in essa, cavata dall' Historia di Gio. Franc. Negri. Ven. 1680. 4. p. 70. Avanti che per l'istesso ponte entrasse in Chiesa, a mano destra di esso lunghissimo ponte, era stato eretto un Altare chiamato, la Capella di *S. Maria inter Turres*, dove che fu dal predetto Illmo Salviati aperto un Libro degli Evangelj, sul quale Cesare giurò, secondo il consueto, d'operare, quanto aveva promesso, et era obligato, cioè prima a Dio, poi

Bueum [1], ubi de eodem *Templo*, *cultuque S. Petronii*, eruditissime agit, haec, veluti temporaria, ac fortuita, non duxisse sibi commemoranda animadverterim.

Sed tandem de *Cellis Gregorianis*, ab illisque diverso

quanto era tenuto alla Protettione della S. R. C. all' augmento della Christiana Fede, et al B. Pietro, e suoi successori, dicendo, *Ego Carolus* .... Dopo quest' atto, due Canonici di S. Pietro di Roma li posero il Rochetto, e Pelliceo, et lo fecero Canonico, et egli con animo fraternale li ricevette al bacio della Pace. Si tornò poi in capo la detta Corona, e i Preti, che lo precedevano, se ne andavano cantando il *Petre amas me* etc. Giunto Cesare alla Porta di mezzo del Tempio .... s'inginocchiò su la porta, e fece Orazione, dove eransi portati due Cardinali de' primi del Collegio in abito Pontificale, come di sopra, cioè Antonio dal Monte, Vescovo di Porto, e Lorenzo Puzzi, Vescovo di Preneste, del Titolo di Santi Quattro. Il più giovane detto SS. Quattro depose la mitra, e disse: *Deus, in cujus manu* etc. e tutti quattro i Cardinali lo condussero ad una delle Capelle, più bassa del Ponte, la quale fu la prima all'entrare dentro a man sinistra, fatta di legname, che rappresentava la *Capella di S. Gregorio*, et ivi depose il rocchetto col Pelliceo, che portavano i Canonici in spalla, e si vestì li sandali, cioè le scarpe di cremesino ricamate d'oro, di perle, e di gioje pretiosissime, et il manto d'oro Imperiale, che tutte erano di prezzo senza stima.

Ritornato poi su l'istesso Ponte, s'incontrò in due altri Cardinali, cioè Pietro Accolti, Vescovo di Sabina, e Francesco Orsini Diacono di S. M. in Cosmedin, e il più antico detto di Ancona, disse l'ultima Orazione, *Deus inenarrabilis* etc. e nel più largo del ponte, ov'era il Faldistorio, in luogo intitolato *Rota Porfiria*, fece la Confessione del B. Pietro; e questi due Cardinali si partirono, e ritornarono in Capella a' loro luoghi, e ne comparvero due altri, cioè lo Illmo Cibo, Priore de' Diaconi, e Campeggi Priore de' Sacerdoti, et essendosi ambedue genuflessi, s'intonarono le Letanie, et il Coro rispondea ad alta voce. Finito questo l'Illmo Campeggi si levò in piedi d'avanti a Cesare, e disse *Pater noster* .... con altri versetti, et orazioni solite, et questi due pure tornarono alle lor Sedie, e luoghi. Venne dipoi il Prior de' Cardinali Vescovi, cioè l'Illmo Alessandro Farnesi, Vescovo d'Ostia, Prior de' Vescovi, e Decano de' Cardinali, che aveva a parte destra il Card. Salviati, et a sinistra il Card. Ridolfi, e condussero Cesare ad un'altra Capella, che era di S. Mauritio alla medema sinistra mano del detto Ponte, et ivi i suoi lo spogliarono sino al giuppone, et operta la manica di esso per via di certi bottoni a tal fine in quel luogo fatti, e levata ancora la manica della camiscia, esso Cardinal Farnese così in Pontificale, come stava, lo unse d'oglio di Cresima sul braccio destro, poi con la bambace, e tela candidissima glielo legò, e ricoperse il braccio, poi il simile lo unse in foggia di Croce su le spalle, persino al detto giuppone fatto a posta, e senza mitra disse *Deus omnipotens* etc. E incontinente rivestito, e risalito sul detto ponte, fu da que' Cardinali condotto al Pontefice, con le lor mitre in mano.

1 T. II. Octobris p. 449. et seq.

Vaticanae Basilicae Secretario , dicendi finis esto : quamquam , et quae de *novelli Secretarii* , *ante* quod Gregorius IV. Oratorium construxit , situ , ortuque disputaturi sumus , nostram de antiquo illo *Secretario* sententiam , adversus Vgonium , Ciampinium , ceterosque supra indicatos , planissime confirmabunt .

CAPVT XXI.

De Situ novelli Secretarii .

Quae de *Secretario antiquissimo* , ac de *Cellis Gregorianis* , fusiori calamo , hactenus persequuti sumus , mox iis veluti lucem affundent , quae de altero *Secretario* veteris Bas. Vat. , quod *Novelli* titulo Joh. Diaconus designavit , allaturi sumus . Quamquam vero de prima hujus constitutione nil habeo certi , quod statuam , (altum est enim de eo silentium apud Scriptores) , manifestum tamen crediderim , hoc vel ante *Gregorium* IV , quod longissimum esset , vel saltem ab eo constructum fuisse . Nam si ex *antiquissimi Vestibulo* sacrum *Gregorii* Corpus , *ante* illud translatum , idemque *antiquissimum Secretarium* iccirco in *Oratorium Gregorianum* commutatum est , necesse etiam fuit , ut alterum *Secretarium* alibi exaedificaretur , ubi Pontifex sacris indumentis rite ornari posset , quando ad S. Petri operaturus , statis temporibus , accedebat .

Quisquis autem *novellum* hoc *Secretarium* exstruxerit , eodem in loco , ubi *antiquissimum* steterat , neutiquam illud aedificasse certum esto , post ea , quibus ibidem *Oratorium Gregorianum* , a *Secretario* diversum , surrexisse demonstravimus . Quapropter *antiquissimo* potius contermi-

num fuisse, multis de caussis existimaverim. Enimvero jam supra a Joh. Diacono plane audivimus, *Gregorii Corpus translatum* ante *novellum Secretarium*, *constructis apsidibus*. Quas quidem apsides in hac Cella a *Gregorio* constructas, *ante* ipsum *novellum Secretarium*, ejus parieti orientali applicatas fuisse apparet ex ichnographia, ubi *Cellam Gregorianam* literis dd, eique proximum *Secretarium novellum* litera s. designatur. Etsi enim in eodem loco Alpharanus, Paullus de Angelis, Bonannius, Ciampinius, aliique Cellam, et Altare Anonymum describunt, absque ulla *Secretarii* mentione, quos inter Severanus quoque adnumerandus est [1], hic tamen in opere *de* VII. *Ecclesiis* [2], ibidem *Secretarium* fuisse pronunciat. Ait enim, post allatam a nobis *Cellae Gregorianae* descriptionem. *Adhaerebat huic Sacello aliud, quod vocabatur* Secretarium (utique *novellum*), *et erat conjunctum muro ultimae navis Basilicae, in quam inde intrabant Pontifices induti Pontificaliter ad operandum sacris*. Heic autem minime quadrat, quod Janningus animadvertit [3], nimirum id multo commodius usuvenire debuisse ex hoc *novello*, quam olim ex *antiquissimo Secretario*, quod ex eo Basilicam ingredi Pontifices nequibant, nisi antea per partem Porticus transiissent. Nonne enim Alpharanus nos docuit [4], *in parietibus a dextro Basilicae latere ad meridiem Portas quinque, et totidem a sinistro exstitisse, nec altitudinis, nec latitudinis aequalis, per quas postea ad quasdam Ecclesias, sive Oratoria circa Basilicam adaptati fuerunt aditus?* Itaque vel *Secretarium antiquissimum*, ostium habere potuit, quod recta in Basilicam transmitteret, ac porro habuisse de-

1 in ichnogr.
2 c. IX. p. 66.
3 T. VI. Iunii p. 153.
4 V. p. 750.

monstrat insignis *Ordo* Coronationis *Henrici* II [1], quem illuc e Basilica, quò prius ingressus fuerat, ad *Clementem* deductum fuisse narrat, qui itidem paullo ante e Basilica, eô se contulerat.

Sed tamen adde ex Janningo, qui totam rem enucleate disquisivit [2], Cellam s de industria ad usum *Secretarii* a fundamentis erectam videri. Habet enim amplum spatium in umbilico, ubi sacrae vestes, et cimelia explicari commode, et ministri sua munia obire libere possint. In Tribuna unicum habet Altare, ante quod Pontifex sacris ritibus operaturus, sese induere posset. Haec autem conclavia, pergit Janningus [3], quum careant aris, ac monumentis sepulcralibus, vix cogitabis, quem alium habere usum potuissent.

CAPVT XXII.

De ritu Oblationes, in Canonizatione Sanctorum ad Altare deferendas, ibidem servandi, usque ad Offertorium.

Hunc certe locum indigitat Petrus Amelius, ubi recenset oblationes, *Bonifacio* IX. porrectas, quum *Birgittam*, pientissimam Feminam, in Sanctarum album adscripsit, anno MCCCXCI, de qua praeter Laur. Surium [4], Raynaldum [5], Baronium [6], Bollandum [7], consule Henr. Benzelium ad Vitem Aquilonarem Joh. Vassovii [8], et Chronicon Slavicum, in Lindebrogii Scriptoribus Septentrionalibus [9]. Itaque ne pigeat cum eo sacrae caeremoniae quodammodo interesse, quam ita describit [10]. *Domini Com-*

1 p. 261. 2 T. VI. Iunii p. 153.
3 ibid.
4 die XXIII. Iulii.
5 ann. MCCCXCI. §. XXIX.
6 In Martyrologio die VIII. Octobr.
7 T. I. Februarii p. 99. 172.
8 p. 68. 70. 9 p. 210.
10 T. II. Mus. Ital. p. 537.

missarii tres Cardinales de Canonizatione istius Sanctae exierunt de Sacristia S. Petri *cum oblationibus suis. Primo Dominus de Francia cum duobus magnis torticiis accensis, coopertis de auro, obtulit osculando pedem, et manum: secundo Dominus Anglicanus cum duobus panibus coopertis, cum tobaleis, et armis, et Scudetis S. Brigidae, et trium Cardinalium Commissariorum; et osculatus est pedem, et manum Papae: tertio Dominus Barensis cum duobus magnis bacilibus de vino, et malvatico, quae vocantur Romae, scyphi deaurati, et cum armis, et Scudetis Dominae, et Cardinalium praedictorum; et osculatus est pedem, et manum Papae. Vltimo venerunt quinque Procuratores istius Sanctae cum Advocato, et quilibet obtulit unam magnam candelam de una libra cerae albae, modicum laboratam, cum rosis, et floribus, viridis, alba, et rubea. Item unum parvum canistrellum, totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duae Columbae albae, et duo turtures.* Quae quidem tunc primum, ejusdem Petri Amelii Sacristae Pontificii arbitrio, adjecta fuerunt antiquissimis oblationibus cereorum, panis, et vini, quarum mysterium, praeter alios auctores a Benedicto XIV. commemoratos, peculiariter explicarunt Pomp. Sarnellius [1], Agnellus Honoratus [2], Joh. Bapt. Marus [3], et Justinianus Chiapponus [4]. Hujusmodi ritus testimonium hodieque exhibet marmoreum Anaglyphum, quod inspicimus in Mausoleo Alexandri VIII. in Basilica

1 Della solenne cerimonia, con cui il Sommo Pontefice canoniza i Santi. in T. vI. Lit. Eccl. p. 79.

2 Dissertaz. sul rito della Canonizatione de' Santi. fra le sue dissertazioni in Lucca 1737. 4. p. 1.

3 Diatriba de mystica rerum significatione, quae in Sanctorum Canonizatione ad Missarum sollemnia Summo Pontifici offerri solent. Romae 1658. 8.

4 Dissertatio super mysteriis Oblationum in Missa Canonizationis. Exst. in Actis Canonizationis habitae a Clem. XI. Romae 1720. fol. p. 255.

5 Q

Vaticana. Sed tamen, ut memoriae tradidit Fontaninius [1], haec avium oblatio, quam vetustiori Ecclesiae disciplinae minime consonam putaverat Card. Thomasius, a Benedicto XIII. sublata fuit.

CAPVT XXIII.

De altero veteris Basilicae Secretario, Majori nuncupato.

Dum adhuc in usu esset *Secretarium novellum*, quod hactenus descripsimus, alterum quoque, temporis decursu, adjectum fuisse suspicor, quod Alpharanus, aliique Ichnographi designant lit. n. Idque ea fortasse de caussa factum fuit, quod *novellum* haud satis amplum, neque usibus Ministrorum Basilicae inservientium satis accomodatum videretur. Verum, quum res sit admodum obscura, dicam, non quid contendam, sed quid opiner.

Hujusmodi opinioni locum dedit frequens, quae apud nonnullos Scriptores, ac praecipue in Diario Antonii Petri, quod Lud. Ant. Muratorius [2] in publicam lucem emisit, *Sacristiae Majoris*, et *Minoris* occurrit mentio. Nonne haec aperte indicare videntur, dum ille scriberet, *duo* in Bas. Vat. *Secretaria* exstitisse, quorum unum fortasse a majori ipsius amplitudine, seu collocatione versus superiores Basilicae partes, *majoris* titulo, alterum *minoris* distingueretur?

Et sane Alpharanus, cui ceteri subscribunt, in loco n. fuisse indicat *Sacrarium pro sacra supellectile*, ac superius lit. m. *amplissimam* fuisse *Bibliothecam* subjungit. Item Ciampinius [3], et Bonannius addunt [4], *supra idem*

1 in Cod. Canonizationum. Romae 1729. fol. pag. 160.

2 T. xxiv. rer. Ital.

3 p. 37.

4 p. 29.

fuisse magnas Aulas, et Cubicula pro Basilicae Ministris; ejusdemque Sacerdotibus. Quod, ut obiter heic moneam, nobis indicio est, *Vat. Bas. Secretarium*, antiquiorum instar, ac praesertim ad Aedis Sophianae similitudinem, fuisse constructum, ubi videre est apud Ducangium [1], Diaconos, qui ejus curae, ac custodiae praefecti erant, conjuncta domicilia habuisse. Itaque putandum est, in hac *majoris*, aut superioris *Sacrarii* parte, praeter Bas. Bibliothecam, et Cubicula *Sacrarii* Custodum commodo destinata, sejunctum Conclave exstitisse, quò sese Canonici identidem reciperent, ut de re communi deliberarent.

Id profecto, aut ego fallor, suadere videntur ejusdem Antonii Petri verba, qui haec memoriae tradidit [2]. *Mensis Februarii die* 8. 1412, *hora Vesperarum fuit receptus Rm̃us in Christo Pater, et Dñus Dñus Tituli Sanctae Praxedis Presbyter Cardinalis Archipresbyter, in loco olim bo. me. Cardinalis Tudertini, in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, in* Capitulo Majori, *ut moris est*.

Item eadem die, et hora fuit receptus per omnes Canonicos tunc tempore, et eadem hora ad osculum pacis: quod ego Antonius Petri numquam vidi talem actum, tempore antiquiori.

Item etiam post receptionem de Capitulo Sacristiae majoris *fuit cantatum* Te Deum laudamus, *cum Processione per ordinem, usque ad Altare majus S. Petri, cum Oratione*, Deus, qui B. Petro Apostolo tuo etc. *Multum esset scribendum, quod dimitto in calamo*.

Haec, ni fallor, lucem afferre videntur iis, quae alio loco protulit in hunc modum [3]. *Die Sabbati* 8. 1408. *mensis Septembris, quae fuit festum Nativitatis S. Mariae*

1 apud Paull. Silentiar. V. p. 245. 324. 2 p. 1029. 3 996.

Virginis, supradictus D. Iacobus de Calvis in Vesperis fecit fieri Capitulum *in* Sacristia minori, *ut moris est*. Atque alibi [1], posterioris anni vices recensens, haec tradidit. *Mensis Septembris die Sabbati* 21. *quae fuit S. Matthaei Apostoli, et Evangelistae de mane, hora post Missam Majorem S. Petri, D. Iac. de Calvis, tamquam Vicarius D. Antonii Card. Tudertini fecit fieri* Capitulum in Sacristia minori, *ut moris est, et in dicto Capitulo fecit Camerarium Vinearum Dominum Petrum Pacciarelli*. At, quum ex inemendato exemplari sese Diarium evulgasse fateatur Muratorius [2], vereor, ne utrobique mendum cubet. Nam potius *in Sacristia Majori*, ubi in more positum fuisse dixit, *Capitulum* congregari, legendum esse puto, nisi censeas, *Capitulum* quandoque vel in *Sacristia Minori* habitum fuisse. Quis enim Antonium de rebus Bas. Vaticanae sui temporis parum instructum censeat, quum ipse ejusdem Basilicae fuerit Beneficiarius?

Quod vero Cubicula *Sacrarii* Custodibus assignata, *Sacristiae majoris* titulo interdum indicarentur, haec alia ejusdem Antonii Petri verba declarant, quae sunt hujusmodi. [3] *Die Iovis* 3. *d. mensis Octobris* 1409. *de sero comedimus in* Sacristia Majori *cum D. Iacobo de Calvis nostro Vicario, et divisimus panem propter magnam carestiam, quae erat in Portica S. Petri, propter gentes armorum Dñi Regis Luvisii, et Romani nolebant facere grassam supradicti Dñi Regis, nec sue gentis cum aliis*.

Praeterea alio loco haec habet. [4] *Die Iovis ultimo d. mensis Maij* 1412, *quae fuit festum Commemorationis Sancti Pauli Apostoli, de mane fuerunt cremati in* Sacristia Majori *Basilicae S. Petri omnes cartaboli absentiae dictae Basi-*

1 ibid. p. 1002. 2 ibid. p. 971. 3 1004. 4 p. 1031.

licae S. Petri per manus infrascriptorum Canonicorum dictae Basilicae. In primis Domini Iacobi de Aquila, Domini Petri Sacco, Domini Angeli Tutii, Domini Francisci Camoratae, Domini Iacobi de Taballinis, Domini Matthei de Grattulis, Domini Antonii Laurentii Protonotarii, Domini Baptistae de Vrsinis, ac etiam de consentimento, et voluntate Domini Cardinalis de Hispania, tunc tempore Archipresbyteri d. Basilicae.

Die Sabbati 15. *d. mensis Iulii* 1413.[1] *omnes Dñi Canonici, Beneficiati, et Clerici Basilicae S. Petri congregaverunt se in domibus olim Dñi Episcopi Firmani, ad faciendum calculum de mensibus Maij, et Iunii, quia in Basilica non potuerunt, propter maximam guerram.*

Quandoque etiam, tutioris custodiae caussa, ibidem *SS. Sudarium* servatum fuisse constat. Tradit enim idem Antonius Petri.[2] *Item eodem die* 3. *Octobr.* 1409. *extraximus* Veronicam *de loco* Sacristiae Majoris *S. Petri, ubi erat reposita, et posuimus eam in domo Iohannis de Oleo.*

Eadem ante annos undesexaginta, in tabula, ex perlucida crystallo, argentoque affabre elaborata, inclusa fuerat, ut constat ex hoc Martyrologii Vaticani loco[3]. vII. *Idus Maij. Isto die, anno Dñi* M. CCC. *quinquagesimo Iubileo, providi Viri, Nicolaus Valentini, de Contrata Sancte Marie Formose de Venetiis, Ser Bandinus de Guarzonibus de Venetiis, et Franciscbinus in glostro de Venetiis, nomine ipsorum presentum, et nomine d. Franciscbini absentis, ex speciali devotione, quam habent ad Deum, et Apostolorum Principem, et specialiter ad Sacrosanctum* Sudarium, *quod in Basilica nostra, ex divina institutione, ac dispositione est mirabiliter collocatum, ostendendum ad multam consolationem, peccato-*

1 p. 1057. 2 ibid. p. 1004. 3 p. 65.

rum remissionem cuncto Populo Christiano, donaverunt, et assignaverunt nobis, et Capitulo nostro pulcherrimam, et mirabilem tabulam de cristallo, pulcris laminis argenti deaurati in quodam ligno quadrato manentem, ponendam, collocandam ante ipsum sacratissimum Dñi vultum, pro speciali custodia, et munditia ipsius reliquie venerande, quia propter per nos, et successores nostros prefatos donatores ad omnia suffragia, orationes, et ministeria cultus divini, que in ipsa nostra Basilica gerunt, et propter gloriam imposterum, tamquam illos, qui de proprio corpore Capli dicti existentis, ut sicut nosmet ipsos partes tres facimus.

C A P V T XXIIII.

De Carceribus ibidem exstantibus.

Quod tamen magis me movet, ut Cubicula *Sacrario* continentia, seu mavis etiam imposita, generatim *Sacristiae Majoris* nomine designata fuisse censeam, est *Carcerum* ibidem exstantium indicatio, quae apud eumdem Antonium Petri haud semel occurrit. Eô enim, quod in *Decanicis* apud Graecos fieri consuevisse demonstravimus [1], Majores nostri, nefarios, ac sontes, si qui forte essent, Bas. Vat. Clericos ad poenas luendas conjiciebant. Sic autem hujusmodi usum Petri Diarium testatur. [2] *Die Mercurii 22. 1409. dicti mensis Maji de mane Dominus Iacobus de Calvis Vicarius Basilicae S. Petri fecit capere Iohannem Cattolanum Beneficiatum dicte Basilicae, et ponere eum in* Carceribus, *et in* cippis, *in* Sacristia Majori *dictae Basilicae cum ambobus pedibus; et hoc fecit supradictus D. Vicarius, quia dictum fuit, quod debebat interficere dictus Io-*

1 p. 578. 2 Murat. Rer. Ital. T. xiv. p. 1000.

hannes Cattolanus supradictum Dñum Vicarium; et hoc probavit sibi Lucas Pippi, dum stabat in compedibus positus supradictus Iohannes Cattolanus ad faciem facie; et supradictus Iohannes Cattolanus respondit sibi, sic dicendo: Te ne menti, come falso traditore; questo non potria mai esser vero; et non se potria mai trovare questo, che dici. *Die Veneris* 24. *d. mensis de mane, hora Missae majoris S. Petri, recessit suprad. Lucas Pippi de Roma cum Patre, Matre, et Fratre, ac etiam cum Sorore Moniali in S. Catarina, Sancto Cosmate de Regione Transtiberim per Flumen, et iverunt versus Neapolim; et sic remansit suprad. Iohannes Cattolanus in* Carceribus, et in compedibus, *ut supradictum est. Die Dñico* 26. *d. mensis de mane, hora Missae majoris S. Petri, fuit extractus supradictus Iohannes Cattolanus de* Carceribus, *et* compedibus, *et dimissus ad petitionem, et instantiam Dñorum Beneficiatorum, quia verba, quae dixit Lucas Pippi, non fuerunt vera, et mentitus est.*

Haec eadem aliis exemplis confirmantur. Alibi enim scriptum reliquit.[1] *Die Iovis* 15. *d. mensis Ianuarii* 1411. *Petrus Simeotius reddebat calculum, ut moris est, in* Sacristia S. Petri, *videlicet de mensibus Novembris, et Decembris, quia tunc tempore erat dictus Petrus Camerarius Camerae. Statim post calculum Dñus Vicarius, vid. Dñus Matthias de Grattulis, tunc tempore, Vicarius, retinuit dictum Petrum Simeotii, et* incarceravit *eum in dicta* Sacristia.

Item die Veneris 16. *d. mensis D. Vicarius* incarceravit *dictum Petrum in* Sacristia Majori, *et hoc fecit d. Dñus Vicarius dicto Petro, quia violavit in Cappella Bonifacii PP.* VIII. *sepulcrum Nepotis d. Dñi Bonifacii, et franxit lapidem dictae sepulturae.*

1 p. 1023.

Item post aliquos dies dictus D. Vicarius fecit capere *Iohannem Mandutii, et Iohannem Magistri Pauli propter causam supradictam, quia fuerunt una cum d. Petro ad frangendum dictum sepulcrum, et hoc fuit factum de mense Octobris anni Dñi* 1410. *de nocte tamen hoc fecerunt.*

Die Veneris 30. *d. mensis Ianuarii de mane fuerunt* martirizati *Petrus Simeotii, et Iohannes Mandutii in* Capitulo ante Sacristiam Majorem S. Petri, *propter causam sepulturae, quam franxerunt, Nepotis Dñi Bonifacii P.* VIII.

Item die Sabbati de mane fuerunt dimissi de Carceribus *omnes cum fide jussionibus*. Sed, ne quisquam de Martyrio Petri, et Johannis haereat, addendum esse puto, pluries [1] ab eodem Antonio idem vocabulum pari sensu fuisse usurpatum, ac *Martyrii Domum* antiquitus dici consuevisse vel ipsum locum, ubi pueri male morati virgis caedebantur [2].

CAPVT XXV.

Donaria veteris Basilicae Secretariis collata.

Quamplures fuerunt, qui *veteris* Bas. Vat. *Secretaria* donariis augere, ac omne genus supellectile instruere curarunt. Itaque ne hujusmodi beneficiorum memoria penitus obsolescat, ex Necrologio ejusdem Basilicae decerpsimus, atque in unum collegimus, quaecumque, statis anni diebus, post Martyrologii lectionem, ex eodem recitabantur, ut cuncti Ordines Cleri Vaticani, Viris de se optime meritis aeternam quietem, rite fusis precibus, implorarent.

1 ibid. pag. 983. 993. 956. 1240.
2 apud Mabillonium, in Tom. VII. Act. SS. Ord. Bened. p. 678.

iiI. *Non. Ianuar.* [1] *Obiit venerabilis vir Dñus Antonius Baguctini Frater, et Concanonicus noster, qui ob magnam devotionem, quam habuit ad istam Sacrosanctam Basilicam, reliquit eidem Basilice duas domus simul junctas, positas in Platea Turris pctonnate, nec non ducatos centum auri expendendos per suos executores in una possessione, ac* Breviarium notatum ad usum Chori, *et distributiones, et grossa per eum lucrata in d. Basilica, quare ordinatum fuit per nostrum Capitulum, ut pro ejus anima tria fiant Anniversaria, isto die videlicet obitus unum, aliud vero in festo S. Iacobi Apostoli, et reliquum in festo S. Antonii Abbatis, in quorum quolibet expendantur floreni duo. Item et duo alii florenii per Cameram assignentur* pro reparatione omni anno rerum jocalium de nostre Sacristie, *prout in suo testamento latius est expressum.*

Idib. Ianuar. [2] *Obiit Paulus Presbiter de Pelato, qui reliquid nostre Basilice* unum Calicem de argento deauratum *ad perpetuum cultum divinum in dicta Basilica. Oretis pro ejus anima in omnibus Sacrificiis perpetuo.*

xvI. *Kal. Febr.* [3] *Fiat Anniversarium pro anima Dompni Cechi de Tibure, olim Clerici nostri, qui reliquit nostre Basilice pro anima sua, et suorum* unum parvum Reliquiarum de auro puro, plenum Sanctorum reliquiis, pulcherrimum, ponderis quinque unciarum auri.

v. *Kal. Febr.* [4] *Obiit Dominus Iohannes de Columpna Card. relinquens Basilice* unam planetam, et xxx. Libr. *prov. pro Anniversario suo* x. *Soll.*

xiI. *Kal. Martii* [5] *Isto die Dña Druda Teutonica Pistrix donavit nostre Basilice* unum calicem de argento deaura-

1 pag. 2.
2 pag. 77.
3 pag. 9.
4 pag. 14.
5 p. 25.

tum cum patena ponderis duarum librarum *pro anima sua, orate pro ea, et fiat specialis oratio*.

Idib. Martii[1] *Isto die in anno Iubileo, magnifica Dña Maria Galzabilone, Vxor magnifici Comitis Friburgi, et novi Castri Lauxanen. Dioc. dedit nostre Basilice* unum Calicem de argento deaurato, ponderis duarum librarum. *Fiat specialis oratio pro ea, et suorum corporalia*.

xvII. *Kal. Apr.*[2] *Isto die Dñus Iohannes de Magliano Sabinen. Dioc. Clericus Sancte Basilice, solvit floren.* xxIII. *quos condam Iohannes Falconi de dicto Magliano reliquit prefate Basilice, pro* una Cruce facienda. *Fiat specialis oratio pro anima d. Iohannis Falconi*.

xII. *Kalen. April.*[3] *Ipso die obiit Dñus Iohannes Nutii Concanonicus noster, cujus distributiones ascenden. ad summam et quantitatem* ccc. *floren. .... remanserunt Camere nostre Basilice ..... de ipsius pecunia de assensu suorum ad manus pervenerint nostras arca dictorum florenorum, qui dati fuerunt* in Subsidium Candelabrorum magnorum ejusdem Basilice noviter refactorum. *Fiat anniversarium pro ejus anima, in quo expendantur de pecunia Camere floren. unus*.

Dña Magdalena de Vienna isto die donavit nostre Basilice ob devotionem, pulcram planetam de viridi cum toto apparatu; *ita quod oretur perpetuo pro ea*[4].

xI. Kal. Apr.[5] *Ista die Dña Iohanna, Vxor condam Iacobi, dicti alias lo* Piloso, *de Regione Pontis, donavit nostre Basilice pro anima dicti condam Iacobi* tres tassas de argento ponderis xvIII. Vnciar. pro tabernaculo Corporis Xpi fiendo in d. Basilica. *Item ista Dña Iohanna donavit dicte Basilice pro anima Guadagnoli, condam Patris sui, et pro animabus Matris, et fratrum suorum*, pro dicto Tabernaculo

1 p. 37. 2 p. 38. 3 p. 40. 4 ibid. 5 p. 41.

unam corigiam de argento, *que vulgariter dicitur corregia ad filo ponderis* xv. *Vnciar. Fiat specialis oratio pro ea, et pro animabus predictis.*

IX. Kal. Apr. [1]. *Item Magister Renato de Vincentia donavit nostre Basilice* unam pulcerrimam tobaleam de quinque pasis. *Orate pro eo, et suis.*

V. Kal. Apr. [2]. *Isto die* XXVIII. *Martii in anno Iubileo Sanctus Cosmati; de Podio Morteto Sabinen. Dioc. dedit* unum Calicem de argento deaurato, ponderis unciarum decem, et novem. *Fiat specialis oratio pro se, et suorum.*

IV. Kal. Apr. [3] *Obiit Magister Petrus Ponsecti de Bergongia, qui donavit nostre Basilice* duo vasa de piltro, *quorum unum est ad usum aque benedicte, et aliud ad usum Crismatis, Olei Sancti, et olei infirmorum.* Item unam Campanellam de metallo pro Corpore Xpi. *Fiat specialis oratio pro eo, et animabus parentum suorum. Obiit nobilis vir Magister Iohannes Filrancha de Hirs, donavit ad Altare Sancte Veronicae* unum calicem ad perpetuum usum, valoris undecim ducator. *Fiat specialis oratio pro eo, et consanguineis suis.*

II. *Nonas Apr.* [4] *Obiit Cecchus Cole gabose, habitator in Portica Sancti Petri, qui reliquit nostre Basilice* unum calicem de argento deaurato, cum una patena, ponderis VIII. unciar. *Fiat specialis oratio pro eo, et consanguineorum suorum. Ista die anno* M. CCCC. LXVI. IIII. *die hujus mensis venerab. vir dñus Michael filius Colmani Presbr. Iaurien. Dioc. donavit nostre Basilice* unum Breviarium in magno volumine *pro anima sua, et suorum. Fiat specialis oratio pro eo.*

XIII. *Kalen. Maij. Anno Dñi* M. CCCCC. XXXII. *Rmus*

1 p. 42. 2 p. 44. 3 ibid. 4 p. 47. 5 p. 55.

D. Thomas de Vio , Tituli Sancti Xysti , Presbiter Cardinalis Gayetanus , donavit nostre Basilice unum Calicem argenteum cum patena deauratum . *Orate pro eo etc.*

IV. *Idus Maij .*[1] *Isto die* XII. *mensis Maij in anno Iubileo Dñus Plebanus Presb. Lazarus de Trepza donavit nostre Basilice* unum tapetum pulcrum . *Fiat specialis oratio pro eo .*

II. *Kal. Iunij .*[2] *Ceccharellus Ceccholi , Magistri Iacobi de Lurgiano , ad Altare Conventi nostre Basilice* , unum Calicem valoris XIII. florenor. *Fiat specialis oratio pro eo , et pro animabus consanguineorum suorum . Isto die obiit bone memorie Rndus in Xpo Pater Dñus Dñus Iohannes de Vrsinis Archiepus Tranen. et Abbas Farfen. , qui ob singularem devotionem , et dilectionem reliquit nostre Basilice* unum pallium imbroccatum auro valoris trecentorum , et quinquaginta ducatorum auri . *Item* unum pluviale pulcrum auro textum valoris ducatorum centum , et triginta auri . *Fiat Anniversarium pro anima prefate bone memorie ; ita expendantur de pecuniis Camere dicte nostre Basilice floreni auri duo : Orate pro eo , et pro omnibus Confratribus , et Benefactoribus nostris , vivis , atque defunctis .*

X. *Kal. Iunij .*[3] *Dña Catherina de Cortona dedit pro* reparatione paramentorum nostre Basilice *ducatos duos , et ungaros duos pro anima sua , mariti viri sui , et Mathei filii ejus . Fiat specialis oratio pro eis . Obiit bone memorie Presbiter Antonius Iacobi , Clericus nostre Basilice , qui reliquit prefate Basilice* unum Calicem de argento senato deaurato , cum patena ponderis decem unciarum . *Fiat specialis oratio pro anima sua , et suorum .*

III. *Kal. Iunij .*[4] *Isto die honorabilis vir Guillelmus Petri , Beneficiatus noster , donavit nostre Basilice* unam navi-

1 p. 66. 2 p. 71. 3 p. 72. 4 p. 75.

cellam cum cocleari de argento, cum duobus smaltis, valoris decem floren. *pro anima sua, et consanguineorum suorum.*

xv. Kal. Julii [1]. *Isto die Andreas Dragonie de Sclavonia donavit nobis* unum Calicem de argento deaurato, valoris novem ducatorum. *Fiat specialis oratio pro ejus anima, et suorum.*

X. Kal. Julii [2]. *Obiit sancte memorie Dñus Iacobus Gaytani de Stephanescis, Sancti Georgii Diac. Cardinalis, Concanonicus noster, qui nostre Basilice multa bona contulit. Nam Tregunam ejus depingi fecit, in quo opere V. auri flor. expendit; tabulam depictam de manu Iotti super ejusdem Basilice Sacrosanctum Altare donavit, que* VIII. *auri flor. constitit; in Paradiso ejusdem Basilice de opere mosayco ystoriam, quo Christus Beatum Petrum Apostolum in fluctibus ambulantem dextera, ne mergeretur, erexit, per manus ejusdem singularissimi pictoris fieri fecit, pro quo opere duo milia, et ducentos flor. persolvit, et multa alia, que enumerare esset longissimum. Et ex ejusdem bonis Casale, quod dicitur Olivetum prope Balcam, et medietate quarti casalis piscis, ac domum Cicche in parrochia Sancti Laurentii de piscibus, ac cofinos paramentorum pro tribus missis cotidie in eadem Basilica, in Altari SS. Laurentii, et Georgii celebrandis.*

IV. Kal. Julii [3]. *Anno Dñi* MCCCCLXXIII. *die* XXVIII. *Iunii Rmus Pater, et Dñus Dñus Philibertus Vgunecti Cardinalis, tituli Sancte Lucie in Silice,* Matisconensis *vulgariter nuncupatus, donavit nostre Basilice* unum pulcherrimum pluviale de drapo aureo rubeo.

II. Kal. Julii [4]. *Dña Angila de Senis donavit nostre Basilice* unum Calicem cum patena de argento fino deaurato, valoris decem, et septem florenorum. *Fiat oratio pro anima sua, et mortuorum suorum.*

1 p. 84. 2 p. 87. 3 p. 90. 4 p. 91.

V. Non. Julii [1]. *Isto die anno Dñi* MCCCCLXXVIII. *Obiit bone memorie Dñus Angelus de Capranicha, Episcopus Prenestinus S. R. E. Card. S. Crucis nuncupatus, qui donavit nostre Basilice* unum pluviale de damaschino paunatio brochatum auro, et pulcherrimum. *Oremus singulis annis specialiter pro anima ejus.*

Non. Julii [2]. *In Ihesu Christi nomine Amen. Anno* MIII.^c LXX. *quarto, Pontificatus Dñi Gregorii Pape* XI. *mense Iulii die* VIII. *Obiit Rñdus in Xpo Pater, et Dñus Dñus Iacobus de Mutis Legum doctor, Episcopus Spoletanus, pro Dño nostro Papa tunc in Vrbe in spiritualibus Vicarius generalis, qui donavit nostre Basilice per manus Venerabilium Virorum dominorum Thomaxii de Carellinis, et Francisci de Tostis Concanonicorum nostrorum* octuaginta octo libros argenti laborati, consistentis in diversis manierebus vasorum, *de quibus octuaginta octo libras Basilica nostra habuit quadraginta libras; nam residuum recepit collector Dñi nri Pape etc.*

VI. *Idus Iulii.* [3] *Die* X. *Iulij* M. CCCC. L. *Dña Soror Antonia tertii Ordinis Sancti Francisci, donavit nostre Basilice* brachia viginti cum dimidio panni lini, pro faciendo unum, vel duo Camisie pro Sacristia nostra. *Fiat pro anima ipsius specialis oratio.*

V. *Idus Iulij.* [4] *Obiit bone memorie Dñus Annibaldus de Ceccano, Episcopus Tusculanus, S. R. E. Card. Apostolice Sedis Legatus, Magister in Theologia, jam dudum Concanonicus noster, de bonis cujus habuit Basilica* multos librorum, et paramentorum cofinos, *de quorum librorum pretio, et* III. VIII. *floren. nobis manualiter assignatis possexiones nostre Basilice non modicum sunt adjuncte, sicut supra in Anniversario Dñi Iacobi Gaytani, Cardinalis Avunculi sui, plenius exprimun-*

1 p. 92. 2 p. 94. 3 p. 96. 4 ibid.

tur. Dicantur cotidie pro animabus eorum in Cappella Sanctorum Laurentii, et Georgii etc.

II. *Idus Iulii* [1]. *In nomine Dñi Amen. Anno* MCCCCXLIIII. *Ind.* VII. *isto die obiit Ven. Vir Dñus Miletus Thennimi Bisuntinen. et ambianen. Ecclesiarum Canonicus, ac Camere Apostolice Notarius, qui reliquit nostre Basilice ducatos auri* XXX. *assignatos nostro Capitulo per Venerab. et egregios viros Dominum Iacobum Radulphi Clericum Collegii, et Dñum Iohannem Synodi litterarum Apostolicarum scriptorem, et executores praefati Dñi Mileti, conversos in* constructione nove Sacristie. *Fiat perpetuo specialis oratio pro anima sua.*

II. *Idus Iulii* [2]. *Obiit Dñus Paulus de Palumbara Beneficiatus, et Sacrista Basilice, qui reliquit* eidem Sacristie *ducatos viginti convertendos* in uno dossale Damaschini albi cum floribus aureis *ad ornamentum Altaris Conventus*, unam Tobaliam magnam *ad usum dicti Altaris. Item* unum Psalterium ex membr. Perseum ex membr. Plinii Libros IV. de medicina ex papyro. *Que omnia executa sunt per Dñum Iulianum de Matheolis Beneficiatum, et executorem d. Dñi Pauli. Fiat pro eo specialis oratio.*

Ibid. Iul. [3]. *Obiit Ven. Dña Nicola de Contraviellers Preposita de Faucogney Bisuntin. Dioc. que reliquit nostre Basilice* unum Calicem argenteum deauratum, ponderis Vnciar. x. *Fiat specialis Oratio pro anima sua.*

XVII. *Kal. Augusti* [4]. *Anno Dñi* MCCCCLXXXII. *die 16. Iulii Carola inclyta Regina Cypri obiit, sepulta in hac Basilica ante Capellam Sixti PP. Quarti, quae eidem Basilice reliquit* unam planetam cum dalmatica, tunicella pulcherrimam auri intertexti brocati, cum suis ornamentis. *Item* quatuor libr. argenti optimi. *Item* duas planetas de Serico,

1 p. 16. 2 pag. 98. 3 ibid. 4 p. 99.

et duo Altaris paramenta. *Fiat oratio specialis in die obitus sui.*

IX. *Kal. Aug.* [1]. *Anno Dñi* MCCCCLXXXXVI. *die* XXIII. *Iulii Ven. Vir Dñus Camillus Chrispoltus Civis Perusinus donavit* Calicem unum argenteum inaureatum cum patena *pro usu perpetuo in nostra Basilica.*

VII. *Kal. Aug. Anno Dñi* MCCCCLXXV. *die* XXVI. *mensis Iulii Venerabilis, ac Rñdus Pater Dñus Martinus de Roa, Concanonicus noster, Archidiaconus de Campos, in Ecclesia Palentina, ac olim Cubicularius Secretus Nicolai PP. V. donavit, dum viveret, nostre Basilice infrascripta bona, videlicet domum, quam inhabitat positam juxta dictam Basilicam. Item vineam magnam cum Vascha, et vascali positam in Septignano juxta Eclesiam S. Leonardi. Item tres domos positas in Burgo S. Petri juxta metam. Item* unum Missale magnum, et pulcrum. *Item* unum breviarium inceptum magnum completum sua impensa cum corrigiis sericis, et clausuris argenteis deauratis. *Item* unum pluviale album de serico cum floribus de auro textis. *Item* unum pulcrum frisium de auro textum pro una planeta. *Item* unum pulchrum corporale de serico albo cum flore de auro texto. *Item* centum ducatos auri pro paramentis fiendis in Sacristia S. Petri.

VI. *Kal. Aug.* [3] *Obiit Rñdus Pater Dñus Maffiolius Episcopus Placen., qui reliquit nostre Basilice* unum Calicem, duo candelabra, et duas ampullas de argento, ponderis quatuor librarum, vel circa, et pro uno Messale ducat. auri viginti unum. *Fiat Anniversarium pro anima sua omni anno dicto die in Cappella Sancti Thome, sita in dicta Basilica, vel in loco consueto Capituli, in eo expendatur florenus unus.*

1 p. 103. 2 p. 104. 3 ibid.

IV. *Non. Aug.* [1] *Isto die honesta Dña Antonia, uxor Magistri Io. de Cora, donavit nostre Basilice in vita sua ducatos tres pro anima sua, et suorum. Supradicta Dña Antonia, ut supra, donavit isto die nostre Basilice in vita sua* unam planetam diversorum colorum cum friso deaurato, *pro anima sua, et suorum. Item suprad. Dña Antonia donavit* unam tobaleam cum .... nigris .... ad usum *facte Altaris S.* M*arie de Cancellis.*

IV. *Idus Sept.* [2] *Isto die Dña Caterina de Venetiis donavit nostre Basilice* unum Calicem de argento deauratum, ponderis unciarum XII. cum dimidia, et unum paratum Altaris completum. *Fiat specialis oratio pro ea, et pro anima viri sui Bartoli, et suorum.*

XVIII. *Kal. Octobr.* [3] *Isto die obiit Dñus Nicolaus Pauli Iacchetti, noster Beneficiatus, qui reliquit nostre Basilice florenos currentes* XXV, *qui conversi fuerunt in* reparatione Tabernaculi Ligni SSme Crucis. *Fiat specialis oratio pro eo.*

IV. *Kal. Octobr.* [4] *Dñus Vinceslaus cum sociis suis Boemis, presentavit Basilice* ornatum unum, Calicem argenteum, unum Missale, *ad perpetuum usum Cappelle S. Venceslai, que omnia comparavit vid. ornatum pro flor. auri* XII. Calicem pro X. Missale pro XVIII. flor. auri. *Sub anno Domini* MCCCLXIII.

Kalen. Octobr. [5] *Ista die personaliter, et devote adveniente Magnifico Dño Iohanne Thomacello Comite Sore etc. Germano olim bone memorie Dñi Bonifacii, divina providentia PP. Noni, in* Sacristia minori *hujus Sacrosancte Basilice, loco solito capitulari Dñorum Canonicorum ejusdem Basilice, ubi tunc erant capitularit. pro emergentibus d. Basilice congregati, idem magnificus Dñus Iohannes zelo devotionis*

1 p. 107. 2 p. 127. 3 p. 129. 4 p. 136. 5 p. 138.

deductus realiter, et cum effectu, jam dictis Dñis Canonicis assignavit, et donavit ad usum divini cultus in infranominata Cappella decenter celebran. res infrascriptas, videlicet, in primis unum Calicem smaltatum in medio cum patena, in totum de argento auratum, cum corporali *tamen sine domo*. *Item* unam Crucem magnam cum lapidibus christallinum, et quatuor Evangelist. de argento smaltato, et cum pede de ere aurato, et cum tribus figuris auratis, et cum armis d. Dñi Johannis. *Item* unum Missale novum coopertum cum velluto, miniatum de auro, cum armis predictis. *Item* unam planetam de zeñato rubei coloris foderat. cum toto suo apparatu vid. camiso, amicto, stola, et manualiter. *Item* unum dossale rubri coloris foderat. cum suo frontali. *Item* tres tobalee siricat. *Item* unum tintinabul. *Item* duas ampullas de stagno. *Item* duo candelabra parva de ferro pro usu prefati Altaris *ad memoriam olim Summi Pontificis memorati, cujus corpus infra dictam Basilicam juxta Cappellam fe. record. Dñi PP. N. Tertii fuit conditum Ecclie sepulture, et ibid. ex merito honorifice requiescit, ac in eodem loco ob ejusd. Dñi Summi Pontificis perpetuam memoriam, memoratus Dñus Iohannes, et Magnificus vir Dñus Andreas Thomacellus Comes, et Germani Fratres, et Fratres d. condam Summi Pontificis rehedificari fecerunt quandam Cappellam, vocatam Cappellam S. Egidii, prout de pñti vocatur, in qua unum Altare inter cetera construi, et erigi fecerunt, ac etiam consecrari*.

IIII. *Idus Octobr.*[1] *In nomine Dñi amen. Anno Nativitat. ejusdem millesimo* CCCCLVII. *die vero* XII. *Octobr. fuit presentatus* unus Calix *per Dñum Martinum Desigonis ... no-*

1 p. 144.

vimontis pro parte Dñi Anzovich .... novimontis .... dum pro eo fuit presentatus in Altari S. Petri est argentei deaurati valor. xv. *vel circa* .

x. *Kal. Novembr.* [1] *Isto die Dña Margarita uxor Apollonis Paulini de Mandua donavit nostre Basilice, pro anima dicti Apollonis sui viri*, unum Calicem de argento super aurato valoris xI. ducator. auri . *Fiat specialis oratio pro anima dicti Apollonis, dudum Cancellarii Dñorum de Mandua* .

Anno Dñi millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo die vicesima quinta Dñus Addam Fumer Consiliarius, et Magister crequestar. , ordinarius Christianissimi Dñi Francorum Regis, ac ejusdem ad Pontificem orator, donavit unam planetam veluti nigri cum stola, et manipulo. *Fiat specialis oratio pro eo* [2].

v. *Kal. Novembr.* [3]. *Obiit Geminus Mancini, qui reliquit nostre Basilice pro anima sua* unum Calicem pulcrum de argento deauratum. *Fiat specialis oratio pro eo*.

III. *Id. Novembr.* [4] *Obiit Franciscus Deodati Beneficiatus nostre Basilice, qui reliquit dicte Basilice omnes distributiones suas, videlicet per ipsum lucratas in eadem Basilica in annis sex, vel circa proxime preterit., et* unum Psalterium, *et* unum Breviarium. *Expendatur in ejus Anniversario florenus auri unus*.

XVIII. *Kal. Decembris* [5]. *Obiit Nellus de Bononia familiaris Dñi nostri Nicolai PP.* V, *qui reliquit, et donavit* Sacristie nostre Sancti Petri quatuor planetas pulcras. *Fiat specialis oratio pro eo*.

xv. *Kal. Decembr.* [6] *Obiit bone memorie Rñdus Pater, et Dñus Dñus Petrus Ferro de Piperno, Episcopus Theatinus, qui reliquid nostre Basilice* unum paramentum com-

1 p. 150. 2 ibid. 3 p. 153. 4 p. 160. 5 p. 161. 6 p. 163.

pletum cum Planeta, Dialmatica, Tonicella, et Pluviale de auro super viridi, unum dossale cum pineis aureis, unum facistorium, et unam Tobaleam de Sirico, valoris centum triginta florenorum. *Orate Deum pro anima sua, et suorum.*

XII. *Kal. Decembris.* [1] *In nomine Dñi amen. Isto die sub anno Dñi* M. III. LXXXX. *Ind.* XIV. *honesta Dña Ioanna, filia condam Magistri Octolini Fabri de Ferraria, donavit nostre Basilice* unum pluviale de Syrico virgato foderato, et frisato, cum uno grosso Maspillo de cristallo, et unum superpellicium panni lini *pro anima sua, et consanguineorum suorum. Fiat igitur d. die commemoratio pro eisdem.*

XI. *Kal. Decembr.* [2] *Venerabilis Vir Dñus Presbiter Petrus Bonus Trivisinus donavit* Sacristie nostre Basilice unum paratum Sacerdotale pulcrum, valoris triginta florenorum auri. *Expendantur pro Anniversario suo, et parentum suorum de pecunia d.* Sacristie *Soll. viginti usualis monete.*

VIII. *Kal. Decembr.* [3] *Isto die Presb. Benedictus Matthei Beneficiatus nostre Basilice, donavit nostre Basilice* viginti quatuor ducatos auri, *quos voluit converti in emptione Castri S. Petri in formula. Item donavit nostre Basilice* unum Breviarium pulcrum, *quod venditum fuit Dño Corrado de Marcellinis nostro Concanonico, pro pretio sexdecim ducatorum de Camera, qui ducati fuerunt expositi* pro uno Turribuli pulcro *deputato ad usum nostre Basilice. Fiat specialis oratio in vita, et in morte.*

IV. *Non. Decembr.* [4] *Isto die Rñdus in Christo Pater, Dñus Petrus Episcopus Aprutinus, donavit nostre Basilice* unum novum, et pulcrum librum Psalterii *manu propria, ad usum*

1 p. 164. 2 p. 165. 3 p. 166. 4 p. 170.

divini cultus. Fiat commemoratio de eo pro ejus felici statu, in omnibus orationibus nostris.

VIII. *Id. Decembr.* [3] *Isto die Nicolaus Thadei de Neapoli, olim Clericus hujus nostre Basilice, in vita sua donavit Camere ipsius Basilice omnes suas distributiones de quinque annis, et grossos sex de* VI. *annis, in quibus sibi tenebatur Camera antefata. Item donavit* unum novum Missale bene ligatum, copertumque coreo rubeo, sua propria manu scriptum, extimatum communi extimatione ducat. auri XX, *et certas alias parvas res, causa sue devotionis, quas res voluit ad usum divini cultus celebrandi in Altari Cappelle S. Veronice. Et grossos, et distributiones suas ad honorem Apostolorum Petri, et Pauli; de quo fiat specialis oratio pro eo.*

CAPVT XXVI.

Locorum Secretariis Majori, et Minori circumstantium descriptio.

Locorum memoratis *Secretariis* circumstantium accuratam descriptionem habemus ex Alpharano, dignam, quam tute legas, ne cum aliis Scriptoribus, nonnulla insignia monumenta in ipsis *Secretariis* posita, praepostere opineris. En tibi ejus verba [1]. *Iuxta hoc Sacellum, et Gregorii* IV. *Sepulcrum, sequebatur aliud Sacellum* [2] *S. Marco Evangelistae dicatum, et optime dotatum, juxta quod erat elegantissimum sepulcrum, e marmore pario elegantissimis figuris insculpto, Paulli* II. *Summi Pont. Omnia peracta a Marco Barbo Card. S. Marci Patr. Aquil. ejusdem Pontificis consanguineo pro anima sua, et ejusdem Pontificis* [3].

1 p. 172. 2 p. 31. MSS. 3 n. 60.

4 Questa sepoltura de' PP. Paulo II. stava appresso la Porta della *Sacristia* della Chiesa, a mano manca della Porta

Iuxta sepulcrum Paulli II. *sequebatur ostium magnum* [1]. Sacrarii *Basilicae, quod quidem* Sacrarium *vetustorum preciositate indumentorum, cetera Basilicarum Vrbis Sacraria antecellebat. Supra vero* Sacrarium *erant magnae aulae, et cubicula pro Ministris Basilicae, et ejusdem Sacrarii custodibus. Sed juxta Ostium* Sacrarii, *pari modo adhaerens parietibus Basilicae, sequebatur elegantissimum sepulcrum marmoreum simul cum Altari* [2], *ad honorem S. Nicolai Episcopi, et Confessoris dicatum, atque dotatum a Nicolao* V. *P. M., ante quod sub tabula marmorea eximia, Corpus ejusdem Pontificis positum fuerat.*

Heic autem, velim, audias, quid narret de eodem loco Maph. Vegius. *Ante Ostium*, inquit [3], Sacrarii *a dextra parte introitus Gregorii* III, *et Eugenii* III. *jacent Cor-*

de detta *Sagrestia*, tra quella de Eugenio IV. col suo Altare; dall'altra parte della Porta di *Sagrestia*, a man destra, era quella di Nicolò V, et non molto più oltra stava l'Altare di S.Biasio, verso la Cappella di PP. Sisto, quali furono tutti disjecti nel rovinar la Chiesa, et trasportati altri in uo loco, et altri in altro. La pietra, che era a piede a questo Sepolero, sotto alla quale stava il Corpo del d. Paullo II. l'anno del Signore 1574, quando fu restaurato il pavimento della Chiesa, fu posta nella Nave della Porta Giudicii, le sue ossa forno trasportate appresso l'Altar Maggiore al loco comune, *ubi dicitur Poliandrium*: Huc congesta sunt ossa.

Appresso al sepolcro de Paulo II. seguita un Altare coll'Immagine del SS. Crocefisso, quale Immagine fu trasferita dalla Chiesa ruinata, che stava lo uo Altare dentro la Cappella de S. Giovanni in fonte. Questo Altare fu trasferito, et eretto ad honore de S. Marco, et di S. Nicolao, in loco dell'Altare di S. Nicolao eretto già nella Chiesa ruinata appresso la Porta della *Sagristia*, nel Sepolcro di Nicolao V, et de S. Marco fatto per l'anima di Paulo II. dal suo Nepote, appresso al d. di S. Nicolao, et perchè hanno Cappellano, et intrata, perciò fu trasferito congiunto con li sepolcri de d. Papa Nicolao V, et Paulo II. In questo medesimo luogo fu anticamente l'Altare de S. Maria della Misericordia, et in Martyrologio nostro III. Kal. Iulii. Appresso questo Altare seguita la sepoltura de Nicolao V. elegantissimo de marmo, et figure simile a quella de Paullo II. In questo luogo, dove fu trasferita questa sepoltura de Nicolò V. era anticamente una porta, che ardava in certe Cappelle antichissime, fuor della Chiesa. *Apud Alpharanum in MSS.*

1 lit. n. 2 num. 61.

3 T. VI. Iunii p. 83.

pora simul tumulata. Exstat adhuc titulus Eugenii III. *marmori impressus. Deperiit enim Gregorii* III. *titulus, qui erat hujusmodi*

TERTIVS HIC PAPA GREGORIVS EST TVMVLATVS

et arcus simul, qui illi erat erectus ex nobili musivo depictus. Quo in loco situs est etiam Adrianus III, *sed et, ut aliqui tradunt, Petrus Diaconus, quem B. Gregorius in Dialogo suo colloquentem secum inducit.* Paucioribus vero Mallius [1], qui eadem fusius alibi [2] descripsit, ante Vegium, utriusque Pontificis tumulum ita indicavit. *Gregorius Papa* III. *Hic requiescit in illo loco, ubi Dominus Papa Eugenius* III. *requiescit.*

Sed ad Alpharanum redeamus. *Iuxta praedictum Altare sequebatur aliud Sacellum* [3], *et Altare B. Blasio dicatum Episc. et Martyri, quod Poncellus de filiis Vrsi construi fecerat, et dotaverat, juxta quod ipse etiam sepultus requiescit, et Agnes ejus uxor, filia Marchionis Montisferrati cum suis majoribus.*

Post hoc sepulcrum extra, et juxta Basilice latera, fuit Oratorium magnum [4] *cum Altari ab Antonio Cerdano Majoricensi Card. Illerdensi Hispano restitutum, et ad quod per* Sacrarium Basilicae *erat accessus, in cujus medio sub marmorea tabula defunctus requiescit. Denique anno* MDLXXIX. *ejus ossa e sepulcro eruta juxta Altare majus in illo communi sepulcro condita sunt.* Sepulcralis ejus Inscriptio erat hujusmodi.

1 c. v. n. 86. p. 45. 2 n. 12. p. 39.
3 n. 62.
4 lit. o. Nella Cappella, dove se diceva l'officio anticamente, uno sepolto in mezzo con tavola de marmo, et questa Iscrizione, et arme (*Cervum scilicet*)

MCCCCLVIII. DIE XII. SEPTEMBRIS
ANTONIVS CERDANVS MAIORICENSIS
CARDINALIS ILERDENSIS
QVIEVIT IN DOMINO[1]

Sed rursus Alpharanum sequamur, qui praeterea nos docet, *uti in hoc etiam Oratorio per circuitum erant antiquitus ex lignis nucum pulcherrima subsellia, in quibus Canonici, Beneficiati, et Clerici Bas. hyemis tempore per frigus matutinum psallere soliti erant.*

1 *Panvinius de rtb. mem. Bas. Vat. T. 11I. p. 75. haec habet.* Obiit Romae pridie Idus Septembris anno MCDLIX. sepultus in Vestibulo *Sacrarii* S. Petri, humi cum lapide supraposito, cum hoc epitaphio. *Plura etiam Ciacconius T. 1I. p. 969. de eodem scripta reliquit in hunc modum.* Mag. Ant. Cerdanus, quem aliqui Martinum nominant, Majoricensis, ex Vico S. Margaritae, Canonicus Majoric. Eccl., teste Placido Samperio, ac Fr. Io. Figueras, Caenobita factus Ord. SS. Trinitatis in Caenobio S. Spiritus Majoricensi, Redemptionis Captivorum, per Angliam, Scotiam, et Hiberniam, sui Ordinis domos Commissarius generalis invisit, postea in Rom. Curia Procuratoris Gen. munere functus, Philosophorum, ac Theologorum omnium illius temporis maximus habitus fuit, adeo ut a Pio 1I. non *Magister in Theologia*, quem gradum jure adeptus fuerat, sed *Princeps Theologorum* vocaretur. Ex Cubiculario Papae, et Archiepiscopo Messanensi ab Eugenio IV. electo, renunciatus est a Nicolao V. Presb. Card. Tit. S. Chrysogoni. Hunc insuper, quem ob ejus doctrinam, et vitae sanctitatem ipse Nicolaus sibi Philosophiae studiis, et arcanorum Sacr. Theologiae cognitioni ex omnibus elegerat, maximis, et amplissimis donis, ac honoribus donavit, atque unice dilexit. Praefuit, Nicolai ejusdem Pontificis jussu, Ecclesiis Ilerdensi, et Iutenacensi: quare vulgo dictus Card. *Ilerdensis*. Legati munere primo in Marchia Anconitana, deinde apud Alphonsum Aragonensem Regem Siciliae, et Florentinos functus est, pro componenda inter illos pace, quam summo studio, et omnium votis tandem firmavit; et Arianensibus Beati Othonis ossa restitui curavit. Extant Alphonsi Regis literae ad Carolum datae. *Haec vero addidit Oldoinius.* Romae decessit non, pridie Kal. Septembris, anno 1458, ut scripsit Ciacconius, sed ex Vaticanis monumentis, atque ex Sepulcrali Inscriptione, die x1I. Septembris, anni 1459. et in *Vestibulo Sacrarii* Basilicae Principis Apostolorum sepultus, cum hoc Epitaphio: *Hactenus Ciacconius, et Oldoinius. Verum si fides Alpharano, et Grimaldo praestanda est, ex quibus Epitaphium desumpsimus, recte Ciacconium scripsisse sentiendum est, ac perperam Card. Cerdani obitum anno sequenti assignasse Oldoinium, qui praeterea cum Ciacconio,* Ilerdensis *titulum in inscriptione omisit*,

Iuxta dictum Sepulcrum Vrbani sequebatur [1] *Sacellum pulcherrimum B. M. semper Virginis, sub nomine Annunciationis consecratum, in quo S. Margheritae Virginis etiam eximia exstabat imago, a Iohanne Wecta de Anglia Sacerdote, et Legato amplificatum.*

Iuxta Sacellum praedictum erat ostium, per quod erat accessus ad aliud magnum Oratorium [2] *extra latera Bas. protensum, cum Altari a Baptista Zeno Veneto S. M. in Porticu Cardinali exstructum, in cujus medio ante Altare sub lapide marmoreo fuit sepulta Helisabeth ejus Mater, Eugenii* IV. *Neptis, et Paulli* II. *Soror*. Severanus, Bonannius, et Janningus, hoc Altare vocant *Sacellum Card. Zeni*, et Turrigius, ubi nunc *Sacellum Clementinum, seu S. Gregorii* [3], exstitisse scribit. Ibidem tumulata fuit memorata nobilissima femina, cujus epitaphium latinis versibus illigatum, a Turrigii usque aetate, vetustatis injuria pene deletum, Alpharano [4], Grimaldo, Schedis Barberinis Sec. XVIII. ineuntis, et eidem Turrigio [5] debemus, nosque heic cum Lectoribus communicamus.

1 n. 64. 2 lit. p. 3 p. 426.

4 Nella Cappella appresso questa antedetta, dove tenevano le Cotte li Canonici, et se faceva Capitolo, sono due Sepolcri, uno in mezzo con questa Iscrizione.... Appresso questa Sepoltura è un altra Pietra a man destra appresso al muro con questo titolo, et arme, de quali armi sono per tutta la Cappella *Baptista Zenus Venetus Cardinalis S. Mariae in Porticu MCCCCLXXXIII.* Fondandosi la Chiesa nuova l'anno 1578. fu levato il Corpo della detta Elisabetta, et sepolto dentro la *Sagrestia* colla medesima tavola, et titulo de marmo. Sotto le due antedette Cappelle cavandose le fondamenta della Chiesa nova l'anno 1578. forno trovati bellissimi Pili di marmo con li Corpi di Christiani, et persone dignissime dentro, vestiti di seta, et alcuni erano forse Cardinali, o Papi, infra i quali Pili uno aveva di rilievo l'istoria della negatione di S. Pietro col Gallo, et l'istoria d'Habram con Isaac, et altre historie ecclesiastiche, et un altro haveva certe Croci di rilievo intagliati nel marmo. Li detti ossi forno posti dentro la sepoltura si vogliono mettere l'altri simili, quali è nella Cappella nota, chiamata *del Re di Francia*, nella sepoltura, appresso la terza Cappella verso Oriente.

5 p. 387.

EVGENII . NEPTES . QVARTI . PAVLIQVE . SECVNDI
PONTIFICVM . SOROR . HIC . ELISABETHA . IACET
BAPTISTAE . ZENI . MATER . PIA . CARDINIS . ILLI
BARBA . DOMVS . VENETA . PATRIA . CELSA . FVIT
MCCCCLXXX.

Haec autem de eodem Cardinali, cujus gentilitium insigne ad borealem sacrarum Cryptarum partem adhuc suppetit, in veteri MSS. haberi tradit idem Turrigius, a Ciacconio [6], et a Dionysio [7] item prolata. *Baptista Zeno Venetus, a Paullo* II. *avunculo, in locum demortui Riccardi Constantiensis Archiep. S. Petri assumptus, rexit Archipresbyteratum an.* 30. *mens.* 8. *dies* 28. *Oratorium in Bas. Xyxti* IV. *Sacello proximum pro Elisabethae Matris animae salute, cujus adhuc tumulus in* Sacrarii Vestibulo *cernitur, cammerato opere aedificavit, ornavitque, quod inde novi Templi gratia detectum est, in quo legebatur inscriptio, quod idem Cardinalis Elisabethae pientissimae Matris Missae sacrificio imploraturus opem, aram dicavit. Obiit Patavii die* 8. *Maji* 1501. *hora* 12.

Heic tamen Turrigius contra Codicis ab se allati fidem, non *in Sacrarii Vestibulo*, sed *in ipso Sacrario* tumulatam fuisse scribit, quod temere ab eo factum, fortasse videri posset. Sed eum ab omni erroris nota liberat Alpharanus, qui continuo pergit [1]. *Denique praedicta in exstructione novae Bas. e primo sepulcro eruta*, intra Basilicae Secretarium, *sub eodem lapide sui nominis insculpto, condita fuit* in ingressu Sacrarii.

Age, hinc jam reliquam hanc veteris Bas. partem, Alpharano duce, percurramus, qui sic eam describit [2].

1 T. II. col. 1112. 2 p. 161. 3 ms. p. 32. 4 ibid. num. 65.

Iuxta praedicti Oratorii Ostium, duo Sacella cum Altaribus, unum fortasse S. Eustachio dicatum, a Barth. Wiano *Canonico dotatum, alterum vero* S. Georgio *M. consecratum. Hisce Sacellis proxima erat porta, sive magnus arcus, per quem habebatur accessus ad magnum, nobilissimumque Oratorium* [1] *a Xysto* IV. *exstructum, ubi erat Chorus Canonicorum, et sepulcrum aeneum elegantissimum mirifice fabrefactum, in quo conditus fuit a Iuliano Card. Fratris Filio, qui postea fuit Iulius* II, *ibidemque humatus fuit cum Card.* Sanctorio, *Tituli S. Sabinae* [2], *a dextera Altaris, et a sinistra Galeotti Franciotti* [3] *de Ruvere, Tit. S. Petri ad vincula.*

Iuxta hujus Oratorii aditum in pavimento erat Corpus [4] *Carolae Cypri, et Hierusalem Reginae, et haud ita procul Mariae Constantinopolitanae nobilissimae, et in parietibus sepulcrum marmoreum Bernardi* [5] *Heruli Narniensis, Episcopi Sabinensis, ex superiore transversa parte Basilicae translatum, ac pone sepulcrum* [6] *Stephani Nardini Foroliviensis, Tit. Sanctae Mariae in Transtyberim, sub marmorea tabula in pavimento. Sequebatur Oratorium antiquissimum S. Thomae* [7] *a Symmacho exstructum, ubi tumulata erant Corpora Ioh. Podii Episcopi Bononiensis, Maffioli de Lampugnano Episcopi Plocen. ac Petri Lunelli Episcopi Gajetanen., Francisci Barthelori Milopotonien. Turnone Valentiae oriundi. In sinistra vero parte Oratorii* [8] *erat Baptismi Fons marmoreus elegantissimus, sub quo erat sepulcrum Innocentii* VII, *et juxta Petri Fonsecae Diac. Card. S. Angeli, et Nicolai de nobilissima familia Vicecomitum, Canonici. A dextera vero Altaris* [9] *erant Sepulcra Ardicini Iunioris Novariensis, Presbyteri SS. Ioh. et Paulli, et* [10] *Ardicini Novariensis, Diaconi SS. Cosmae, et Da-*

1 lit. q. n. 66. 2 n. 68. 3 n. 69. 4 num. 70. 5 num. 71. 6 n. 72. 7 n. 73. 8 num. 74. 9 n. 76. 10 n. 77.

miani, Cardd. della Porta nuncupatorum, a quibus optime dotatum fuerat Altare S. Thomae, atque ante Ardicinum seniorem, quiescebat Theobaldus de Rubeo Mont. Archiepiscopus Bisuntinen.

Post haec Alpharanus narrationem suam ita absolvit [1]. *Iuxta aditum Oratorii S. Thomae, contra Orientem, in parietibus Basilicae ad meridiem, sequitur sepulcrum e marmore pario elegantissimum Christophori Maroni Episcopi Isserniensis S. R. E. Card. et Tit. D. Ciriaci in Thermis, et hujus Basilicae Archipresbyteri benemerentissimi, qui fecit fieri magnum, et copiosum Martyrologium, cum inscriptione omnium hujus Basilicae Benefactorum. Nostris vero temporibus ibidem* magna Porta Sacrarii *suffecta est*. En tibi sepulcralem ejus inscriptionem.

QVI LEGITIS CARMEN LACRYMABILE FVNDITE FLETVS
FVNDITE ET HOC MVLTIS LACRYMIS ORNATE SEPVLCRVM
MAXIMA CARDINEI CVBAT HIC NAM GLORIA COETVS
CORPORE CHRISTOFORVS SED SPIRITVS INSIDET ASTRIS
FIDVS APOSTOLICAE PER TOT FLVITANTIA CIMBAE
NAVFRAGIA ECCLESIAE FVIT HIC ET TEMO SALVBRIS
MVLTIPLICI VIRTVTE NITENS ET AMATOR HONESTI
VIR ERAT EVECTO CVI TANTI AD CVLMEN HONORIS
NOMINIS ALME TVI TITVLVM CYRIACE DEDISTI
ANNO DOMINI MCCCCIV. [2]

1 num. 78. Fora de questa Cappella nella pariete della Chiesa, per venire verso l'Altare de S. Gregorio, vi è il sepolcro de Cristophoro Card. et Archipr. de S. Pietro dignissimo, quale fece fare il bellissimo Martyrologio de S. Pietro, con molte cose memorande di essequj, e sepolture. Il sepolcro è di marmo in alto con l'arme, e questi versi .... Ma l'anno 1578. volendosi fare una strada nuova per entrare in *Sacristia*, atteso quella vecchia si buttava per terra, per fare i fondamenti della Chiesa nova, in questo loco della sepoltura fu fatta una porta, et la sepoltura portata via, ma non il corpo del Cardinale.

2 In Necrologio p. 172. Anno Dñi millesimo cccc. IIII. Mensis Decembris, die quinta, obiit bo. me. Rñus P. Dñus Card. Iserniens. Civis Romanus, Archipresbyter hujus nostre Bas. Pñcipis Apostolorum cujus Corpus sepultum in Cappella S. Gre-

CAPVT XXVII.

Reliqua de majori, et minori Secretario exponuntur.

Ex Diario Ant. Petri, *majus*, et *minus Secretarium* usque a sec. xv. initio, in usu fuisse vidimus. Vtriusque vero mentionem usque ad medium Sec. xvI, factam fuis-

gorii, sita in d. Basilica. Qui reliqoit d. Cappelle unum pulcerrimom Missale, et unam planetam valor. xvI. ducator., et unum Calicem de argento valor. xx. ducator. ac unum Corporale pulcrom, et ornatum perlis. Item reliquit d. Basilice ducentos ducatos de auro, pro quibus emi deberent possessiones, que empte sunt terre vinear. ea quar. fructibus fiat, et fieri debeat singulis annis in die obitus sui Anniversarium, pro quo manualiter solvantur Canonicis, Beneficiatis, et Clericis d. Basilice astantibus in d. Anniversario ducati auri sex. Item fecit fieri de novo presens Marthyrologium ad perpetuam rei memoriam. *Inscriptionem referuns Panvinius de reb. mem. Bas.Vat. T. III. mss. 74, et Ciacconius in T. II. pag. 708, qui de eodem haec memoriae consignavit.* Christophorus Maro, alias de Maronibus, Romanus, ex Episcopo Iserniensi Presbyter Cardinalis, titulo S. Cyriaci in Thermis, et Archipresbyter S. Petri in Vaticano, a Bonifacio IX. Romano Pontifice renunciatus, una com Francisco Carbone Cardinali Monopolitano, et Bartbolomaeo Carafa Vrbis Priore, deligitur arbiter inter Bonifacium IX. Rom. Pont., et Paulum Sabellum nobilem Romanum Lucae filium, in quaestione litis de possessione Oppidorum Asprae, Zarani, Cignani, Montisboni, et Rochetarum, ut ex Bonifacii Codicillis, qoi supersunt, constat. Fuit hic Cardinalis Praefectus Monasterii SS. Alexii, et Bonifacii in Monte Aventino, post cujus obitum Coenobium illud Bas. Vatic. adjectum est. Decessit Romae Innocentii vII. anno I. Chr.vero 1404. pridie Nonas Dec. Sepultus fuit in Bas. S. Petri in Sacello S. Gregorio sacro, prope aediculam S.Thomae in marmoreo, at muro affixo sepulcro, cum insignibus, et sequenti Inscriptione: *Praeterea ex Diar. Ant. Petri ap.Murator.* Tom. xxiv. pag. 975. *baec legimus.* Die Sabbati 6. (Decembris) obiit Rm̃us Pater Dñus Cardinalis Iserniensis (Christophorus Maro) vid. hora noctis tertia in domo Domini Abbatis S. Paoli, de regione S. Eustachii (1404.) Item nocte sequenti ad horas decem fuit portatum Corpus ejus per duos Romanos in Palatio, capite Scalarum S. Petri de Vrbe, tamquam Archipresbyter nostrae Basilicae, et die Dominica, septima supradicti mensis, de mane fuit factae exequium valde honorabile; post exequium fuit sepultus in Capella S.Gregorii Papae, et Doctoris. *Haec eadem exscripsit Cl. Felix M. Nerinius* c. xix. pag. 284. *de Templo SS. Bonif. et Alexii, ubi plura de eodem Cardinali erudite adjecit, post cujus obitum, Cardinales alios Monasterium commendatario nomine obtinuisse animadvertit usque ad ann.* 1426, *quo demum anno ad Monachos Hieronymianos libere translata fuit Monasterii possessio, quin eadem ad Bas. Vaticanae Canonicos unquam redierit.*

se constat. Tunc enim, ut mox ostendemus, *majoris* etiam *Sacristiae* appellatio obtinebat, quae *minoris* quoque indicium facit.

Ceterum, quum supra vidimus, anno MCDXLIV. pecuniam a Mileto Thennimi Bas. legatam, *pro constructione novae Sacristiae* concessam fuisse, haec de *majori Sacrario* accipienda esse puto. Quum enim fortasse haud ante ejusdem seculi initium constructum fuisset, *novum* dici poterat, respectu alterius multo vetustioris. Id etiam vere scribi potuit, quod circa idem tempus nova aedificatione porrectum latius, atque explicatum, novasque aedes eidem impositas fuisse, scimus. Rei testem habemus locupletissimum Fl. Blondum, qui haec de Eugenio IV. praedicavit [1]. *Leo donis Ecclesiam ornavit; Tu illam supellectile, sacrorum ministerio, pariter donatam; tecto insuper majori ex parte renovato*, novisque Sacristiae Cameris *exaedificatis, reddidisti meliorem*.

Praeterea hoc idem *Sacrarium* paullo post a Francisco Maffeo Bas. Vat. Canonico restauratum fuisse tradit Grimaldus, qui ita scriptum reliquit [2]. *Rmus D. Franciscus Maffeus Canonicus. Hic instauravit* Sacrarium Basilicae, *et Sacellum S. Thomae Apostoli, ut inscriptio, et stemmata ejus indicabant in veteri Bas. Vat. Canonicus an. 1477. Sacellum S. Thomae Apostoli olim a Symmacho aedificatum, longa vetustate squallens, nobili fornice reparavit, et frontem, sive aditum Sacelli ferrea crate, marmoreo arcu, elegantibus floribus caelato, cum Maffeorum stemmatibus munivit. Defecit sub Paullo* V. Quae quidem cur Sindonius prae-

1 Rom. Inst. lib. I. pag. 231. n. LVII. e nella Roma ristaurata, et Italia illustrata di Biondo da Forli tradotte in buona lingua volgare per Lucio Fauno. Ven. 1548. 8. p. 13.

2 in lib. Descendent. Canon. fol. 72.

termiserit, non intelligo, ubi Altare S. *Thomae* Apostoli [1] descripsit, quod in nostra ichnographia occurrit litera r.

Ejusdem loci mentionem fieri puto in libro *introitus, et exitus Sacristiae ab anno* MDXXXV. *ad* MDXLVI, corio rubro cooperto, folio 30. sub fine, ubi haec habentur. *Die* XII. *Februarii. Dedi Clavario pro serraturis portarum domorum, quas habitant nostri Sacristae, et pro serraturis, et ferris Portae primae loci, in quo firmantur equi Canonicorum, et Beneficiatorum, praesente D. Benedicto de Sanctis, scutum unum* ₰ 1. et fol. 31. ejusdem libri. *Dedi Magistro Angelo Fabrolignario, habitanti in Burgo novo, pro duobus armariis novis capacibus nostrorum librorum, qui solebant esse in Libreria, quae armaria sunt posita in Capella nostra, in qua solent teneri praefati libri, ex pacto facto, consciis Rdis Dñis Sindicis, scuta duodecim, quorum solutionem cepi die 6. Februarii, et finivi die* XXV. *Aprilis* ₰ 12.

Item dedi eidem ultima Aprilis, pro scabellis pedum sub cassis, et armariis Dominorum Canonicorum, quae sunt in majori Sacristia nostra *ex pacto facto per Dños Sindicos* ₰ *carl.* XXX. —— —— —— ₰ 2. 25.

Item dedi eidem pro tribus scabellis etc., et pro una Porta nova cum suis spondis ad scalam, per quam ascenditur ad locum, ubi tenetur oleum, et cera. Et fol. 35. *Dedi magistro Baptistae de Caravaggio Muratori die* 4. *Novembris pro resarcitura Tecti Capellae Sixti, et Tecti, quod est super loco, ubi expectant equi, et mulae nostrae, et pro uno Ponticulo lateritio, cum suo conducto, ad Portam dicti loci, scuta tria, et pro duabus salmis Tegularum, pro dicto usu dictorum Tectorum, scutum unum, in totum* —— ₰ 4.

1 pag. 64.

Item dedi eidem die x. *ejusdem pro mercede sua, eo quod conduxit, et transportavit pilum, seu vas pulchrum marmoreum sculptum, quod erat in Ecclesia sub organo, ad* Sacristiam nostram, *pro conficiendo Altari S. Silvestri, et pro firmando, et ponendo Armaria Reliquiarum super quatuor columnis, et pro transportandis duobus vasis marmoreis ad pedes dicti Armarii, pro conficiendo Altari, et pro incrostatura parietis, quod est extra, et super Capellam Altaris Reliquiarum, et pro pluribus aliis parvis resarcimentis in* dicta Sacristia, *in totum scuta quatuor* —— —— ꝟ 4.

Atque huc spectare videntur, quae legimus in Bas. Necrologio [1]. *Isto die* II. *Kal. April. Dña Perna Vxor Iohannis Antonii Mandatarii donavit nostre Basilice Ducat. Camere decem pro anima Viri sui, que pecunia fuit conversa in fabrica Cassarum, et Sedium* Sacristie nove. *Fiat commemoratio pro animabus ipsorum, et Fratris Mariani, et Iacobelle Mataratii.*

Quae quidem, nisi aetas e sinu tandem, ac neglectae vetustatis squallore, in apricum proferat aliquod monumentum, quod secus sentiendum esse doceat, quodque hactenus frustra, tum in editis libris, tum in MSS. quaesivi, ac quaerendum curavi, ope eruditissimi, atque humanissimi Phil. M. Renattii, in Archivo Fabricae Bas. Vatic., de *majori* veteris Basilicae *Secretario* intelligenda esse arbitror.

1 pag. 45.



CAPUT XXVIII.

Cuinam parti novae Basilicae Secretarium majus responderet?

Heic modo juvabit inquirere, cuinam loco *novae Basilicae*, quam nunc admiramur, *Secretarium majus veteris Basilicae* responderet?

Porro, hic ab Alpharano, et Bull. Vat. editoribus [1] designatur, ubi nunc *Cella Clementina*, seu *S. Gregorii M.* Quod item a Sindonio confirmatur, ubi ait [2]. Secretarium veteris Bas. (*ut ichnographica designatio ostendit*), *eo in loco positum erat, ubi nunc* S. Gregorii Magni *Sacellum est, sanctumque ejus Corpus veneratur, et ideo solo aequatum, tempore Iulii* II, *inclusumque fuisse in novo Templo Vaticano, minime dubium est*.

Quae quidem loci designatio, ubi prius steterat hoc *Secretarium*, eo lubentius a me indicata est, quod ex eadem illud etiam constat non levis momenti, pari modo, quo *Gregorius* IV. supra *Secretarii antiquissimi* ruinas *Oratorium Gregorio* M. sacrum construxerat, eodem loco, quo prius steterat hoc alterum Bas. *Secretarium*, Cellam in ejus honorem a *Clemente* VIII. deinde excitatam fuisse.

1 T. III. p. 257. 2 p. 87.



5 V

CAPVT XXVIIII.

Cellae Clementinae, ac postremae M. Gregorii translationis Historia.

Quandoquidem huc scribendo devenimus, non abs re erit, pauca de hac etiam Cella attexere, ubi nunc SS. Doctoris exuvias veneramur, ejusdem SS. Pontificis studiosis non injucunda. Siquidem de tertia, ac postrema sui Corporis translatione a *Paullo* V. peracta pertractabimus, quae valere eò saltem poterunt, ut omnis, si quae cujusquam animo insedisset, suspicio de *Gregorii M.* exuviis aliô translatis, penitus removeatur. Quod etiam cur a Maurinis, ac praesertim a Bollandianis, qui hanc provinciam susceperant, praestitum non sit, ignoro.

Clemens VIII, ut Andreas Victorellus [1] testatum reliquit, jampridem statuerat, *S. Gregorii* Corpus *reponere e regione arae, ad quam Gregorius* XIII. *S. Gregorii Nazianzeni Lipsana ab Aede Sanctimonialium S. Mariae in Campo Martio, transferenda curavit* [2]. Illud enim sapientissimis Pontificibus fuit antiquissimum, ut, quod Joh. Chrysostomus [3], cujus etiam cineres in Templo Vaticano veneramur, de Vrbe pronunciabat, Basilica Vaticana *non propter auri copiam, vel propter columnas, aliumque fastum, sed propter columnas Ecclesiae*, admiranda praecipue esset, ac suspicienda. Quocirca, studio, atque opere Jacobi de Porta Architecti, Cellam magnificentissi-

1 T. I. addit. ad Ciacc. in vit. Greg. IV. fol. 599.

2 Cronica del Ven. Munistero S. M. in Campo Marzo di Roma dell' Ordine di S. Benedetto della Congr. Cassinense. Roma 1725. 4. p. 21.

3 T. IX. edit. Paris. Homil. XXXIII. in epist. ad Rom. p. 757.

mam exstrui curavit, quam *Gregorii* imagine, ab Andrea Sacchi Pictore peritissimo, coloribus expressa, ac duobus columnis e marmore Numidico, quod *variolatum* vocant, ornatam voluit. Sed coeptum, profligatumque opus a *Clemente* VIII, a morte abruptum, *Paullus* V. perfecit. Quod patet ex inedita totius translationis narratione a Jac. Grimaldo diligentissime descripta, quam heic lectorum commodo subjiciendam puto [s].

s Quum vero Pauli Quinti Pont. Max. jussu, qui Vaticanum hoc Templum perficiendum magno animo suscepit, Sacellum hoc solo foret aequandum, Illmus, et Rmus Dnus Dñus Evangelista Pallottus, Card. Tituli S. Laurentii in Lucina, a Metropolitana Ecclesia, cui olim praefuit, Cusentinus nuncupatus, memoratae Bas. Archipresbyter, Corpus ipsius Sanctissimi, ac Summi Antistitis Gregorii in novum Templum, ac in Sacellum anteriori Basilicae ad ortum Solis extremae navis dextra egrediendo Basilicam, ubi nunc extat ipsius Pii sepulcrum.... Hoc altare Antonius Latiosus nobilis Sacellum e regione Gregorianae illaturus mandavit Altare praedictum dissecrari, et inspici Sanctum Corpus pro parandis, quae forent necessaria translationi. Et ut futuris temporibus, quae infra dicentur, omnibus innotescant, Ill. admodum ac R. D. Marcus Antonius de Magistris, ejus Nepos, dictaeq. Basilicae Canonicus rogavit me Notarium publicum infrascriptum, ut praesenti publico adnotarem Instrumento. Hinc est, quod anno Dñi millesimo sexcentesimo quinto, die Iovis vigesima nona Decemb. indictione tertia, Pontificatus SSmi in Xpo Patris, et Dñi nostri Dñi Pauli divina providentia Papae Quinti, anno ejus primo. In mei Notarii publici, testiumque infrascriptor. ad haec specialit. vocator. et rogator. pñtia pñs, et personaliter constitutus suprad. Illmus, et R. D. Marcus Ant. de Magistris, qui, ut asseruit, de ordine ejusdem Illmi, apposita manu elevationi marmoreae tabulae, in cujus medio extat sigillum munitum Cruce ea auricalcho cum quinque lunis, hora jam noctis secunda, et Basilica undique clausa, nemine in ea existente, nisi dumtaxat caementariis, dissecravit Altare Sancti Andreae Aposteli, et S. Gregorii Magni Papae I., cujus sacrum Corpus requiescit in eadem Ara, intra sanam, et integram concham de grannito orientali albo, et nigro ovatam. Quod quidem Altare undique munitum est firma crate ferrea. Elevata igitur, ac summota tabula Altaris innixa super crate ipsa, Fabri palo ferreo ungulato coeperunt summa vi elevare, ac tollere viginti sex clathras, seu virgas ferreas per transversum, in modum craticulae, super ipsa concha positas, et cum dicta crate Aram, et Corpus circumeunte benefirmatas. Quibus sublatis omnes genuflexi dixerunt Hymnum *Iste Confessor* etc. ℣. *Amavit eum Dominus* cum oratione de Sancto Gregorio, dicta ab ipso D. Marco Ant. Canonico. His actis idem Rdus Dñus Canonicus mandavit aperiri concham ipsam, et elevari tegmen ejus marmoreum album ovatum. Quo facto apparuit capsa lignea, intra quam

Sed quum *vestes*, ut eas vocat Anastasius in *Adriano*,

quiescebat ipse egregius Ecclesiae Doctor S. Gregorius Magnus, tecta panno serico damaschino coloris castanei, sive rosae siccae, coronis aureis, et pedibus aquilarum intexto. Eaque aperta a d. Dño Canonico, visum fuit ab omnibus inibi circumstantibus sacrum Corpus ipsius SS. Gregorii PP. primi. Quo inspecto, clausit idem Dñus Marcus Antonius capsam cum sancto Corpore, et cooperuit suo panno praedicto. Fabricatores deinde imposuerunt Conchae operculum marmoreum, et tabulam Altaris magni ponderis, dictumq. est *Te Deum laudamus*. ℣. *Elegit eum* etc. cum Oratione de Sancto Gregorio. Capsa lignea, in qua requiescit idem Sanctus Doctor, longa est palmis quatuor, lata palmis duobus, et unciis duabus, alta palmo uno cum duobus tertiis; intra quam etiam sunt fragmenta vetustissima primae Capsae, in qua idem Sanctissimus Papa primitus humatus fuit, tantae antiquitatis, ut tacta fere reducantur in pulverem. His actis, audita hora noctis quinta, omnes ad proprias domos recesserunt.(p.35.) Die Sabbati septima Ianuarii anno Dñi millesimo sexcentesimo sexto, indictione IIII, hora noctis secunda. In mei etc. presentes, et personaliter constituti RR. P. Dñi Paulus Bizzonus major Sacrista, Marcus Antonius de Magistris, Marcellus Phylonardus, Aloysius Cittadinus, et Paris Pallottus, Canonici memoratae Basilicae S. Petri, ad Altare S. Andreae cum simul convenissent, ut presentes essent aperitioni Altaris, et repositioni Corporis S. Gregorii Magni intra capsam cypressinam novam ab Illmo Dño Card. Cusentino Archip. e Pontificali benedictam; dicto hymno *Iste Confessor*, et oratione de Sancto, mandarunt elevari tabulam Altaris marmoream, et concham, in qua jacet corpus, apesiri. Quibus actis iidem RR. DD. Bizonus, Cittadinus, et Phylonardus stolis induti elevarunt capsam ligneam cum Corpore Sanctissimi Gregorii PP. primi panno suo tectam, quo die xxix. Decembris MDCV. reperta fuit, ut per acta mei etc. et ita ipsam intra praefatam novam capsam incluserunt cum d. sacro Corpore, ac psallentes cum luminibus detulerunt in Chorum Sixtinum; ibique R. D. Marcus Antonius de Magistris munivit illam sigillis Illmi Card. Archip. Stetit super feretro, ipsa nocte, canentibus vigilias RR. DD. Americo Egio, Curtio Tirabosco Beneficiatis, Cosmo Georgesco, Andrea Amico, et Placido de Placidis Clericis Beneficiatis, Alexandro Thomasio, Francisco Maccionetto Sacristis, Constantino Castillione Musico, et Lactantio Nino Cappellano. Qui in Aurora detulerunt Sanctum Corpus ad Altare S. Andreae, ibique populi devotioni expositum est, ut plenariam consequeretur indulgentiam jam publicatam per Urbem. Super quibus etc. Actum, ubi supra, anno etc.

(p. 36.) Die octava Ianuarii MDCVI. Dominica infra octavam Epiphaniae.

Illmus et Rmus Dñus Evangelista Pallottus, Tituli S. Laurentii in Lucina, Presbyter Card. Cusentinus Basilicae Principis Apostolorum Archipresb. cappa rubra indutus interfuit Vesperis in Choro Sixti Quarti solemniter cantatis, Vicario ejusdem, Clero Basilicae, multis Episcopis, ac Praelatis, maximaq. populi multitudine intervenientibus. Quibus absolutis idem Illmus Dñus Cardinalis accessit ad Altare in parte Epistolae, ubi, deposita cappa, accepit amictum, albam, cingulum, Crucem, stolam, pluviale album, mitram preciosam, et annulum, et ex Faldistorio processionaliter medios inter RR. DD. Canonicos Tiberium Ciccium

et *Sergio* II, seu *Pallia* [1], *Frontalia*, aut *Parapetasmata* nunc

Diaconum, et Paridem Pallottum Subdiaconum, se contulit ad Aram S. Andreae, ubi positum erat Corpus S. Gregorii Magni, et servatis omnibus, quae in superioribus Sanctorum translationibus gesta sunt, ritu solemni, sacrum ipsum Corpus transtulit ad Altare Sacelli, e regione Gregorianae, ubi in fine solemnem populo benedictionem tribuit, et idem Diaconus Canonicus publicavit Indulgentiam verbis solitis. Corpus confluenti populo ad horam noctis secundam ibi stetit expositum, qui frequentissimus fuit, praecipue Nobilium, Ducum, et Principum Romanor. recolentium memoriam tanti Pontificis, non solum ob amorem communis patriae, verum ob singularem Viri Sanctitatem, et doctrinam, ex qua terrarum Orbi ineffabile lumen effulsit.

Nomina Canonicorum, qui planetis induti, Corpus in Processione detulerunt, haec sunt. RR. DD.

Paulus Bizzonus. Fabricius Verallus.
Marius Alterius. Tiber. Ricciardellus.
Darius Buccarinus. Aloysius Cittadinus.
Aloys. Raynaldutius. Germanicus Fidelis.

(*p.* 36.) Successive eadem die Dominica octava Ianuar. MDCVI. hora noctis II.

In mei etc. praesens, et personaliter constitutus Illmus, et Rmus Dnus Dnus Evangelista Pallottus Tituli S. Laurentii in Locina, Presbyter Cardinalis Cusentinus Vaticanae Basilicae Archipresbyter, cum interventu RR. DD. Pauli Bizzoni, et Paridis Pallotti Canonicorum, Indutus amictu, alba, cingulo, stola, Cruce, pluviali albo, et mitra ex tela aurea benedixit e Pontificali Arcam marmoream albam, sanam, et integram, amplam, ac insigniter sculptam. Inde cum mitra sedit in Faldistorio. Cantores dixerunt Psalm. *Memento, Domine, David*, Antiphonam. *O Doctor optime*, cum ℣. etc. Cardinalis legit Orationem de Sancto, ut in Missali, Postea accipiens capsam cypressinam, in qua inclusum est sacrum ejusdem Sancti Gregorii Magni PP. Primi Corpus, ipsius Illmi Dni sigillis munitam, adjuvantibus aliis Sacerdotibus, stolis indutis, propriis manibus in Dei nomine intra eamdem Arcam demisit. Tum Cardinalis sedit, et fabricatores clauserunt dictam arcam bene firmantes tabula marmorea, in qua nuper hujusmodi litterae incisae sunt.

HIC . REQVIESCIT . S. GREGORIVS MAGNVS . DOCTOR . ECCLESIAE

Dicto hymno *Te Deum laudamus*, Cardinalis deposuit paramenta, et expectavit, quousque mensa superior Altaris poneretur. Inscriptio vero lamina plumbea sculpta, et super capsam ipsam cypressinam posita, et per me Notarium, alta voce, populo ibidem presenti lecta, talis est, videlicet.

S. GREGORII . MAGNI . PAPAE . PRIMI . CORPVS . EX . ALTARE . S. ANDREAE SITO . IN . RELIQVA . IAM . COLLABENTE . VETERIS . ECCLESIAE . PARTE . PAVLI PAPAE . V. IVSSV . MOTVM . ET . IN . NOVVM . TEMPLVM . SOLEMNI . PROCESSIONE ILLATVM . SVB . HAC . ARA . CAPSA . CYPRESSINA . INCLVSVM . PILO . MARMOREO . COLLOCAVIT . EVANGELISTA . PALLOTTVS . TITVLI . S. LAVRENTII . IN . LVCINA CARDINALIS . CONSENTINVS . HVIVS . BASILICAE . ARCHIPRESBYTER . ANNO MDCVI. DIE . VIII. IANVARII . DOMINICA . INFRA . OCTAVAM . EPIPHANIAE PONTIFICATVS . EIVSDEM . S. D. N. ANNO . PRIMO.

Super quibus etc.

1 V. Cajet. M. Capece de vetusto Altaris Pallio Eccl. Christianorum. Neap. 1756. 4.

serica, nunc argentea, aris de veteri more apponerentur, concha marmorea, quae S. Doctoris cineres feliciter servat, ad hanc usque diem delituit. Nunc tamen eam libere cuique licet inspicere. Nam Pontifex munificentissimus anteriorem arae partem, pallio floribus, stirpiumque formis musivi operis ornato, convestivit, quod foramine metallis intertexto, spectantibus objicit veneranda *Gregorii* Lipsana. Quod quidem, optimo sane consilio, in ceteris Bas. Vat. aris fieri jussit, ne si diutius SS. Reliquiae occultae remanerent, earum veneratio sensim restingueretur. *Capsae siquidem*, in qua SS. exuviae conduntur, *adspectus animam inundans*, ut ait Chrysostomus [1], *ipsam percellit, et excitat*; Patresque Concilii Moguntini docent, *Reliquias SS. in Ecclesiis nostris vel ob id proponendas, et relligiosa pietate venerandas, ut per eas fideles commoniti discant virtutes, et SS. fidem imitari*. Itaque ingentes *Pio* VI. gratias habendas esse quis non una mecum fatebitur, qui tot sacrorum Lipsanorum intuitum nobis proposuit, quoddam veluti ad virtutem excolendam incitamentum, tamque insigni ornamento, ad musivae artis gloriam, et incrementum perutili, Basilicam Vaticanam ditavit?

Haec autem, si quis erit, qui praeter rem, praeterque institutum meum, a me fuisse apposita criminabitur, is sciat, me ita animatum erga Virum sanctissimum, et Ecclesiae Magistrum praestantissimum, jam inde a prima aetate fuisse, ut vel longissime occasionem studii erga ipsum mei testificandi accersiturus fuissem, nedum mihi hoc loco semetipsam objicientem, et tamquam ultro occurrentem dimitterem.

1 in libello de S. Babyla Opp. T. I. et in Hom. S. Iuliani.

Quae quidem omnia ad *Gregorii* sepulcrum, translationes, cultumque spectantia, aliis quoque adjecta, quae operis decursu e re nata de eo proferentur, ni fortasse nimium nobis blandimur, in unum veluti fascem collecta, postumam SS. Doctoris gloriam mirum in modum augerent. Ac propterea in nova *Gregorii M.* operum editione, quam multo auctiorem desiderari adhuc sinit postrema a Galliciolio adornata, etsi ad normam *dissertationis Hieronymi Gradonici Arch. Vtinensis* [1], *et epistolae Maurinis inscriptae* a doctissimo *Petro de Castro* [2], fuerit exacta, apte profecto, et utiliter collocari possent.

Verum, ut ad propositum revertamur, antequam hunc locum expediam, heic obiter addendum est, a tribus hisce *Secretariis*, quae adhuc perlustravimus, mirifice confirmari, quod alibi indicatum jam fuit a nobis, post Beveregium [3], Goarium [4], Ducangium [5], aliosque, nimirum *Secretaria*, semper a Templis fuisse sejuncta, et in inferiori navis parte, ad austrum, quae ανδρών vocabatur, ubi viri residebant, collocata.

1 T. xvI. edit. Ven. p. LXXXI.
2 ibid. p. 225.
3 Pand. Canon.
4 in Eucholegio
5 in CP. Christ.



CAPVT XXX.

De veteri Basilicae Vaticanae Bibliotheca.

Esset heic primo Commentarii nostri libro *de Secretariis veteris Basilicae Vaticanae* finis, et modus imponendus. Quoniam vero, ubi supra de *Veterum Christianorum Secretariis* disseruimus, in una earum, ex quibus constabant, parte, *Bibliothecam* exstitisse demonstravimus, nonnulla de *veteri Vaticanae Bas. Bibliotheca* (erat enim *Sacrario Majori*, de quo hactenus egimus, proxima) tamquam Apophoreta, lubet huic libro adponere. Ac profecto magnam me hoc nomine initurum gratiam confido, non modo apud eos, quibus hujusmodi lautitiarum sensus est, sed etiam apud ceteros, quorum mentes, velut stomachus mutatione ciborum, rerum vicissitudine, quadam, ac varietate refici solent.

Adhaesit illa primum, ut ex iis, quae mox afferemus, licet conjicere, *Secretariis antiquissimo*, et *novello*, ac deinde ad hoc alterum transiit, quod hactenus descripsimus; deinde postremis hisce temporibus Basilicae Tabulario adjuncta fuerat, et in exciso nuper *Sacrario* servabatur. Sed praestat ab ejusdem origine exordiri.

§. I.

De Bibliothecae hujus antiquitate.

Ac prima quidem praestantissimae hujusce Bibliothecae veluti rudimenta, S. Zachariae Pontifici debemus, de quo Anastasius [1]. *In praedicta etiam* Ecclesia Sancti Petri *omnes Codices domus suae proprios, qui in circulo anni legun-*

1 T. II. p. 75.

tur ad matutinos, Armarii opere ordinavit. Nam primum Hilarus, Anastasio teste [1], (seu quivis alter Pontificum, ut animadvertit Cl. Tiraboschius [2]), *fecit Oratorium Sancti Stephani in Baptisterio Lateranensi, et Bibliothecas duas in eodem loco*. Eas certatim deinde a Caelestino [3], Leone [4], Gelasio [5], Bonifacio II. [6]; Gregorio M. [7], Martino [8], Leone II. [9], Johanne VI. [10], Gregorio II. [11], Hadriano [12], Nicolao [13], et Stephano VI, auctas fuisse docet idem Anastasius. Itaque *Zacharias* ut tam praeclarum imitaretur exemplum, Basilicam Vaticanam eadem librorum supellectile ornandam curavit, quemadmodum deinde *Stephanum* V. [14] ad S. Paulli, via Ostiensi, praestitisse scimus. Hanc autem primum in *Secretario antiquissimo* sitam fuisse opinor; deinde, aliorum Pontificum curis, et liberalitate amplificatam, ad *novellum*, atque hinc *ad Secretarium majus* translatam fuisse, conjiciendum est. Porro Ambrosius Camaldulensis, qui Vrbem invisit anno MCDXXXII, hujus etiam Bibliothecae meminit, quam [15] *S. Petri Bibliothecam* appellat, ut erudite adnotavit omnibus doctrinarum copiis instructissimus, Hier. Tiraboschius [16], qui praeterea vel ipsam Bibliothecam Lateranensem [17], ab Hilaro constructam, ad Vaticanam Basilicam deinde translatam fuisse censuit.

Verum nemo hanc Bibliothecam copiosius instruxit, quam Card. Jordanus Vrsinus, Tit. SS. Silvestri, et Mar-

1 T. I. §. XII. p. 159.
2 T. II. Hist. Literariae l. IV. p. 383.
3 T. I. p. 138. 4 ibid. p. 151.
5 T. I. §. VI. p. 168. 6 ibid. p. 196.
7 ibid. p. 233. 8 ibid. p. 261.
9 ibid. p. 287. 10 ibid. p. 316.
11 T. II. §. I. pag. 14.
12 ibid. §. LXXXVIII. p. 230.
13 T. III. §. XXXII. p. 189.
14 Murat. Script. Rer. It. T. III. P. I. p. 271.
15 in Odeporico, et l. VII. epist. XLII. In vita Ambros. Camaldul. in Praef. T. III. Anecd. Marten. in T. XIX. Memoires de Niceron p. 1. In Observat. Franc. Dion. Camusati ad Cicconii Bibliothecam p. 850, et apud Mehus p. 408.
16 T. VI. Par. I. pag. 109.
17 T. III. p. 81.

5 X

tini in Montibus [1], Episcopus Sabinensis, qui *gratissima liberalitate*, quod ejus verissimum apud Ciacconium [2] exstat ellogium, *Viros doctos semper fovit, et maximam rarissimorum librorum copiam ex variis Mundi partibus collegit*. Is anno MCDXXXIX., ut putant Ciacconius [3], Vghellius, et Bull. Vat. editores [4], aut potius, ut eorum temporum diario Cl. Tiraboschius [5], aliisque documentis eruditissimus Cajetanus Marinius demonstrarunt [6], anno MCDXXXVIII. diem supremum obiit, et postremis suis tabulis testamentariis [7], Brachiani conditis, die XXVI. Julii anno MCDXXXIV, *ad usum literatorum Virorum, qui ad adipiscendam scientiae margaritam, majorem librorum commoditatem desiderarent*, Bibliothecam legavit Monasterio Ord. S. Benedicti de Via Julia, olim *Via florida*, ad S. Blasii *in Monte secuto*, seu *de Cantu secuto*, aut *securo*, alias della *Panetta*, vel *della Pagnotta*, a buccellis siligineis rite piatis, quae stato die ibidem populo diribentur, de quo vide sis, Panvinium [8], Turrigium [9], Martinellium [10], et Lubinum [11]. Hujus autem Custodes perpetuos, duos Basil. Vat. Beneficiarios constituit, uti liquet ex diplomate *Pii* II, [12] ex quo item discimus, Bibliothecam, quam *magno pretio comparatam, valoris octo milium ducatorum* Ciacconius [13] testatur, in Monasterio *S. Blasii juxta* Cardinalis *voluntatem* fuisse collocatam. Verum Ciacconium Bibliothecae pretium, pro totius hereditatis asse perpe-

1 V.Gio.Ant.Filippini ristretto di tutto quello, che appartiene all'antichità, e venerazione della Chiesa de' SS. Silvestro, e Martino de' Monti. Roma 1639. 4.

2 T. II. col. 719.

3 ibid.

4 T. II. p. 82.

5 T. VI. P. I. p. 205.

6 T. II. de Archiatris Pontif. p. 132.

7 T. II. Bull. Vat. p. 179. 180. 183. in diplomate Pii II.

8 de VII. Eccl. p. 142.

9 Grotte Vatic. p. 272.

10 Rom. ex ethn. sacr. p. 81.

11 pag. 331.

12 T. II. Bull. Vat. p. 189.

13 loc. cit.

ram accepisse, prodit Necrologium Bas. Vat., quod optimi Cardinalis beneficia ita describit [1]. IV. *Kal. Iunii. Ista die anno* M. CCCC. *tricesimi octavi, tempore dñi Eugenii PP. Quarti, obiit recolende memorie Reverendissimus Pater, et Dñus hujus Sacrosancte Bas. dignissimus Archipresbiter, Benefactorque devotissimus, et in omnibus noster benevolus, et Protector Dñus Iordanus de Vrsinis Sabinen. Episcopus Sancte Rom. Ecclesie Card. et Dñi Nostri PP. major Penitentiarius, qui apud Balnea Senarum decedens, ad hanc Basilicam extitit deportatus, et in Cappella Sancte Marie Pregnatis sepultus, condensque suum ultimum testamentum ante tempora sue mortis, prefate Basilice valorem octo millium ducatorum, vel circa reliquit, vid. in paramentis, possessionibus*, Libris, *et rebus jocalibus, aliis, prout sunt planete, dalmatice, tunicelle, pluvialia, in eorum esse completa, alba, rubea, violata, nigra, et cinerea. Item pluviale imperiale de velluto rubeo, de auro imbrocchato cum friso pulcherrimo. Item dalmaticam, et tunicellam imbrocchatas de auro. Item pluviale usatum, album, et imbrocchatum. Item Breviarium, Missale, Salterium pulcherrima. Item casas tres corporalium pulcherrimas. Item Gremalia, seu facistoria quatuor. Item paria sandalium duo. Item tabernaculum parvum de cristallo ornatum de argento cum spinis de corona Dñi Nostri Iesu Christi. Item duo candelabra cristallina etiam ornata de argento. Item Capud Sancti Iacobi Intercisi Mart. Item reliquiarium de ligno magnum, et pulchrum, ac deauratum. Item Capud Sancti Sebastiani Mar. Item duas Cathedras de ferro pro Episcopo celebrante. Item Palatium in regione Pinee, et Parrochia S. Nicolai de Calcarariis, cum censibus domorum vicinarum, ad summam octo...... vel circa, et duas Apo-*

[1] p. 75. et apud Marinium Tom. II. de Archiatris Pontificiis p. 130.

5 X 2

thecas, sub dicto Palatio versus viam anteriorem emptas per eum seorsum, et separatim a dicto Palatio. Item domum in regione S. Eustachii, et Parrocchia S. Marie in Monterone in via Pape, que olim fuit Nutii de Nigris. Item reliquit vineam cum turri XVIII. *petiarum positam in loco, qui dicitur Monte della Creta extra Portam Castelli, in proprietate Basilice. Item mille ducatos aureos, de quibus per suos executores fuerunt expositi sexcen. ducati in emptione domus Magistri Sancti Medici in platea Sancti Laurentii in Damaso. Item et tertia pars domus, sive taberne della vaccha de Parrochia S. Blaxii, della pagnocta empta extitit pro ducentis similibus ducatis. Reliqui vero ducenti reservati fuerunt, et depositi de voluntate executorum, et heredum prefati Domini* pro Libraria costruenda, et ordinanda, in qua libri ducenti, et quinquaginta quatuor sunt locandi, per eum etiam relicti, qui secundum communem existimationem sunt valoris duorum millium, et quingentorum ducatorum auri. *Voluit dictus piissimus Pater, et Dominus, prout et omnes per publico instrumentu promisi..... prefatam Basilicam obligando, ut isto die, et in crastinum, post festum Assumptionis B. M. V. de Mense Augusti, quo ortus sui primordia extiterunt, fierent pro anima ipsius, ac Domini Iohannis Gaytani Cardinalis, etiam de Vrsinis de domo sua, sollemnia anniversaria, et in quolibet eorum expendantur ducati auri* XII. *inter Canonicos, videlicet Beneficiatos, et Clericos interessentes; et in dicta Capella S. Marie pregnantis fit unus Capellanus de nostro Collegio, qui pro anima ipsius, et suorum celebrare debeat Missas tres in qualibet ebdomada, et multa alia ordinavit, et disposuit ad prelibate Basilice, ac nostrorum omnium commodum, et honorem.*

§. II.

Quinam novi Templi locus huic Bibliothecae successerit?

Locus, ubi Cardinalis *Vrsini* Bibliotheca, ceteris Bas. Vat. libris adjecta, primum sita fuit, in Ichnographia designatur, litera m, qui locus, (quantum quidem conjectura assequi licet, in novi Templi structura), est ad laevam e novo *Sacrario* Basilicam introeunti, inter Pilam majoris Tholi, et parietem Basilicae, non tamen implens totum spatium usque ad dextrum transversae Crucis brachium, nec penitus pilam attingens, quae est e regione ingredienti.

Verum, quod pluris interest, hanc *Secretarii* veluti partem fuisse, certo deprehendimus, quamplurium Scriptorum testimonio. Id enim diserte affirmat Severanus [1], qui *supra idem Sacrarium* fuisse prodit *Bibliothecam Basilicae spatiosam, et codicibus vetustis, qui deinde in Bibliothecam Vaticanam illati fuerunt, probe instructam*. Praeterea Ciampinius [2], Bonannius [3], Sarnellius [4], aliique eamdem *Sacrario* conjunctam fuisse declarant, Alpharano teste, atque adstipulatore, qui post *Sacrarii* descriptionem ita loquitur [5]. *Erat etiam ibi extra Basilicae parietes, magna Basilicae Vaticanae Bibliotheca quamplurimis antiquissimis codicibus referta, quae viris doctissimis semper patebat*.

Contra vero M. Ant. Muretus in epistola nuncupa-

1 p. 105. 2 p. 95.

3 p. 29.

4 In Basilicographia cap. XLI. p. 109.

5 Ma nota, che innante che se facesse questo sepolcro (Polyandrium)li Corpi, che se levavano da proprj sepolchri, erano rimessi in altri simili sepolcri contigui, et più vicini, et quando non c'erano sepolcri vicini, li portavano in certe sepolture, quali furno fatte dentro quel luogo, dove era la Libreria vecchia de S. Pietro, appresso alla Sacristia, del quale ne parleremo, quando si dirà della Libreria, et in un'altra gran sepoltura, dietro la Cappella di S. Petronilla, che adesso è sotto i muri novi della fabbrica

toria *Philippicarum Ciceronis ad Adrianum Turnebum*, de eadem ita scriptum reliquit [1]. *Saepe audiveram, commendari ab Hominibus eruditis volumen quoddam perantiquum Philippicarum M. Tullii, quod asservaretur in Bibl. Vaticana, non in majore quidem illa, et augustiore, quae Pontificum beneficio, quotidie fere statis horis patere ad communem studiosorum omnium utilitatem consuevit, sed in abdita quadam, et non ita omnibus pervia, quae a* Sacerdotibus D. Petri, *superioribus annis concinnata, postea sive negligentia hominum, sive fraude, exhausta prope jam, et exinanita esset. Sed anxium me, ac sollicitum habebat, quod quum antea multa per me, multaque per amicum expertus essem, ut eum librum inspicere, eoque triduum, aut quatriduum arbitratu meo uti possem, nunquam successerat, semperque casus aliquis, quum jam jamque id quod optabam, consequuturus viderer, conatus omnes meos eluserat. Statui tamen, antequam ab incoepto desisterem, semel etiam experienda omnia esse, et quasi munitam aliquam arcem diu frustra obsedissem, priusquam, re infecta, discederem, omnibus simul machinis, omnibus operibus ad murum admotis tentandam irruptionem. Quid quaeris? puncto temporis obtigit, quod totum prope biennium necquicquam optaveram. Non modo enim mihi eximium illum librum inspicere licuit, quod ego ipsum posuissem in magno beneficii loco, sed etiam permissum est, ut mecum eum auferrem, domique haberem, data prius fide, eum, quod longissimum esset, ante septimum diem redditum, ac restitutum iri*. Multa vero addit aureo stylo de eximii hujusce Codicis pretio, quem plus minus Seculo IX. ex literarum conformatione, qualem in Pandectis Florentinis, et Terentio P. Bembi videmus, exa-

1 T. III. edit. Comin. in ep. XVIII. p. 143.

ratum esse conjecit. Ejus enim ope fatetur, multa ab se in iisdem orationibus mutila, multa temere addita, multa corrupta, ac in omnibus aliis exemplaribus depravata, mirifice expleta, resecta, sanata, et integritati suae fuisse restituta.

Verum alios etiam Codices ibidem fuisse quantivis pretii, a Latino Latinio proditum est, qui in literis ad Andream Masium a Cl. Lagomarsinio in lucem editis [1] ita scribit. *Faernus, intermisso Livio, ad Terentium absolvendum, iterumque nova diligentia castigandum rediit, jamque ad Phormionem pervenit. Sperat autem, se multis locis postremum hac opera lucem pulcherrimam attulisse, adjutus cum aliquot codicum ope, tum veteris cujusdam Scholiastae, qui* apud Canonicos D. Petri in Bibliotheca *tamdiu latuit, ut pene omnibus seculis ignoratus, nunc videretur primum in lucem prodire. Ab eo se plurima didicisse Faernus ingenue fatetur, quae nulla via se unquam intelligere posse plane desperaret.* Quae quum legas, nitoris, et elegantiae plenissima, facile hinc etiam agnoscas, te jam e *Secretariis* expeditum, ubi forte haud pauca, aspero, atque incondito stylo tuas aures offenderant, modo in Bibliotheca versari.

Haec autem Bibl., *majori Secretario*, cui adhaerebat, exciso, in unum e Cubiculis, quae intra parietes Templi rotundi, in *Sacrarii* usum conversi, constructa fuerant, una cum Bas. Tabulario fuit translata. Locum indicat Panvinius [2] in ejusdem Templi descriptione, ubi ait. *Octava absidula continet parvam Bibliothecam supra se multis libris refertam.*

1 in edit. epist. Iulii Poggiani Tom. II. p. 360. n. LXXXI.
2 T. II. ms. p. 140.

§. III.

Bibliothecae descriptio .

Hujus Bibliothecae fama longe adeo pervagata est, ut eam perlustrare doctissimi Viri, inter pretiosiores Vrbis gazas consueverint, quippe quae, ut Andreas Schottus [1] testatur, inter praestantiores Vrbis Bibliothecas accenseretur. Age vero, si te ista delectant, nos etiam laeti, atque alacres in eamdem recipiamus, a Mabillonio, tamquam manuducti, qui sic eam accurate describit [2]. *Praeter Bibliothecam Pontificiam, quae in Vaticano splendidissima habetur, alia* Vaticanae Basilicae propria *est, in qua Codices ultra centum, quidam optimae notae asservantur. In hanc Bibliothecam aditus nobis concessus est, per humanissimum virum Ios. Balduinum ejus custodem. Codices rariores, et pretiosiores hi sunt. Hilarii Pictaviensis Episcopi opera, scripta ab annis fere mille ducentis, Iosephi antiquitates Iudaicae, Catena Graeca ex Patribus, Bedae Martyrologium auctum, sed antiquum cum Sacramentali. Anselmi Lucensis Episcopi decretum, Hildeberti Cennomanensis, et Bernardi epistolae, Ammianus Marcellinus, Persii Satyrae, itemque Terentii Comaediae antiquissimae. In illo Bedae Martyrologio ad* XII. *Kal. Aprilis assumtio S. Benedicti, et* V. *Idus Iulii depositio S. Benedicti. In Litaniis pro Sabbato Sancto, quidam Sancti invocantur hoc modo. Sancte Gregorie, Sancte Augustine, Sancte Ambrosie, Sancte Hieronime, Sancte Beda, Sancte Antonie, Sancte Paule, Sancte Basilie, Sancte Benedicte, Sancte Maure, Sancte Placide. Quod Sanctus Beda in loco tam illustri collocetur, illud in caussa est, quod ex antiquis monumentis credatur sepultus in Bas. Vat. sive fue-*

1 in lib. II. Itinerarii p. 439.   2 T. I. Musaei Italici p. 141.

rit alius a Beda Anglus, sive ille ipse, ut jam dudum Romanis persuasum est. Sane Romanus S. Petri ante annos quingentos Canonicus, in descriptione Bas. S. Petri insignem facit de Beda mentionem. Requiescit etiam ante portam argenteam, inquit, *sub rota scilicet porphyretica, ut a nostris Majoribus accepimus, Venerabilis Beda Presbyter, qui fecit homilias, et ejus ob reverentiam antiqui nostri, penitus non transiebant per eam, nec nos transire permittebant. In quibusdam etiam Kalendariis duo notantur Bedae, unus Anglicus die* XXVI. *Maji* [1], *alter Italus, qui junior, decimo Aprilis, Monachus Gavellensis Coenobii prope Rhodigium, cujus reliquiae Genuam translatae sunt* [2].

Huic autem Mabillonianae Codicum, Bibliothecae Basilicae Vaticanae, recensioni, addendus est etiam Codex insignis membranaceus, qui Josephi Blanchini [3] diligentiam fugit, ubi graecis literis exarata sunt Evangelia, duabus ligneis tabulis inclusus, quae quid antea continuissent, hujusmodi hendecasyllabi declarant apud Franciscum Mariam Turrigium de Cryptis Vaticanis.

1 V. Vitam Bedae Ven. in ejus Opp. Col. Agripp. 1688. fol. et in Mabill. Act. SS. Ord. S. Ben. Sec. III. P. I. p. 354. et 539. Pet. Franc. Chiffletii Diss. de Auctore Hist. Eccl. Gentis Anglorum, praemissam Concordiae Bedae, et Fredegarii. Paris. 1681. 4. p. 3. Anonymi Epistolam ad Nic. Hier. Gundlingium de Bedae aetate, ac cognomine Venerabilis. in Gundlingii Observ. Select. T. I. p. 161. Francofurti, et Lips. 1707. 8. Casim. Oudini Diss. de Scriptis Bedae Ven. in Tom. I. Commentar. Scriptor. Eccles. pag. 1681. Lip. 1722. fol.

2 Vita Bedae Junioris Monachi in Territorio Rhodigino, cum Comm. praevio, et notis Dan. Papebrochii. In T. I. April. Boll. p. 866.

3 in Evangeliar. quadrupl. lat. versionis ant. seu vet. italicae. Romae 1748. T. IV. fol.

INTVS HAE TABVLAE ANTE CONTINEBANT
MAOMETICA PAVLVS ILLA QVARTVS
AVFERT SVBSTITVIT QVATERNA CHRISTI
HIS EVANGELIA HAEC DICATQVE PETRO
GEMMIS FVLGIDA QVVM FORENT ET AVRO
QVINTVS EXEQVITVR PIVS QVOD ILLE
MORTE TVNC NEQVIT ET REFECTA TRADIT
ARGENTO VNDIQVE NAM FVISSE ADEMPTAS
GEMMAS REPPERIT HINC ADEMPTVM ET AVRVM
HI PETRVM ATQVE DEVM AMBO SEQVE HONORANT

PIVS V. PONT. MAX.
EVANGELIORVM HVNC LIBRVM
GRAECO SERMONE CONSCRIPTVM
A PAVLO IV. PONT. MAX.
B. PETRO MVNERE DESTINATVM
OBTVLIT FERITQVE AMOVENTES
ANATHEMATE

Porro compertum probe est, apud veteres in usu fuisse integumenta scortea, lignea, eburnea, metallica, ut libri a pulveris, tinearum, et temporis injuriis sarti tecti servarentur, quaeque Cicero [1] *Sittybas* appellat. In Codicibus profanis plures ornatus Burkardus Struvius [2] observavit. Verum Christiani sacris codicibus *Sittybas effigiatas* plerumque aptabant, iisque praesertim, quibus Evangelia continebantur. Plura in hanc rem exempla obversantur apud Schmidium *de cultu Evangeliorum* [3], et apud Catalanum de *Codice S. Evangelii* [4]. Verum ut nonnulla proferam ex illustrioribus, *Gregorius Magnus*, misit Adulovaldo [5] *Lectionem Evangelii inclusam Theca Persica*; Rex Chidelbertus [6], *auro puro, gemmisque* convestiri de-

1 ad Attic. l. IV. ep. V, et VIII.
2 de Criterio MSS. Ienae 1713.
3 Ienae 1692.
4 lib. III. cap. I. Romae 1743.
5 epistol. lib. XIV. ep. XII.
6 Gregorius Turonensis hist. Francor. l.c.

mandavit; ac Berardus Abbas [1] Monasterio Farfensi legavit *missalem cum tabulis argenteis, et eburneis*, nec non *Orationalem cum tabulis eburneis*.

§. IIII.

De celeberrimo Codice S. Hilarii.

Inter ceteros Codices a Mabillonio memoratos, qui etiamnum ibidem adservantur, eminet celeberrimus *Hilarii* Antistitis Pictavorum Codex, qui continet *libros* XII. *de Trinitate*, cum *duobus libris in Constantium* [2]. Ibi adhuc videre licet, primitus scriptum fuisse ADOPTATVR, deinde abrasis literis P. et T, superinductum fuisse ADORATVR, et secundis curis adjectam literam R, alia manu, diversoque atramento.

Hujus Codicis characterum specimen exhibet idem Mabillonius *de re diplomatica* [3], ubi quae de eodem refert, heic exscribo. *Verba haec*, inquit, *desumpta sunt ex initio lib.* VI. *de Trinitate S. Hilarii Pictaviensis, prout jacent in vetustissimo Codice, qui Romae in* Archivo Basil. Vat. *asservatur. Ejus specimen describi curavit noster Io. Durandus, annuente Dom. Iosepho Balduino Presbytero Romano, et Custode Archivi S. Petri de Vrbe, et Sacrista ejusdem Ecclesiae. Scriptus est Codex, (si priora folia recentioris Scripturae excipias) sub finem Sec.* IV, *aut ineun-*

1 in Libro de Casibus infaustis Monasterii Farfensis apud Muratorium Antiquit. Medii Aevi Tom. VI. Dissert. LXXII. Mediolani 1743.

2 Vita auct. Fortunato. in Surii vitis SS. d. 13. Ian. p. 180. et praemissa Hilarii Opp. Paris. 1652. fol. eadem notis illustrata in T. I. Ian. Boll. pag. 790. Vita, auct. Ioh. Iac. Grynaeo praemissa edit. Basil. 1570 fol. Ioh. Gillotti de S. Hilario Pictavorum Episcopo, ex ejus scriptis, et aliorum Virorum doctiss. excerpta, et in varias partes distributa Commentatio. Praefixa edit. Paris. 1652. Cas. Oudini Dissert. de vita, et operibus S. Hilarii Pictav. Episc. in Comm. de Script. Eccl. T. I. pag. 426. Lipsiae 1722. fol.

3 lib. V. p. 355.

te v, *ut intelligitur ex adjuncta inscriptione cujusdam studiosi, quam sic reddo. Contuli in nomine Domini Iesu Christi aput Kasulis constitutus, anno quartadecimo Trasamundi Regis. Qui catalogum Archivi praedicti ordinavit, pro aput Kasulis, legit Putzalis, quod est in Africa, inquit, in regione Numidiae, seu Barbariae. Vulgo appellatur Putrazio situm inter Tunetum, et arcem Coletae. Si recte apices Codicis assequor, non dubito esse legendum aput Kasulis, quae Vrbs erat Provinciae Byzacenae, Antonino Casula dicta, cujus Episcopus Quintianus legitur in notitia Africae. Quintianus Casulis Carianensis. Facilis quippe est d. in t. permutatio, qualis est in vocibus haut, set, aliisque similibus, quae in mss. Codicibus non raro occurrit. Holstenius ad oram hujusce adnotationis manu sua scripsit annum quartum decimum Trasamundi Regis convenire anno Christi* DX.

Sed si hujus Codicis aetas ex hujusmodi inscriptione aestimanda est, ineunte Seculo vI. Codicem exaratum esse, manifestum esse, nemo non videt, ac Mabillonio perperam proinde excidisse, scriptum esse, Sec. IV. exeunte, aut v. ineunte. Id etiam Barptholemaeo Germonio neutiquam arrisisse videtur, qui totius Codicis characterum habita ratione, ad IX, aut etiam ad posterius Seculum, potius quam ad vI, ejus scripturam referendam esse existimavit. Verum si Holstenii sententia sequenda esset, ac vI. seculo ineunte, exaratus fuisse Codex censendus esset, jam tum *Hilarii* exemplaria variasse dicendum erit, ac in aliquot mendose antea invectum fuisse verbum ADORATVR, quod Hincmarus tradit a Felice Orgelitano Episcopo in Aquisgranenses S. *Hilarii* Codices perfide inductum fuisse, cui iccirco Diaconus, et Abbas Magister Albinus Flaccus Alcuinus

charitatis calamo scripsit [1] epistolam. Quae quidem omnia exquisita eruditione, ut solet, acerrimoque judicio perpendit Cl. Scipio Maffejus in *Prefatione* novae Editionis Operum ejusdem *S. Hilarii* [2].

Si quis vero de tota controversia certior fieri cupiat, consulat memoratum Germonium in opere doctissimo *de veteribus Haereticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus* [3], ubi Codicis aetatem, characterem, inscriptionem, rasuram denique diligentissime declarat, praeter ea, quae idem adjecit in epistola ad Venetos *Diarii Literarii editores*. Neque vero praetereundus est Petrus Coustantius in opere inscripto, *Vindiciae veterum Codicum confirmatae* [4]. Ibi enim, postquam totius quaestionis historiam descripsit, refert etiam autographa CC. VV. judicia, die xv. Decembris anni MDCCVII. exarata, de eadem voce ADOPTATVR, primaeva lectione corrupta, in ADORATVR, alterius fraude, astuque commutata, quae in operum Hilarii editione Parisiensi, ejusdem Coustantii studio concinnata [5], occurrit.

1 lib. I. contra Felic. pag. 781. edit. Paris.
2 Veronae Tom. II. fol. MDCCXXX.
3 Paris 1713. 8. in P. I. c. 11.
4 Paris. 1715. 8.
5 lib. XI. de Trinitate c. XXVII. p. 802.



C A P V T XXXI.

Indices Bibliothecae Bas. Vat.

Duos hujusce Bibliothecae Indices eruditis Lectoribus proponam. Atque ii ex altero, quem primum e tenebris Tabularii Vat., ubi hactenus delituit, ad lucis usuram, celebritatemque vocare, ac publici juris facere constitui, veterem Bibliothecae statum; ex altero, qui ab Holstenio adornatus, apud Montfauconium [1] occurrit, recentiorem agnoscent. Ac quamvis non satis hunc quidem accuratum esse, pluribus in locis, fatendum est, magnum tamen ad ejusdem pretium, et commendationem, vel in unius Holstenii nomine, momentum erit. Quae res effecit, ut hunc potius Indicem, alteri a Sindonio, jejune digesto, praeferrem, qui in eodem Tabulario adservatur.

Ex his autem facile colligere cuiquam licebit, praeteritum Bibliothecae decus, ac nomen, quae si nunc *exhausta, et exinanita est*, id non *hominum negligentiae, ac fraudi*, ut Muretus calumniatur, tribuendum est, sed partim calamitati publicae, partim novis Pontificum consiliis: quia praeter librorum copiam in Vrbis direptione combustam, aut sublatam, *magnam* eorum *partem*, *ea disjecta*, ut verbis Alpharani utar [2], *Bibliotheca Palatii Apostolici assequuta est*. Jure igitur Bull. Vat. editores [3] Ciampinium obiter perstringunt, qui hanc Bibliothecam perperam [4] *Pontificiam* appellat. Tunc enim primum *Pon-*

1 in Biblioth. Bibliothecarum mss. nova, ubi quae innumeris pene mss. Bibliothecis continentur, ad quodvis litteraturae genus spectantia, et notatu digna describuntur, et indicantur. Paris. 1739. fol. Tom. I. p. 156. 159.

2 ms. p. 31.

3 T. II. p. 183.

4 pag. 95.

tificia ea quidem evasit, quum locus, ubi prius pretiosa librorum haec supellex recondebatur, una cum *Secretario majori* veteris Basilicae disjectus est, et potior Codicum pars in Bibl. Vat. translata fuit. Verum reliqua librariae hujusce supellectilis portio, quam Barpth. Plazza in Ephemeride Vaticana [1] Codicum quadringentorum numerum plus minus adhuc conflare scripsit, quin tamen ullam deinde ejusdem mentionem fecerit, ubi egit de Bibliothecis Romanis [2], vel in dejecto nuper *Sacrario* exstabat, Bas. Vat. Tabulario, uti praemonui, ex veteri more [3] adjuncta, ubi veteris Instrumenti, Sanctorumque Eccl. Patrum Codices, Summorum Pontificum diplomata, Basilicae Censualia, aliaque id genus servabantur.

Sequitur

1 pag. 313. Roma 1687. 4.

2 V. Esevologio Romano, ovvero delle Opere Pie di Roma, con due Trattati delle Accademie, e Librerie celebri. Roma 1698. 4.

3 Balth. Bonifacius de Archivio Liber. in T. I. Thes. Poleni p. 106. I. Fontaninus de Archiviis, et Tabulariis Ecclesiarum, Monasteriorumve, eorumque Custodia. in c. II. de vindiciis antiquorum diplomatum adversus Barth. Germonium. Romae per Franc. Gonzaga 1705. 4. et ibid. in c. III. et IV. de Archivorum fortuna, quod etiam exstat in collectis Archivi, et Cancellariae juribus, accurante Iac. Wanchero. Argentorati 1715. Ioh. Georg. Schultze Commentatio de Bibliothecis in coetu Christiano publicatis. Numb. 1737. 4. Ioh. Car. Beheim Dissert. de Tabulariis sacris veter. Christianor. Altdorf. 1722. 4.



INVENTARIVM LIBRORVM DÑI IORDANI CARD. VRSINI IN NERVLA [1].

Pontificale pro ordinibus celebrandis.
Ordinarium pro dicendo off. in Ecclesia
Concordantie Biblie pulcre et copiose
Rationale divinor. officior. in papiro incomplet.
Legenda et Officium B. M. Magdalene pulcrum
Johannes de Ripa
Tractatus contra Judeos, et super Ag. de Ci. Dei
Periarchon Origenis cum aliquibus tractatibus ejus
Ynnarium completum et pulcrum
Plinius de naturali Ystoria
Ysidorus de Officiis divin. et incipit Dño Sancto
Marescalcia pro equis
Arismetrica Boetii
Etthica Aristotelis per Leonardum Aretin. translata
Vita B. Gregorii per estensum
Liber parvus contra podagram
Dialogus B. Gregorii
Itinerarium B. Clementis PP.
Liber de Trinitate contra Arrianos cum aliis operibus
Egisippus de Bello Judaico
Vita B. Bernardi Abb. per estensum
Cerimoniale Cardinalium in papirio
Distinctiones Mauritii
Breviarium notatum super proprio et Comuni Sanctor.
Liber in quo sunt omnia quatuor Evangelia per Annum
Johacchim super Jeremiam in papiro
Julius de re militari cum aliquibus operibus ejusd.
Nicolaus de lira super certis questionibus in papiro
Speculum naturale Vincentii Secunda pars et pulcra
Aczo super codice
Secunda Summe Sancti Thome de Aquino
Petrus Dammiani in Eplis.
Sextus liber decretalium sine corio
Quartus Riccardi super Li. Sententiarum
Sextus Lib. Decretalium copertus corio albo

1 ex Indice Scripturarum Arch. Bas. Vat. p. 328.

Bernardus super Cantica
Epistole B. Jeronimi
Speculum B. Gregorii satis antiquum
Magister sententiarum
Ystorie scolastice
Epistole Donisii Ariopagite in parvo volumine
Liber contra Ymagin tabular. in papiro
Moralia B. Gregorii incomplets copert. de albo
Psalterium glosarum et pulcrum
Liber in Armenico in papiro
Liber in Armenico de divinis officiis
Galienus in Greco
Cena cipriani
Terentius in comediis
Vguccio super decreto
Decretum copertum de rubro
Liber astrologie in papiro
Summa azonis
Crisostomus super Evangelia in Greco
Basilius super psalterium in Greco
Omelie Iohis Crisostomi in greco
Quidam Libri in papiro ligati cum cingulo
Epistole Pauli postillate et pulcre
Cronicha Summor. Pontificum completa, et ampla
Summa Hostien. super jur. Can.
Summa Azonis
Recollecte Dñi Baldi super codice in papiro.
Cronica martiniana)
Alanus de complan-) in eod. volum.
ctu natur.)
Epistole B. Bernardi Abb. et pulcre
Decisiones rote in papiro
Repertorium super decreto quod dr corvina
Biblia in magno Volumine prima pars
Valerius Maximus in papiro
Visiones S. Brigide.
Exodus Glosatus
Jèronimianum Johannis Andreae
Crisostomus super Mactcum
Johannes de Lignano de censura ecclesiastica
Crisostomus super Epist. Pauli in greco
Alius Liber Crisostomi in greco
Aliqua opera de Auctoritatibus in papiro
Clementine
Disputatio int. militem et Clericum in papiro
Svetonius de XII. Cesaribus et pulcre
Ystoria Longobardorum
Pontificale parvum et portatile
(sic)
Liber auctoritatum qui cipit Ardua virtutum
Quadripartita Dñi almi contra Valdenses et Judeos
Errores Fratricellorum de oppinione
Directorium juris in magno volumine in papiro

Dyalogus Moisi et Petri contra Judeos
Liber orationum quando Prelatus se parat pro celebrando
Distinctio Vrinarum
Alanus in anti Claudiano
Liber insularum Archipelagi et figuratus
Concordantie Jo. Caldarini jur. Canonici et teologie
Libri tres Abatis Johachim
Lutius Florus
Marcus Tulius Cicero
Biblia in magno volumine, secunda pars
Passionale in magno volumine
Plutarcus in Greco
Lectura Dñi Petri de Ancarano in papiro
Liber de quibusdam recollect. in jur. in papiro
Novella Jo. Andree super VI. et pulcra
Liber in Astrologia
Tabula in Astrologia
Veni mecum in papiro
Sermones Joh. Crisostomi in greco
Infortiatum
De primo bello punico Leonardus Aretinus
Rotulus in pergamen. depictus et incipit egiptus
Rotulus in pergamen. depictus et incipit Babillonie
Rotulus in pergamen. depictus et incipit commestor
Rotulus in pergamen. depictus et incipit cum ego Cristofor.

In Formello

Albertus Magnus de vegetabilibus et planctis
Phedon Platonis de mortalitate anime translatus per Leon
Quatuor Libri Regum. Nicolai de Lira.
Gregoriale compositum ex dctis Gregorii secundum materias.
Missale pulcrum
Sextus et Clementine in eod. volumine et pulcri
Novella super
Sexto cum mercurialibus et pulcra
Pontificale satis pulcrum
Agustinus de Civitate Dei
Questiones disputate in jur. civili in magno volumine
Speculum Rationale divinor. offi- cior.
Speculum Guillelmi Durant. cum aditionibus
Decretum
Gorgias Platonis
Breviarium pulcrum et in magno volumine
Petrus de Palud. de potestate PP. et Ecclesie
Sermones S. Leonis PP.
Nicolaus de lira super certa part. Biblie
Alvarus de planctu Ecclesie in duobus voluminibus in papiro
Titus Livius deche tres

Daniel)
XII. Prophe.) glosati in eod.volum.
Nicolaus de lira super IIII. Evangelia
Nicolaus de lira super quinque libros Salomonis
Nicolaus de lira super Job,Thobiam, Judith et hester
Nicolaus de lira super Genesim
Nicolaus de lira super Actus Apostolorum
Nicolaus de lira super Num. et Leviticum etc.
Ysaias Propheta glosatus
Cattolicon pulcer et novus
Decretales
Epistole Pauli Apostoli per Nicolaum de lira
Biblia pulcra , et magni pretii
Johannes Crisostomus
Gregorius super Ezechielem
Augustinus super Enchiriod.
Plutarcus in vitam Titi quintii et quibusdam aliis
Cronica de Veronica S. Petri de Vrbe
Liber de anothomia hominis et proprietatibus rerum
Iohannes Crisostomus de vita monastica
Moralia B. Gregorii super Job.
Vgo Eternianus
Tulius in Rectorica
Gregorius in Omeliis super Evangeliis
Thomas de Aquino in Sa contra gentiles
Sonecti Domini Francisci petrarcha in papiro
Ambrosius in exameron
Episcopale Augustini
Etthica Aristotelis
Pontificale
Sermones Pape Innocentii III.
Liber de mirabilibus Vrbis
Moralia adbreviata
Priscianus Gramaticus
Palladius de Agricultura
Dialogus Baptisti Jeronimi et Agustini
Eutropius
Liber de mirabilibus Ybernie
Epistole Yldeberti
Liber editus per Magistrum Agustinum de Roma de potestate PP.
Psalterium secundum hebraicam veritatem
Sermones B. Zenonis
Epistole Pauli postillate et pulcre
Liber de Armis et insigniis Romanorum antiquorum et de istris bellicis in ipsis .
Legend. Sanctorum
Agustinus de Civitate Dei
Liber de Trinitate
Breviloquiū Dñi Bonaventure Card. in papiro
Agustinus in libro suo Retractationum
Ysaias glosatus
Invective Ciceronis et Salustii cum aliis operibus
Aurora in metro super Biblia

Dionisius de Anglica jerarchia ro. opera sua
Dantes Poeta Florentinus
Ambrosius in exameron
Cronica quedam antiqua
Alvarus de planctu Ecclesie in duobus voluminib.
Julius de divinatione et alii Tractatus
Franciscus Petrarca de vita solitaria
Valerius Maximus
Avitius Marcellinus
Sermones Regis Roberti
Euclides
Scriptum super traiedias Senece
Magister Sententiarum
Bernardus ad Eugenium Papam
Logica Magistri Petri Yspani
Paulus Orosius
Lucanus Poeta
Ystoria Alexandri Magni
Julius de Officiis
Lectura super Dantem poetam
Duodecim Prophete
Asper gramaticus
Dictionarium Magistri Michael. Carmelit. in papiro
Liber Insularum egei pelagi
Plutarcus in Vitas Cimonis et Luculli et alia
Officium in festo B. Januarii Episcopi
Salustius
Orationes Julii
Arismetica Boetii.
Ysidorus ethymologiar.
Virgilius Poeta
Tullius de finibus bonor. et malor. et alia opera
Repertorium optimum super Agustinum de Civitate Dei et super moralia Gregorii, et super Magistrum Sententiarum
Tulius Philippicar.
Vguccio gramaticus de derivationibus
Statius completus Poeta
Plutarcus in quasdam vitas
Iustinus Abreviator trogi pompei
Avicenna non completus
Tomas de Aquino super reth. Aristotel.
Repertorium super decreto
Episcopale Julii
Evangelistarium per totum annum
Petrus Cresc. . . . de Agricultura
Liber de heresibus
(sic)
Lactantantius
Rotulus mappamundi
Epistole Senece ad Lucilium
Cronica
Liber Dñi Bonaventure de exemplis naturalibus
Prephationes edite a B. Ambr. per totum Annum
Sermones B. Bernardi super cantica
Ysidorus
Pastorale B. Gregorii
Ambrosius de officiis de Spiritu Sancto et alii tractatus.
Tulius de natura Deorum.

Dialogus B. Gregorii
Epithaphia antiqua in tabul. Rom. Vrbis
Ysaac de simplicibus in medicina
Pomponius Mela de Cosmografia
Jeremias de Montagnione de auttoritatibus
Dantes Poeta Florentinus pulcr.
Epistole carnoten.
Cassiodorus
Quintilianus Oratio et pulcr.
Magistrentia in jure Canonico et teologia.
Tragedie Senece
Sā. Dñi Goffridi de tño
Sā Confexor. et pulcra
Speculum Jstorial. Vincentii in 4. voluminibus
Omina opera Senece in uno volumine et pulcro
Iohannes Boccatii de casibus Virorum Illustrium etc.
Tulius de Officiis, et de Senectute et sopmnio Scipionis.
Psalterium abreviatum
Codex
Volumen completum
Iohacchim super Prophetiam Cirilli
Sā de Virtutibus
Speculum Naturale prima pars
Vitruvius de Architectura
Lactantius et bonus et pulcer
Tinetus de Fabriano parvum opus
Epistolarium per totum annum
Ystorie Scolastice
Psalterium
Digestum novum
Digestum Vetus
Antifanarium notatum
Sermones de conceptione Virginis
Liber in papiro de gestis concilii pisani.
Tolomeus in greco de Cosmografia mundi ystoriatus et depictus.
Translatio d. Tolomei per Jacobum Angelicum
Lectura Dñi Bartoli super infortiato secunda pars
Codex antiquus
Liber magnus de sermonibus et Omeliis Aymon

In Florentia

Missale parvum de missis Votivis copert. viridi corio
Decretales parve et glosate
Iosephus Antiquitatum in uno volumine
Iosephus de bello Judaico in alio volumine
Innocentius IIII. super decretales
Missale magnum completum et satis pulcrum
Rationale divinorum officiorum copert. de rubro
Biblia parva et satis pulcra
Breviarium in magno volumine
Pontificale pro Episcopis, et aliis ordinationibus
Breviloquium Bonaventure cum certis operibus Bernardi.
Agustinus in enchiridion

Agustinus de operi-)
bus Monacor.) in eod. volum.
Thomas de Aquino)
contra detractores)
religiosor.)
Tractatus de Ludis et antiquis officiis Rome
Missale parvum de Missis prelatorum cantand.
Vita S. Iohannis Crisostomi
Liber qui vocatur veni mecum in pergameno
Missale parvi voluminis et totum completum
Liber de quincta essentia in papiro
Cronica Iohannis Villani in vulgari et papiro
Plautus Comicus et sunt XX. Comedie
Clementine
Boye super .,. in II. voluminibus in papiro
Sextus liber decretalium
Diversi tractatus Dñi Bartoli in papiro
Epistole Pauli Apostoli glosate
Leonardus de Aretio de Ystoria Florentina
Defensorium pacis Ecclesie secund. Adam aglicũ
Prima pars Sũe S. Thome de Aquino
Secunda pars Summe S. Thome de Aquino
Magister Sententiarum
Defensorium Eccl. ortham in papiro
Psalterium postillatum
Egidius de Roma mensura anglõrum et aliis
Breviarium magni voluminis et pulcrum
Milleloquium B. Agustini in duob. Voluminibus magnis
Soliloquiorum Agustini, et alii tractatus
De venis peccatorum)
De oculo morali) in uno volum.
De antiquis phys)
De Religione et aliis virtutibus secund. Colutium
Sermones de B. Vir.)
gine, quod sit con-)
cepta sine peccato) in uno volum.
Bernardus de planctu)
Virginis)
Privilegium Constan-)
tini Imperatoris)
Bonaventura de lig.)
vite) in uno volum.
Ambrosius de Virgi-)
ginitat. et Viduis)
Iohannes Crisostomus)
de consolation. con-)
tra hereticos contra)
Iudeos) in uno volum.
Epist. Basilii ad Gre-)
gorium Nazazenum)
Dia. Basilii et Criso-)
stomi de dignitate)
Sacerdotali)
Vgo de Sancto Victo-)
re de tribus dictis) in eod. volum.
Crisostomus quod)

nemo ledr nisi a se)
ipso)
Anselmus de conce-)
ptu Virginali)
Agustinus in libro)
Confexionum)
Agustinus de vera)
Religione)
Soliloquiorum)
De immortalitate ani-)
me) in uno volum.
De doctrina Chri-)
stiana)
De mendatio)
De perjurio)
Aliqui sermones ejus-)
dem)
Quintus Curtius de gestis Alexandri
De Viris illustribus phys, teologis, et Armigeris
Agustinus de Ser-)
mone Dñi in monte)
Iohs Scolasticus...)
de Scala ad paradi-)
sum)
Iohs Crisostomus de) in uno volnm.
compunctione ani-)
me)
Iohs Crisostomus de)
compunctione cor-)
dis)
Seneca ad novatum)
de Yra.) in eod.volum.
Tractatus aliq. I.are-)
tini)

Passionale nonnullorum Sanctorum
Epistole Tulii
Medicina Cornelii , Aurelii Celsi Roman.
Helius spartianus de vita Cesarum
Atthanasius contra gentiles.
Sermones S. Effrem.)
Basilius de Vera Vir-) in eod.volum.
ginitate)
Cronica de gestis Regum Manfredi corradin. Karoli primi Reg. Scicilie et Petri Aragonum
Agustinus super Epla)
canonica Io. Apli) in uno volum.
Dialogus B. Gregorii)
Quatuor vite patrum)
Cornelius Tacitus)
Columela de Agri-)
cultura) in uno volum.
Orationes Tullii Ci-)
ceronis)
Romulion
Liber super textu Sententiarum
Compendium Theologice Veritat. Tho. de aquino
Libellus parvus de)
virtutibus herba-)
rum) in eod.volum.
Iulius Frontinus de A-)
queductibus Vrbis)
Rotulus generationis Yhu Xpi incipiendo ab Adam
Alius Rotulus similis
Apocalipssis B. Iohis Apostoli postillatus
Plutarcus de vita XVIII. Illustrium

Virorum in uno volumine
Lectura de Jo. de Sanctuciis super decreto
Juvenalis Satirus
De Jurisdictione imperii et auctoritate papali, et aliis
Breviarium parvi voluminis
Regestrum B. Gregorii Pape
Tacuinus in medicina de simplicibus et naturis
Oratius in poetica
Liber de privillegiis Regni Sicilie, et alia opera.
Didimus de Spiritu Sancto
Rotulus in pergameno ubi est pictura mappamundi.
Liber de situ Orient. et de Macchomecto
Moralia B. Gregorii in magno volumine
Liber Serapionis de simplicibus et aliis tractatibus
Egidius de regimine principum
Lanctantius poeta super statium
Franciscus Petrarcha de vita solitaria, et alia opera
Franciscus Petrarcha de remediis utriusq: fortunae
Albertus Magnus de mineralibus
Sinonima Magistri Simonis Januen.
Agustinus pulcer de trinitat.
Agustinus de doctrina Christiana, et multi alii tractatus ejusd.
Magist. de proprietatibus Rerum
Ovidius metamorfoseon
Concilium Constantinopolitanum sextum
et principium libri Ambrosiani
Epistole B. Ignatii ad diversos et
Epistole B. Antonii

Desunt cetera.

IOHANNES PP. XII. ANNO. DNI. DCCCCLX.



V. p. 787, et 1799

INDEX LIBRORVM MSS. ARCHIVII BASILICAE S. PETRI

A CL. V. LVCA HOLSTENIO DICESTVS.

A

Ambrosius

De Officiis, super Lucam*,

Exameron, et alia

Exameron, et alia Opuscula

Super Epistola Pauli ad Romanos

De Sacramentis

De Vnitate Trinitatis, et laudibus ejusdem

Ammiani Marcellini rerum gestarum incipit a lib. xiiiI.

Liber Corio rubro coopertus in Pergameno folio manuscriptus cum insignibus Cardinalis Vrsini, in p°. folio continens

Ammiani Marcellini rerum gestarum libros incipien. a temporibus Constantini Imperatoris

Liber xiiiI. fol.	1
Liber xv.	19
Liber xvI.	34
Liber xviI.	51
Liber xviiI.	68
Liber xix.	79
Liber xx.	92
Liber xxI.	101
Liber xxiI.	146
Liber xxiiI.	161
Liber xxiiiI.	164
Liber xxv.	189

Augustini

Echiridion, et diversa Opuscula

De libero arbitrio.

De Trinitate retractationes, et de haeresibus

De consensu Evangelistarum

Homiliae

Milleloquium Tomus prior, et posterior

De Civitate Dei

De Fide Catholica, et definitione dogmatum, et alii opusc.

Contra Epistolam Parmeniani.

Contra Academicos, et alia diversa.

Epistolae, et alia diversa ejusdem.

Speculum in supradicto libro.

Augustini Epi Anglorum interrogatio dubiorum

ad Gregorium P. Pontificem.

Apocalypsis cum annotationibus.

Augustini de Roma Ord. Eremitarum.

Super Verbis Apocalypsis etc.

Andreae Poenitentiarii Bibliae Concordantiae.

Alvarus de Planctu Ecclesiae Tom. duo.

Andreae Didaci Hispani Lumen Paenitentiariorum.

6 A

Azzonis summa super Codice.
Azzonis summa super Codice, et ejusdem lectura, ac summa etc.
Accursius super Authentica.
Aristotelis Ethica.
Avicenna de curationibus aegritudinum etc.
Arithmetica Boetii, et alia opuscula.
Almanach Perpetuum incipiens ab anno 1300.
Asconius Pedianus in Orationes Ciceronis.
Aurora Petri Righae duplicata.
Alexandri Regis Macedonum cum Poro, et aliis de Bello.
Angeli Rocchae de Imagine S. Gregorii PP., et Scolia in librum Sacramentorum. (*impressus*)
Antonii de Butrio super Decretalibus. (*impressus* 1473.)
Articuli, et quaestiones Theologicae.
Alanus contra Haereticos, Iudaeos, et Paganos.
Angelus Pientinus de anno Iubilaei 1575. (*impressus*)
Alberti Magni Compendium Theologicae veritatis
Apocalypsis expositio.
Angeli Rocchae Commentarius itineris Clementis VIII. ad Ferrariam. (*impressus*)
Acta Apostolorum cum quatuor Evangeliis in (Codex pulcherrime scriptus) Graeco a Pio V. donata.
Alfonsi Ciacconi de Vitis Pontificum et Cardinalium (*impressus*)
Archieple Cardinalis Paleotti (*impressus*)
Anastasii Bibliothecarii de Vitis Pont. (*impressus*)
Anselmi Lucensis Epi Decretum.
Antonii Petri Diarium ab anno 1404. ad 1417.
Angeli de Pas Expositiones in Symbolum Apostolor. (*impressus*)
Aristophanis Commediae, et Gennadii de Fide Xpnor ad Turcas
Abraham Brovii de Pauli V. Burghesii prosapia. (*impressus*)

B

Biblia Sacra.
Biblia a Parabolis Salom. ad Apocalypsim.
Biblia in folio Bambacino impressa a primo Regum ad Psalterium (*impressus*)
Bedae Scintillarum (*impressus*)
Bede super Actis Apostolorum
Beda de die Iudicii Carmen
Beda super Historia veteris Testamenti etc.
Basilii Oratio de recto usu saecularium disciplinarum.
Blondi Roma instaurata. (*impressus*)
Boncore de Sancta Victoria Hymni
Breviaria diversa.
Bernardus super Canticis duplicat.
Bernardi Epistolae.

Bernardi Vita, et alia diversa.
Bernardi de considerat. cum epla Cirilli ad Abbatem Ioachim etc.
Bernardus de Consideratione (*impressus*)
Benedictus Canonicus S. Petri de dignitate Rom. Pont., et Card., et de Ecc. Officio totius anni.
Benedicti Perrerii in Danielem.
Item adversus superstitiosas artes, etc. (*impressus*)
Bonifatii Noni registrum plurium Bullarum.
S. Bruno Eps Signiensis Sermones

C

Callisti secundi Papae de Vita S. Iacobi Zebedei.
Clementis Papae, et Mart. Itinerarium.
Collationes Patrum.
Chrysostomus super Matthaeum, ac de Poenitentia etc.
Chrysostomus adversus vitae Monasticae vituperatores
Chrysostomi Homiliae super Genesim in Graeco.
Chrysostomi, et aliorum expositio super Evangelia in Graeco.
Chrysostomi de Poenitentia reparatione lapsi etc.
Chrysostomi Opera omnia in Tomos quinque (*impressa*)
Caecilii Cipriani liber. est in libro S. Leonis PP. fol. 136.
Corvina super Decreto.
Clementinae Glossatae ex Institutione Civili
Codex Iustiniani.
Commentaria D. Thomae de Aquino super Ethicam
Critonis disputatio ad liberandum Socratem.
Contentio Alexandri, Annibalis, et Scipionis de exc. in armis.
Custodia Sanitatis, Halibiem Medico Africano Auctore.
Claudii Ptolomaei Cosmographia Orbis.
Commentaria super p. Sententiarum.
Compendium Theologicae veritatis Alberti Magni, et summa Casuum.
Commentarius de Canonizat. Sanctorum, Angelo Rocca Auctore (*impressus*)
Concilium Lateranense sub Martino P.
Concilium Tridentinum impressum, et elucidationes ejusdem (*impressum*)
Chrophori Gabrerae de cognoscendo spum bonum a malo.

D

De SS. Martyrum Cruciatibus Auctore Antonio Gallonio (*impressus*)
De Vita claustrali.

F

G

Galeni Opera in Graeco.

Goffredi de Trano super Rubrica Decretalium

Gottifredus de Alatrio super Decretis

Geraldi Cambrensis de mirabilibus Hiberniae.

Guillelmi Durantis speculum judiciale cum annotationibus Ioannis Andreae vol. quatuor. (*unus impressus* 1474.)

Guillelmi Durantis Repertorium super toto corpore Iuris (*impressus* 1474.)

Gregorii moralia volum. quinque.

Gregorius in Ezechielem

Gregorii Homiliae

Gregorii Dialogi

Gregorii Pastorale.

Gregorii Speculum, sive institutio vitae spiritualis ex S. Gregorii Operibus collecta, et per diversa Capitula digesta.

Gregorii Vita per Ioannem Diac. vol. duo.

Gregorialis.

Gradualia diversa antiqua.

Gregorii registrum, et Canones Apostolorum.

Garsiae Lonisae Collectio Conciliorum Hispaniae. (*impressus*)

H

Hieronymi expositio in Isaiam.

Hieronymi ordo vivendi circa Regulam Sacrarum Virginum.

Hieronymus super Marcum.

Hieronymus super Isaiam.

Hieronymus Expositio Psalterii.

Hieronymus super libris Prophetarum incipien. ab Osea.

Hieronymus Epistolarum pars I. et II. tomi duo (*impressi* 1474.)

Hieronymus ad Tisiphontem, et ejusdem Dialogus

Hieronymi Testamentum

Hieronymi Eplae in uno volumine

Hieronymi in Cronicon Eusebii Caesariensis translatio.

Hieronymus super Matthaeum, et contra Elvidium de Virginitate.

Hieronymianum Opus compositum per Ioannem Andream I. C.

Hilarius de Trinitate contra Arianos. (*Codex admirandae vetustatis, scriptus anno Xpi* DX, *antiquissimus annorum* MCLXVI.)

Hieremiae Montagnani Moralia.

Hymnarium postillatum, et Donati Grammatica, et alia.

Halieben discipuli Aliemer Saraceni Medici Africani famosissimi de regali dispositione sanitatis humanae etc.

Historia Ecclca della Rivoluzione dell'Inghilterra etc. (*impressus*)

Legendarium SS. duplicatum authore fratre Iacobo de Voragine.

Leborini Diaconi de Translatione, et invent. Sñi Crucifixi Lucensis.

Lucani Opera.

Liber sententiarum de diversis voluminibus coaptatus, et alia etc.

Liber de re Vxoria ad Laurentium Medicum.

Liber de locis venerandis solemnibus feriis Xñis oblationibus.

Libri Prophetarum.

Liber de mensibus, diebus, horis, et punctis Solis et Lunae etc.

M

Marinus de Cuolo Innoc. 4. Vicecanc. formularium Bullar.

Martini Poenitentiarii deffinitiones super Decretis.

Monitio Physici Phylosophi ad Tullium.

Martyrologium Bedae, et alia diversa Opuscula.

Martyrologium Cardinalis Baronii. (*impress.*)

Missalia diversa n. 35.

Magistri Sententiarum volum. duo.

Mauritii deffinitiones.

Michaelis Carmelitae distinctiones Lrarum A. et C.

Mareschia Equorum.

Maffei Vegii de Praestantia Basilicae S. Petri.

Meditationes super vII. Psalmis charactere Longobardico.

Martyrologia Benefactorum Basilic.

Mutii Ricerii in Argenteam P. Magni Epi, et Mart. Panegiris.

N

Nicolai de Lira.

Nicolai de Lira Postilla super Evangelia Quadragesimae.

De Lira Postillae super Genesi, Exodo, Levitico

De lira Postillae a lib. Numeri ad lib. Ester.

De Lira Postillae a p. Regum ad lib. Nehemias.

De Lira Postillae a lib. Proverbiorum ad Ecclicum

Nicolai de Lira Postillae super lib. Prophetarum vol. 2.

De Lira Postillae super Psalmis.

De Lira Postillae super lib. Novi Testamenti

De Lira Quaestio contra Iudaeum.

De Lira de differentia Irae haebraicae a translatione nra

De Lira tractatus de visione Divinae essentiae.

Nicolai Bonajuti in fig. Paradisi, et quatuor virtutibus.

Nicolai Bonaiuti Carmen Basilicae

Nicolai Bonaiuti Carmen S. Hierusalem

Nicolai Bonaiuti Eplarum. Item in fig. Romanae Cathedra.

Orosii Cronicou.

Honuphrii Panvinii Augustiniani de Praestantia Basilicae volum. tria, cum alio lib. parvo in f.

O

Orationalia

Origenis Periarchon lib. 4. et alia diversa.

Porphyrii Isagoge, praedicamenta, et alia pro Dialecticis.

Pomponii Melae Cosmographia, cum Vitis Alex. et Caesaris ex Plutarcho.

Postillae a lib. Genesis ad lib. Sapientiae sine authoris. nomine.

P

Palladius de Agricultura

Petrus Crescentius Ruralium Commodorum.

Petri Damiani Opera. Item Vita S. Bernardi.

Psalterium postillatum.

Psalterium cum exposit. ad usum Cleri Bas. S. Petri.

Psalterium, et Hymnarium ad usum Basilicae.

Plutarchus de Vitis 14. Illustrium.

Pompeii Magni, et M. Antonii Vitae ex Plutarcho.

Plinii Junioris naturalis historiae

Praefationes Ambrosianae Petri Archiepi Mediolanen. qui postea Alexander V. PP. fuit

Psalteria diversa.

Prisciani Grammatica.

Petri Commestonii historia a lib. Genesis ad Ascensionem Dñi.

Platonis Timeus, et alia diversa.

Platonis de Rethorica, et de immortalitate animae.

Persii Poetae Satyrae antiquissimae vetustatis.

Petri Mallii Can. S. Petri Opusculum hist. Sacrae super antiquitatibus Basil. S. Petri.

Profacii Iudaei Aimanach perpetuum Incipien. ab anno 1300.

Petri Lombardi Psalterium cum glossis.

Pontificale Romanum antiquum.

Q

Quatuor Evangelia in Graeco a Pio V. donata.

Quintiliani Opera.

Quinarius lib. super Ecclicis officiis.

Quaestiones de Anima D. Augustini.

Quatuor Evangelia.

R

S. Raymundi Ord. Praedic. Greg. ex Poenitentiarii Summa

Rationale divinorum Offorum duplicat.

Regum libri quatuor.

Roberti Palebardi Card. Summaria in lib. de Civitate Dei.

Riccardi de Mediavilla super señtias

Relatio Canonizationis S. Didaci (*impressus*)

Rolandini Nŏtii Rom. flos. super testam. Donat.

Romualdi Archiepi Salernitani cronicon usque ad tempus Alexandri III.

S

Sermones diversi antiquo Armeno charactere conscripti.

Summa casuum conscientiae fratris Raymundi

Summa casuum sine nomine authoris.

Simplicii Magni Scholia in praedicam. Arlis

Statii Thebaidos

Senecae Tragediae.

Senecae Epistolae

Senecae de Consolatione

Speculum historiale fratris Vincentii pars 1. 2. 3. 4.

Speculum naturale ejusdem pars 2.

Sermones Arboris ad Status Clericorum, Laicor. etc.

Sermones de Paradiso, et aliis sine nomine etc.

Sermones diversi sine authoris nomine.

Sermones diversi etiam sine authoris nomine.

Strabi expositio difficilium nominum utriusque Testam.

Simonis de Cassia Expositio Evangelii.

Summa de Titulis decretalium Archiep. Ebred.

Summa Ostiensis impressa 1474.

Summa Altisiodorensis.

Symphoriani Camperii de quadruplici vita.

Enchiridion Sixti Pitagorici, Isocratis Oratio, Silvae medicinales, et quaedam ex Plinio jun. Trophaeum Gallorum.

Summa Veritatis Theologicae, Itinerarium Verbi Dei, et alia etc.

Sixti Senensis Bibliotheca Sancta.

T

Thomae de Aquino super Ethicam.

Thomae de Aquino summa contra Gentiles.

Thomae de Aquino Summae pars 2. secundi libri.

Testamentum novum

Testamentum Vetus a Genesi usque ad Iosue

Tabula super libris de Civitate Dei, Moralium Gregorii, Auctoritatibus Bibliae, et Magistri sententiarum compilata per Michaelem de Bononia Carmelitam.

Tabula señtiarum Bibliae Ioannis Caldarini

Terentii Comediae antiquissimae.

Terentii Comediae cum postillis.

EXPLICIT LIBER DE SECRETARIIS
VETERIS BASILICAE VATICANAE.



DE CIRCO
CAII ET NERONIS
AC DE
TEMPLO ROTVNDO
S. PETRONILLAE

DE CIRCO CAII ET NERONIS
AC DE TEMPLO ROTVNDO
S. PETRONILLAE.

Antequam de *Secretariis novae Basilicae Vaticanae* disputandi initium facio, operae pretium erit, si nonnulla cum Lectoribus meis communicem *de Circo*, *deque Hortis*, *et Naumachia Neronis*, ubi Templa duo, figurae orbicularis, quorum unum in *Sacrarii* usum postmodum cessit, ac nostris ipsimet oculis usurpavimus, erecta esse comperimus. Quumque alterum Templum *S. Petronillae* dicatum, Paullo III. imperante, una cum superiori veteris Bas. parte, ut nova, ampliorque exstrueretur, solo dejectum fuerit, de eodem in primis a me disserendum, veramque ejus originem, ac vices sedulo indagandas, ac persequendas esse duco. Aequum est enim, ut quum tanto ante, hoc idem quamsimillimum, maximeque geminum *D. N. Mariae Febrifugiae* Templum, de medio sublatum fuerit, ejus prius, quam hujus memoriae conservandae operam navemus, ut si minus ejus adspectus, quod amplius non potest, recordatio certe apud Posteros vigeat. Quod si cuiquam longius, quam par sit, repetita res esse videatur, is si parum nobis patientiae praestet, deprehendet profecto, haec ad rei ipsius illustrationem quam maxime conducere; ac propterea, quum, quem in corpore caput, eumdem illa in hoc opere locum obtineant, nullo modo a me fuisse praetermittenda, non invitus fatebitur. Ipse enim locus, in quo versamur, tacite quodammodo nos admonet, ut nonnulla verba de eo faciamus.

C A P V T I.

De Circo Caij, et Neronis, ac de Hortis, et Naumachia iis adjecta.

§. I.

De Circo Neroniano.

Quod Nardinius [1], Bonannius [2], Sindonius [3], quum de *Circo Neroniano* agerent, praemittendum sibi esse existimarunt, idem a me praestandum omnino esse arbitror. Quapropter eorum vestigiis insistens, in medium proferam Jac. Grimaldi verba, qui totum Circum ita nobis graphice descripsit. *Anno*, inquit [4], MDCXVI, *dum Scalae S. Petri amoverentur, apparuerunt muri antiqui reticulati crassi, qui videbantur fuisse e ruinis turrium Circi; ibi repertus fuit aereus numus Agrippinae Aug. Dum fundaretur haec altera Vaticani Templi pars sub Paullo V, inspectum est, Circi longitudinem fuisse palm.* DCCXX. *roman. latitudinem* CD. *area, ubi ludi edebantur, lata palm.* CCXXX. *Incipiebat ab infimis gradibus Basilicae, desinebat, ubi nunc est Ecclesia S. Marthae, retro absidam, ad occasum. Obeliscus erat in medio, qui locus nunc est retro Sacellum Chori. Extremus Basilicae paries, et duplex columnatum SS. Crucifixi, et S. Andreae, fundatum erat supra tres magnos parietes Circi Caij, et Neronis supradicti. Similis erat Circo Caracallae, qui hodie pro majori parte exstat, altis utrinque parietibus cinctus erat, ternis ab una parte, super quibus exstabant, dictae naves Crucifixi, et S. Andreae, et ternis ab altera, ubi nunc est Coemeterium Campi S., qui se in longum trahentes lateritii sustinebant olim arcuatos fornices, in quibus*

1 in Rom. ant. l. VII. cap. XIII. p. 1307. 2 p. 22. 3 p. 82. 4 fol. MSS. 116.

sedilia exstabant pro spectatoribus. Inter utrumque parietem spatium latum p. XLII. *semis erat; A capite ad pedes nullum impedimentum, sed tamquam tabulationes, et curritoria e ruinis ipsis conspiciebantur. Horum parietum postremum in Circum respicientem, dum terra fundamenti Chori egereretur, mensurandum curavi. Altus erat paries ipse ab area palmis* XXXI. *semis, latus p.* XIV. *fundatus p.* XXX. *Antiquae Bas. Vat. a Constantino Max. fabrefactae facies exterior, apsis, et muri extremi, ac illi super columnis surgentes, qui tecta gravi pondere sustinebant, e laterum trophorumque fragmentis, Circo, adjacentibusque aedificiis eversis, celeri opera, rudique arte aedificati fuerant. Basilicam ipsam brevi tempore a Constantino acceleratam fuisse, fides oculata testatur. Capitella partim absoluta, partim imperfecta, bases multae columnis assimiles; fenestellae arcuatae, lateritiae primum, germanico opere marmoreae effectae. Limina ex magnis marmoribus, quae ablata esse ex Circo, vel alterius aedificii ruinis, pars inferior terra obruta indicabat, quum sub uno ex his modice arcuato Rosae sculptae erant, in altero literae legebantur CVM SPECVLATOR, quas judicatum est, arcum, seu locum speculatorium ipsius forsitan Circi significasse.*

Huic narrationi, cui certe ab omnibus subscribendum esse, nemo non videt, (quippe quae in dejectione veteris Basilicae, auctoritate publica exarata fuit a Grimaldo ad hoc muneris adlecto, ac constituto,) adversatur tamen Karolus Fontana [1], Pyrrhi Ligorii auctoritate deceptus. Hic enim affirmat [2], Circum hunc, usque ad eum locum, ubi nunc Templum Deiparae trans Pontem Aelium, pervenisse. Quare Fontana ejus sententiae adhaerens, asserere non dubitavit, *Carceres* ejusdem Circi *in*

1 lib. I. cap. vI.

2 de Roma ant. p. 3.

parte orientali, atque *in occidentali* partem ejus *circularem* esse collocandam, ejusque longitudinem protendi *usque ad Rusticucciana domicilia, ubi jam ad exstructum recens Theatrum patet accessus, quoniam ab eo ultra Divam Martham aequum capit intervallum ad necessariam ludorum in eodem Circo dispositionem*.

Haec isti; cujus erroris caussam Ferdinandus Karolus apud Severanum [1], aperte, ni fallor, detexit. Quum enim Ligorius, prope domum Rusticuccianam, sive ad contiguam B. Virginis aedem, nonnulla Circi vestigia observasset, iccirco illic Circi Neroniani finem exstitisse sibi persuasit. Quod longe secus esse, Ferd. Karolus palam facit. Duos enim Circos in Campo Vaticano ab se repertos fuisse testatur, uti quidem ex Panvinio etiam constat, qui *Regione* XIV. describit *Circum Vaticanum, in quo Obeliscus pedum* LXXII, *et Circum Domitiae in pratis*, et ubi agit de ludis Circensibus, primum disserit *de Circo Vaticano*, ac deinde *de Circo Neronis* [2].

Quapropter Dom. Georgii sententia repudianda omnino est, qui [3] in Domitiae Hortis, Circum minime admittendum esse censuit, ac Baronium, qui [4] aliter senserat, a Panvinio in errorem inductum esse affirmavit. Vtut enim sit de P. Victoris silentio, apud quem Horti Domitiae tantum occurrunt, qui a Capitolino [5], Dione [6], Suetonio [7], Flavio Vopisco [8] sub eodem *Hortorum* nomine tantummodo memorantur, quisnam refragari poterit Ferd. Karoli observationibus, qui rem, ut ita dicam, manu

1 lib. I. cap. vI.

2 in Tom. IX. Thesauri Graevii pag. 240, et 241.

3 in Martyrologio Adonis p. 504.

4 ad ann. 140. num. II. et ad ann. 531. num. vII., et in Martyrologio p. 481.

5 in Antonino Pio cap. v.

6 in Hadriano

7 in Neronis vita cap. 34.

8 in Aureliani vita c. 49.

tetigit, ac Panvinii, Baronii, Donati [1] sententiam mirifice comprobavit.

Ex his porro Circis, illum a Cajo coeptum, et Augusto dicatum, Neio seu perfecit, seu exornavit, seu potius frequentibus ludis, ceterisque spectaculis Circensibus edendis celebravit. Hunc autem lateri Collis innixum ad meridiem, pone viam triumphalem, idem Karolus collocavit, non minus ex detectis ipsius vestigiis, quam ex compertae sibi rei, veterumque monumentorum fide, ubi postea Constantinus Basilicam excitavit. Alterum vero exstitisse tradit ad boreales montis radices in Domitiae, Neronis Amitae, Hortis, qui deinde Neroniani ab ejusdem scelestissimi Principis nomine cognominati sunt. Ex quibus patet, Cajanum Circum eo situ, ac positu fuisse, ut Carceres quidem solem occidentem spectarent, Porta maxima ortum intueretur; contra autem Neroniani Carceres ad ortum, Porta maxima ad occasum verteretur. Nam Metae in Circo binae erant, infra, supraque. Ita autem propinqui, ac dispositi invicem erant, ut inter utrumque Circum triumphalis ager extenderetur, ad Flumen usque productus, et utraque utriusque Circi Porta, ita sese respiceret, ut linea recta in longitudinem stadii, inter utrumque deducta, in utramque etiam desineret.

Quae quidem etiamsi Ligorii, et Fontanae opinionem aperte revincant, haec tamen aliis etiam argumentis improbari posset. Nam, ut recte Bonannius [2] animadvertit, si Obeliscus in Circi meditullio collocatus fuit, ut ex Grimaldo, et omnibus monumentis certo constat, profecto istius longitudinem adeo productam fuisse, ne-

1 Rom. vet. ac rec. p.451. 2 pag. 25.

mo sibi persuaserit, ut a Porta ad Carceres, palmi interfuerint DCLXXX, a metis vero, et Spina ad Euripum, vel gradus, dumtaxat CLX, etsi Circus figurae ellipticae longior esset, quam latior.

His adde, quod Nardinius [1] Circi extremitatem in parte occidentali ad locum, ubi primum Apostolorum Principi Anacletus Pontifex memoriam excitavit, minime pervenisse putat. Quod etiamsi demus, non ita esse, illud tamen inficiari nemo poterit, Circum ulterius extendi minime potuisse, ob impendentis Vaticani montis impedimentum. Diserte enim Tacitus [2] *spatium, in quo equos Nero haud promiscuo spectaculo regeret, clausum valle Vaticana* fuisse testatur.

Quocirca amplectenda quidem est Ferd. Karoli descriptio, quam Matthaeo Radero, ex epistola ad Allatium, adeo arrisisse deprehendimus, ut *nihil illustrius* fieri posse judicaverit. Haec autem, cum altera Iac. Grimaldi, quam supra audivimus, circa longitudinem apprime consonat, ac tantum de latitudine, et de arenae spatio aliquantulum discrepat. Hic idem locus ab Anastasio in vita Gregorii III. *Neronis Campus* nominatur, ubi [3], narrat, Muratorio [4] necquicquam contra Baronium [5] refragante, Liutprandi in Vrbem hostilitates. *Hujus temporibus concussa est Provincia Romanorum, ditioni subjecta nefandorum Langobardorum, seu et Regi eorum Liutprando, veniensque Romam, in* Campo Neronis *tentoria tetendit, depraedataque Campania, multos Nobiles de Romanis, more Langobardorum, totondit, atque vestivit.*

Atque haec de Circo [6] praefanda erant, quod et

1 cap. XIII. p. 307.
2 lib. XIV.
3 T. II. §. XIV. p. 55:
4 in Annal. Ital.
5 in Annal. Eccles.
6 V. Pitiscum in Circo Neronis.

frequentior infra de eodem redibit sermo, iisque, de quibus postea disseremus, major inde lux oborietur. Nunc ad *Hortos*, Circo conterminos, parumper oculos convertamus.

§. II.

De Hortis Circo Vaticano conterminis.

Hortos Vaticanos Cajus item possedit, ab Agrippina Matre, Germanici Vxsore sibi relictos; de quo est illud Senecae [1]. *Deinde adeo impatiens fuit differendae voluptatis, ut in xysto maternorum Hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum Matronis, atque aliis Senatoribus ad lucernam decollaret.*

Iure igitur Marlianus [2], Donatus [3], et cum iis Nardinius [4], Borrichius [5], et Pitiscus [6] observant, Xystum, Porticum, Hortosque, ripam Tiberis cum Circo conjungentes, id spatii occupasse, quod intra Pontis triumphalis rudera, Molemque Adrianam intercedit, usque ad Vaticanam Basilicam, quodque nunc *veteris, et novi Burgi* appellatione distinguitur. Hoc idem luculenter designavit Philo de *Legatione ad Cajum*, ubi ait. *Excipiens enim nos in Campo ad Tiberim, primum quum exiret de maternis Hortis*; quibus hortis postea potita est altera Agrippina, Caii Soror, et Neronis Mater. Quare constat, *Circum Neronianum*, hortis, et viae insedisse, quae a Ponte triumphali ad Vaticanum deducebat. Sed de his satis. Horret enim, ac refugit animus, diutius heic immorari, ob feralem illam Christianorum cladem, quam

1 lib. III. de ira cap. 18.
2 in Vrbis Romae Topographia.
3 in Roma vet. ac rec.
4 c.XXIII.de antiq.Roman.Hortis p.450.
5 in ant. Vrb. fac. c. XVI. §. III.
6 in Lexico in Hortis Agrippinae.

ibidem, veluti ludicram quamdam exercitationem, immanissimus Imperator populo exhibuit [1].

§. III.

De Naumachia Vaticana.

Nunc de *Naumachia* dicendum est, quam Romanorum antiquitatum scientissimi F. Albertinus [2], Andreas Fulvius, Marlianus, et L. Faunus, in Vaticano sitam fuisse tradiderunt, vetustiorum scriptorum testimonio innixi, etsi Baronius, quem sequuti sunt Donatus [3], et Boissardus [4], Hortis Neronis *Naumachiae* nomen appositum fuisse contendat, pro situ indicando, ubi Euripus erat ad ludorum navalium usum. Praeterea quum una ex pluribus, quae in Vrbe erant, ad navalium praeliorum celebrandam speciem, in Transtiberina regione, ad radices Ianiculi, exstructa esset, ex hoc plerique argumentati sunt, ibidem Principem Apostolorum supremum diem obiisse. Hanc porro opinionem alia etiam tuentur rationum momenta, quae opportunius paullo infra expendemus. Quid enim haec iis posset suffragari? Numquid una tantum *Naumachia* in Vrbe fuit? Atqui plures a P. Victore in ipsa reg. XV. recensentur.

Quid, quod ipsa B. Petri acta, etsi falso sub Lini [5] nomine circumferuntur, totam Vaticanam planitiem, *Nau-*

1 Tacit. Annal. lib. XV. Sueton. in Neron. Tillemont. Hist. Eccl. T. I. et Hist. des Emper. T. I. Bolland. acta SS. Iunii T. IV. p. 807. Martyrolog. Rom. die XXIV. Iunii.

2 fol. XIV. et XXIX. de Mirab. Vr. Rom.

3 de Vrbe Roma l. III. c. XXIII.

4 Topogr. Vrb. Romae T. I. p. 9. V. Piscum in *Naumachia*.

5 Jac. Faber ad calcem commentar. in epistolas Pauli. Paris 1652. fol. Laur. Barre In Hist. Christ. veterum PP. Paris 1583. fol. p. 51. B. Lini de Passione Petri, et Paulli Libri duo. Exst. in Bibl. PP. Lugd. T. II. p. 67. Acta S. Petri S. Lino ejus discipulo, et successori supposita, cum notis Godofr. Henschenii. V. Acta SS. T. V. Iunii p. 424. Nicol. Nourrii dissertation. in duos Libros B. Lini de passione Petri, et Paulli. in apparatu ad Bibl. PP. Parisiens. T. I. p. 71.

machiam fuisse nuncupatam, ac Petrum Cruci adfixum aperte demonstant, juxta Neronis Obeliscum, qui pone dejectum *Sacrarium* exstabat? Siquidem haec habet Aringhius, qui eorumdem Actorum verba e graeco in latinum sermonem convertit [1]. *Pervenit denique una cum Apostolo, et apparitoribus Populus infinitus ad locum, qui appellatur* Naumachia, juxta Obeliscum Neronis *in monte*. Itemque paullo supra, *deducitur*, inquit, *Petrus in eam partem montis Vaticani, quae superne arborem Terebinthum habet, et inferne in subjecta planitie* Naumachiam ..... *Sustulerunt Corpus S. Petri clam, et posuerunt illud* sub Terebintho prope Naumachiam *in loco, qui dicitur Vaticanus*.

Verum etiam ex Anastasio, *Naumachiam* in Vaticano exstitisse liquet, qui in vita S. Leonis III. bis, et in Paschalis I. vita semel eam nobis, disertissime designavit. Alter ex Leonis III. gestis locus sic habet [2]. *In Oratorio S. Peregrini, quod ponitur in Hospitali Dominico ad* Naumachiam, *fecit canistrum ex argento pensantem libras* v, *et unciam unam*. Alter est hujusmodi [3]. *Hic autem praeclarus Antistes divinitus inspiratus, Hospitale B. Petro Apostolo in loco, qui* Naumachia (alii Codd. legunt *Nummentia*) *a fundamentis noviter construens, diversa illic domorum aedificia decoravit, atque Ecclesiam in honorem B. Principis Apostolorum de novo construxit*. Recte igitur Blondus Flavius memoriae tradidit, quod [4] *in vita B. Petri habetur, Ecclesiam S. Petri exstructam fuisse* apud Naumachiam, *pariterque hospitale, quod Leo Papa* III. *aedificavit, e regione Ecclesiae S. Andreae a Symmacho Papa* I. *dedicatae, et S. Petronellae, qua Templum Apollinis in Obeliscum vergit*, Nau-

1 T. I. Rom. Subt. p. 226.
2 T. II. §. LXXXI. p. 295.
3 ibid. §. xc. p. 301.
4 Rom. Inst. T. I. p. 430.

machia *appellatum est*. Tertium denique Anastasii locum de *Naumachia Vaticana*, habemus in vita Paschalis I, ubi memorat [1] *Hospitale S. Peregrini positum* ad B. Petrum Apostolum, *in loco, qui vocatur* Naumachia, *quod idem praedecessor suus construxerat*.

Item Aedem S. Peregrini, eique adjunctum ad S. Petri limina proficiscentium Hospitium, et *Naumachiam*, inter bona Monasterii *S. Stephani Majoris*, (quod unum olim fuisse, ex domiciliis Vaticanae Basil. inservientium, suo loco videbimus), S. Leo IX. percenset in suo diplomate [2], ubi tamen vel latini idiomatis corruptione, vel librariorum oscitatione, aut imperitia, *Dalmachia* pro *Naumachia* legitur. Verum id mirum non est, quum idem vocabulum in *Nummentiam*, uti vidimus apud Anastasium, et in *Almachiam*, teste Ferd. Karolo apud Severanum [3], degeneraverit.

Neque illud omittam, Sanctam Zoen, S. Nicostrati uxsorem, ut B. Sebastiani M. acta [4] testantur, quum ad B. Petri sepulcrum impensius oraret, captam a Paganis, et ad regionis *Naumachiae* Patronum, confestim fuisse perductam.

Quamobrem locum, qui *Naumachia* dicebatur, in area Circi ad radices Collis Vaticani, ubi Nero spectacula edebat, post absidem Templi, Aedem versus S. Peregrini, quae, ut tradunt Bull. Vat. editores [5], exstabat *post Palatium Pontificio Vaticanum, prope Vrbis Portam, quae Angelica vocatur*, fuisse, nemo inficias iverit. Quae quidem *Naumachia*, quam, ut ait Vegius [6], *proximam Circo Nero*

1 T. II. §. XVIII. p. 332.

2 T. I. Bull. Vat. p. 28. et apud Aringum T. II. Rom. Subter. l. III. c. XVI.

3 de vII. Eccl. p. 286.

4 apud Mazochium in Kalend. Neapol. p. 16. T. I. Sabbatinium T. I. p. 130, et Bolland. T. II. Ianuar. p. 276, et T. II. Julii p. 221.

5 T. I. p. 29.

6 T. VI. Junii Boll. p. 26.

statuit, usque ad Romuli sepulcrum, seu *Memoriam*, uti vocat Benedictus Canonicus [1], pone Aedem S. M. trans Pontem Aelium, ex insignibus locis Anonymi de *Mirabilibus Romae*, et P. Mallii, quae sequenti capite afferemus, pervenisse videtur.

Equidem scio, Baronium [2], et Donatum [3] in ea fuisse sententia, ut Circum ipsum, *Naumachiam* appellatum fuisse sibi persuaserint, quod nimirum Euripus ibidem esset, ex quo aqua in arenam effundi posset ad ludos navales. At tantum aquae arena capere non poterat, quantum opus erat, ut naves agi possent. Adde vero et veterum Scriptorum silentium, apud quos de *Naumachia Neroniana* in eodem Circo, ne verbum quidem. Sed haec nihil moror; neque enim haec disputatio ad me quidquam attinet, de qua, adi sis, Franciscum Modium [4].

Verum ne longius, quam res postulat, haec progredi videatur disputatio, satietati occurrendum, claudamque jam plane tandem hoc caput; quod tamen, quemadmodum duorum Templorum, de quibus acturi sumus, Circus fuit, ita totius erit argumentationis nostrae, veluti basis, ac fundamentum.

1 T. II. Mus. Ital. in Ord. XI. p. 126.
2 T. I. Annal. ad an. LXIX.
3 Cap. XXIII. de antiquis Romanorum hortis p. 451.
4 de Triumphis, Ludis, et Spectaculis Veterum in Pandectis Triumphalibus. Francofurti 1586. fol. et in Tom. XI. Thesauri Gronov.



CAPVT II.

De Templo, vulgo Apollinis.

Quod non pauci Scriptores testati sunt, duo in *Circo Neroniano* Templa fuerunt, quae non multum a se invicem recedebant, alterum *Apollini*, alterum *Marti* sacrum, quorum illud insequutis temporibus in Aedem S. *Petronillae*, hoc in D. N. *Mariae Febrifugiae* conversum fuisse, plerique, ac recentiores praesertim sibi persuaserunt. Qui omnes tamen a veritate, toto, ut dicitur, caelo aberrarunt; quod ut planum fiat, eorum verba recitare praestabit, ne quidquam falso illis adfingere videamur.

Jam vero, qui de Templo Vaticano, locisque ei adnexis, itemque de Templo *Apollinis*, de quo modo nobis sermo est, pro re nata disseruerunt, eorum quidem tantus est numerus, ut paene copia, ac multitudine obrui videamur. Quare non leviter insudandum fuit, ut singulas scriptorum, quotquot in manus venire potuerunt, (incredibili autem diligentia eos conquisivimus, ac perlustravimus) opiniones expiscaremur. Neque vero quisquam me in iis recensendis multum fuisse, jure reprehendat: fidenter enim dicam, horum omnium Scriptorum, quibus pro indiciis, ac testibus, in faciendo, dandoque judicio de hujusmodi Templo, ad hanc usque diem usi sumus, loca, et verba expendi necessario omnino oportere.

Atque, ut ab antiquioribus, ut par est, exordiamur, inprimis Petrum Mallium audiamus, qui [1] haec habet. *Infra Palatium vero Neronis, est* Templum Apollinis, *quod nunc vocatur* S. Petronilla, *in quo est reconditum Corpus*

1 T. vI. Junii p. 40.

ejusdem Virginis. Huic succenturiatur Scriptor Anonymus de *mirabilibus Romae*, qui Sec. plus minus XIII. floruisse perhibetur, Chronico MS. Romualdi Arch. Salernitani praemissus, et in *Diario Italico* a Montfauconio editus, qui ita ait [1]. *Infra Palatium Neronianum est* Templum Apollinis, *quod dicitur* S. Petronillae, *in Basilica S. Petri, ante quod est Basilica, quae vocatur Vaticanum, quia Vates, id est Sacerdotes canebant ibi sua officia ante Templum Apollinis*. Quod item Maphaeus Vegius diserte confirmat. *Quoniam vero*, inquit [2], *mentionem fecimus Altaris* S. Petronillae, *sciendum est, Templum illud, ubi situm est, fuisse antiquum, nobile, magnaque impensa, et miro cultu, sicut adhuc reliquiae ostendunt, elaboratum, ac* Apollini *quidem*.

Horum auctoritatem, magnam certe, et inprimis gravem, ceteri auctores gregatim sequuti sunt. Albertinus enim in opusculo *de mirabilibus Vrbis Romae* [3], *Templum* Apollinis *in Vaticano, ubi nunc est Oratorium S.* Petronillae, *conjunctum Ecclesiae S. Petri* fuisse scribit. L. Faunus *de antiquitatibus Vrbis Romae, in Vaticano*, inquit [4], Apollinis *Templum erectum volunt, ibique fuit, ubi nunc Sacellum* S. Petronillae. Item L. Maurus [5] *prope D. Petri Aedem, Apollinis Templum* fuisse tradit, *ubi nunc Eccl. S.* Petronillae. Hisce adjungendi sunt Laurentius Schraderus [6], et Jacobus Boissardus [7], quorum primum pronunciasse refert Andreas Schottus [8], *S. Petronella in Vaticano, olim* Apollinis *Vaticani*; alterum vero, *Templo S. Petri adjacet Sacellum* S. Petronillae, *quod fuit olim* Apollini *sacrum*.

1 p. 287. et 290.
2 l. IV. num. 127.
3 p. 34.
4 p. 125.
5 p. 112.
6 in Monumentorum Italiae lib. II.
7 in Topographia Vrbis Romae
8 in Itinerario Italiae p. 336. et 357.

Idem etiam scripsit Marlianus ad hunc modum [1]. *Apollinis Templum eo in loco statuunt, ubi nunc Sacellum* S. Petronillae. In eamdem sententiam pedibus iverat Poggius Florentinus in opere de *Fortunae varietate Vrbis Romae, et de ruina ejusdem*. Ait enim [2]. *Templum* Apollinis *in Vaticano juxta Basilicam B. Petri, translatum in Dei cultum sacravit Relligio nostra*. Cui concinit Georgius Fabricius *de Templis Gentilium in Templa Divorum mutatis*. *Templum*, inquit [3], Apollinis *Vaticani, nunc* S. Petronillae, *juxta viam olim Triumphalem*. Quod et a Marangonio [4], iisdem fere verbis confirmatur. Ac denique, ne nimius sim, iis album calculum adjecerunt Alpharanus [5], Grimaldus [6], Pancirolus [7], Severanus [8], Aloysius Contarenus [9], Joh. Bapt. Vaccondius [10], Ciampinius [11], Ficoronius [12], Bottarius [13], nec non Paullus Aringhius, cujus verba prae ceteris heic lubet afferre, quae sunt hujusmodi [14]. *Apud Vaticanum quo tempore vana Gentilium superstitio vigebat, duo insignia, ac nobilissima Templa numerabantur*, Apollinis *videlicet, ac* Martis, *ipsomet sita loco, ubi nunc Beati Apostoli Petri Basilica magnificentissimo ambitu exaedificata consurgit*. *Quae quidem superstitionis gentilitiae Templa Romani subinde Pontifices ab impio, profanoque cultu expurgata, ac pro Relligionis Christianae ritu consecrata, in veri, aeternique Dei honorem, ac cultum sanctissime transtulerunt*. *At vero* Apollinis *Templum, cujus in gestis B. Petri Damasus*

1 cap. 127. p. 159.
2 in T. I. Thesauri Sallengr. p. 506.
3 In descript. Vrb. Romae c. 12. p. 424. apud Graevium T. III.
4 Delle cose Gentilesche c. LII. p. 161.
5 MSS. p. 37.
6 MSS. p. 39.
7 in abd. Thes. p. 519.
8 p. 95.
9 p. 86.
10 Notizie Istoriche delle V. Basiliche di Roma. p. 106.
11 p. 28. et 139.
12 in Vestig. Rom. lib. II: c. I. p. 10.
13 T. I. Romae Subter p. 24.
14 T. I. Rom. Subter. p. 213.

meminit, uti veteres perhibent, insigne quoddam fuit circulari forma Sacellum, et postmodum B. Petronillae *Virgini dicatum, quod olim, priusquam antiquum ejusdem Apostoli Templum instaurandi gratia, demolitum esset, ad dextram majoris areae partem conspiciebatur.*

§. I.

Rationum momenta, quae Templum B. Petronillae, nunquam Apollini dicatum fuisse declarant.

Quamquam isthaec tot, tantorumque Scriptorum animis opinio insedit, hoc aedificium, quod figurae orbicularis erat, instar Panthei, *Apollinis* Delubrum fuisse, non defuere tamen ex iis quidam, quibus aliqua veritatis lux, veluti per rimam, affulsit. Suspicati enim sunt, hoc sane veritati consentaneum non esse, idque ex ipsius loci adspectu, qui tacitus quodammodo clamabat, si tam grandia aedificia in ipsius Circi meditullio Nero construxisset, equorum, et quadrigarum cursum, aliaque id genus spectacula, quibus obeundis libere Circus patere debebat, ad circumstantis Populi oblectationem, fuisse penitus impeditura.

Atque id primus omnium, quos equidem legi, olfecisse videtur Maph. Vegius, qui ait [1]. *Quo tempore exstructum, nihil unquam, quod certe constet, reperi. Nam Neronis illud opus fuisse, quod vulgo jactatur, procul dubio vanum est; quoniam non simile vero videtur, in eo loco Templum illud fuisse, ubi Circenses ille ludos insanius exercebat, quod impedimentum magis spectaculorum, et libidinis ejus exstitisset.* Verum is, etsi hoc Templum a Nerone constructum fuisse, improbabile visum sibi fuit, posteriori ta-

1 T. vI. Junii lib. IV. n. 127.

men tempore aedificatum, atque *Apollini* certe, ab Ethnicis dicatum fuisse contendit. Quare nihil, aut paullum ejus conjecturae nostris quadrare possunt, qui hoc opus, vigente superstitione, a Romanis nullo modo constructum fuisse judicamus.

Sed prius, hoc Templum a Nerone minime aedificatum fuisse, firmius etiam, quam Vegius fecit, probandum est. Quod Karolus Fontana solidis argumentis evincere [1] conatus est. Ac quum idem prae ceteris, quantum equidem sciam, inquisitius rem pertractaverit, atque discusserit, et *Apollinis*, *Martisque* Delubra alibi exstitisse, fuse demonstraverit, ex eo delibanda esse reor, quae ad hanc opinionem penitus constabiliendam, facilius conducere possunt. Non enim omnia apposite ad rem protulisse, mihi quidem videtur; pluraque haud minoris momenti omisit, quae suis ego locis interseram; certe meliori ordine, styloque minus rudi, atque praefracto, opinionem suam prodere potuisset.

Ac primo quidem, suae assertionis veluti testem appellat Obeliscum, qui quum in medio Circi erectus, Circum ipsum bifariam divideret, satis aperte declarat, tantas Templorum moles ex utraque parte minime erigi potuisse, quae ludorum celebrationi, ut cum Vegio nuper monuimus, impedimento fuissent. Secundo animadvertit, aliam *Apollini* aedium structuram, aliam *Marti* convenisse; quod ex Vitruvio manifestum est, qui Architectis sanctas hujusmodi leges praescripsit [2]. *Minervae*, *Marti*, *et Herculi aedes* Doricae *fient. His enim Deis propter virtutem, sine deliciis aedificia constitui decet. Veneri, Florae, Proserpinae, fontium Nymphis, Corinthio genere constitutae,*

1 Lib. II. Descr. Templi Vatic. c. VIII. 2 Arch. Lib. I. cap. II.

aptas videbuntur habere proprietates, quod his Deis propter teneritatem graciliora, et florida, foliisque, et volutis ornata opera facta augere videbuntur justum decorem. Iunoni, Libero Patri, ceterisque Diis, *qui eadem sunt similitudine, si aedes* Jonicae *constituentur, habita erit ratio mediocritatis, quod ab severo more Doricorum, et a teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis institutio*. Quare quum utrumque Templum, etsi diversi ordinis Numinibus dicatum, ejusdem formae fuisse constet, id etiam argumento est, longe sequiorum temporum opus esse judicandum. Praeterea, ut ait Marlianus [1], *Apollinis Templum apud Sophoclem, Martis vero apud Apollonium Subdialia fuisse legimus. Quod ejusdem Vitruvii praeceptis de aedificiorum decore consentaneum est, qui eorum Deorum, quorum species, et effectus in aperto Mundo, atque lucenti videmus, Templa sub dio constituenda esse praecipit*. Verum quum hoc Vitruvii praeceptum perpetuo observatum non fuerit, mirandum non est, Templum, de quo sermo est, Subdiale nequaquam fuisse. Illud igitur potius animadverte, quod parietibus consueto priscorum ornatu, ut infra declarabitur, destitutis, antiquae magnificentiae ne minimum quidem vestigium ibidem inerat. Quamobrem dicendum est, ex Circi ruderibus, Christiana gravitate, qualis non satis adultam decebat Ecclesiam, fuisse illa a Pontificibus condita.

Quod ipsum praeterea non tam aedificiorum structura, quam eorum pavimentum, aperte declarabat. Nam si haec eidem Circo aequalia fuissent, atque ante Constantini aetatem, substructamque ab eo Petri Basilicam erecta, non dubium est, quin eorumdem solum, Circi

1 in Topographia Vrb. Romae lib. v. c. viiI. in T. iiI. Thes. Graevii p. 235.

solo adamussim respondere debuisset; quod tamen multo magis subsidens, depressumque repertum est.

Et sane, plurium seculorum intervallo, sensim elato viarum solo, seu pulvere deciduo, seu decurrente ex alto, semperque luti aliquid relinquente aqua pluvia, seu, quod etiam probabilius videtur, veterum aedificiorum ruinis, compertum est, uti refert Mercatus [1], ac luculentius Ludovicus Demontiosus [2], et Gamuccius [3], qui Obelisci Cajani [4] dejecto *Sacrario* innixi ectypon aere sculptum exhibent, non minus stereobata, quam Obelisci stylobata alte sub aggesta humo immersa delituisse, usque ad priscam Caij inscriptionem, quae exsculpta hodieque legitur in imo saxo.

Hinc autem evenit, ut ea vulgi opinio invaluerit, saxum hoc mirae magnitudinis, quattuor aeneis leonibus fuisse innixum, et sustentatum; adeo ut non solum Petrarcam [5], sed Manettum [6] etiam, Vgonium, Ciampinium [7], et Fontaninium [8] deceperit. Quod tamen, egesta humo, quae Obelisci basim occultabat, falsum omnino esse, deprehensum est. Astraguli enim tantum, Leonum loco reperti fuerunt, ut Fontana, et Mercatus ipse [9] perhibent, quem Ciampinius, quum, quod ne minimam quidem de hujusmodi Leonibus mentionem fecerat, insimulasset, palinodiam [10] deinde cecinit; quod nuperus editor Romae Ant. Nardinii [11] non animadvertit. Quod vero ad nos attinet, utriusque Templi pavimenta, quasi

1 de Obeliscis fol. 366.
2 in Gallo Romae hospite p. 10.
3 in antiq. Rom. p. 195.
4 V. Pitiscum in Lexico.
5 lib. vI. ep. LXXXVIIJ.
6 in vita Nic. V.
7 in Par. I. veter. Monum. cap. III.
8 apud Zenum in Dissert. Vossian. T. I. pag. 177.
9 cap. XXXIX.
10 de S. Aedif. p. 90. cap. IV.
11 P. III. p. 1305.

demensa, et paria, Basi Obelisci respondere debuissent. Verum unusquisque longe secus esse, tunc temporis suismet oculis usurpare potuit, quum ad complures palmos distantia procurreret, inter humiliorem Circi, ac Basis Obelisci, et hujusmodi Templorum situm, qui multo sublimior, ac ferme veteri Bas. Vat. aequalis quum esset, Christianorum illa opus essè, luculentissime demonstrabat.

Quum autem, ut novae, et ampliori Basilicae locus pateret, funditus eversum est, de quo agimus, Templum, nullas in ejus effossione inscriptiones, nulla reticulati operis vestigia, signa nulla, marmora, numismata, aliaque id genus reperta ibi esse, certo scimus, quae *Apollinis* Fanum, vel levi indicio, olim illic fuisse testarentur.

Quod tamen allatos Scriptores in errorem induxit, id ipsum potissimum videtur esse, quod nempe *Circo Neroniano* propinquum fuisse Templum *Apollinis*, non minus ex veteribus Vrbis Topographiis, quam ex antiquis auctoribus compertum sit. Quum enim ad Circorum viciniam, *Apollini* Templa dedicare, veteres in more haberent, sicut de Circo Flaminio, et Circo Maximo notum est, qui propterea et *Apollinares* [1] dicti sunt, multo magis opinandum esse videbatur, prope *Circum Neronianum* Templum *Apollinis* exstitisse, cujus Numinis erat Nero studiosissimus; quippe qui, ut ait Suetonius [2], *Apollinem cantu, Solem aurigando aequiparare* contenderet. Quocirca Nardinius, Flavii Blondi auctoritatem adducens, inficiari neminem posse affirmat [3], vel in Circo Neroniano, vel prope eumdem *Apollinis Templum* fuisse, *quum*

1 Liv. lib. III. cap. LXIII.

2 in ejus vita cap. LIII.

3 T. III. c. XIII. p. 1310. *In hanc rem Alph. haec tradidit*. In questo medesimo luogo

facile sit, Neronem musices amantissimum prope Hortos suos illud aedificasse. Ceterum et ipse demum in Circo exstructum fuisse, probari minime posse fatetur.

§. II.

Templi Apollinis situs.

Apollinis Templum nusquam in Circi area, ubi Aedes *S. Petronillae*, sed in eo ipso loco, ubi Petrus tumulatus est, nimirum *prope Circum Neronianum*, exstructum fuisse, ex ipso Anastasio evincitur. Hic enim ait in *vita S. Petri* [1]. *Sepultus est via Aurelia, in* Templo Apollinis, *juxta locum, ubi crucifixus est, secus Palatium Neronianum, in Vaticano, juxta Territorium Triumphale*, III. *Kal. Iulias*. Id autem acta S. Petri, quae Lino inscribuntur, S. Marcellum praestitisse ferunt; ni potius Graecorum Menologiis, Maeneis, et Synaxario a Godefrido Henschenio [2] prolatis fidem habeamus, quae Petrum a piis

S. Anacleto, fece fare una Chiesa in onore de S. Pietro, dove li Christiani convenivano alli Oratorj, Sacrificii, Communioni, et Predicationi; quivi anno concesse indulgentie plenissime, a chi visitava *limina Apostolorum, et legitur in vita B. Cleti visitatis liminum Apostolorum, plusquam jejunium duorum annor. habet. in historia Martini Poloni*. Quivi anche aveva ordinato la sepoltura delli successori di S. Pietro, quali furno sepolti *juxta corpus B. Petri*. Dieci Pontefici della primitiva Chiesa successivamente dopo S. Pietro, *vid. Linus, Cletus, Anacletus, Evaristus, Sixtus, Thelesforus, Iginus, Pius, Eleutherius, et Victor, qui fuit a Petro quintusdecimus Pontifex*. Dopo ruinata questa Chiesa di S. Pietro da Eliogabalo Imperatore per la sua tirannide, et per l'impedimento, che gli dava per gli giochi al Cerchio, Callisto Pontefice successore a Vittorio trasportò li gloriosi Corpi de S. Pietro con quello de S. Paulo alli Catacumbi, dove poi li Christiani se congregavano, et officiavano, come facevano prima qui in Vaticano. Li similmente si sepelivano li Pontefici, li stavano occulti nelle grotte per il timore della persecuzione. Passati circa 30. anni Cornelio Papa assieme con Lucina restituirono li gloriosi Corpi al pristino luogo, et prima il Corpo de S. Pietro portò Cornelio Papa *in Vaticana, et posuit infra Corpor. Summor. Pontificum*.

1 T. I. §. VI. p. 8.

2 ap. Surium p. 178. et in T. II. Apr. p. 372.

Mulieribus Basilissa, et Anastasia ejus discipulis, quarum festum celebramus die xv. Aprilis [1], sepultum fuisse tradunt. Ibidem Anacletus, qui a Petro fere post annos duodeviginti Pontificatum gessit, *memoriam* ejusdem, sepulcrum scilicet, sive Oratorium, Anastasio teste, *construxit, et composuit*. Deinde Cornelius P. eô rursus Petri Corpus deduxit e Catacumbis, quô S. Zephyrinus, ut nonnulli putant, propter Elagabali metum, seu potius, ut Vignolius [2], Petro Moretto [3], et Iosepho Blanchinio [4] approbantibus, conjecit, Callixtus ipse in sui nominis Coemeterium, ab se ampliatum, ad quod Catacumbae pertinent, una cum aliorum Decessorum suorum, quos in veteri Catalogo Romanorum Pontificum usque ad Zephyrinum *in Vaticano ad Corpus B. Petri* tumulatos fuisse legimus, exuviis e Vaticano transtulerat, et tamquam in tutiori loco condiderat. Nam Anastasius, quae in vita S. Petri scripserat, iisdem fere verbis confirmat in *vita Sancti Cornelii* [5]. *B. Petri Corpus*, inquit, *accepit B. Cornelius Episcopus, et posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora SS. Episcoporum, in* Templo Apollinis, *in Monte Aurelio, in Vaticano Palatii Neroniani* III. *Kal. Iul.*

Quae quidem Anastasii verba, a Mallio [6], et Anonymo confirmata, satis aperte, meo quidem judicio, *Apollinis*

1 Baron. in notis ad Martyr. xv. April. et apud Surium ex Menologio Graecorum d. xv. apr. p. 128. God. Henschenii de iisdem brevis notitia. T. I. April. p. 372.

2 T. I. in vita Cornelii p. 48.

3 in Appendice de Translatione Corporum BB. Apostolorum Petri, et Paulli ad Catacumbas, adjecta Operi de S. Callixto P. et M. ejusque Basilica S. M. trans Tiberim. V. T. vII. hist. Litt. Ital. p. 524. Petr. Lazerum de sacra veterum Christianorum Rom. peregrinatione p. 3. et Franc. Ant. Zaccaria dell'anno Santo. Roma 1775. P. tI. p. 152.

4 in demonstratione Historiae Ecclesiasticae quadripartitae par. tl. Tom. I. p. 360. et sequ.

5 ibid. §. IV. p. 48. et T. I. Conc. epist. I, col. 669.

6 T. vI. Iun. c. I. p. 37.

Templum exstitisse probant, juxta Circum Neronianum, ubi Petrus, seu quod eorum relligionem propagare studeret, quos Nero incendii Vrbis insimulatos exquisitis suppliciis excruciaverat, ut scripsit L. Caecilius [1], seu quod Simonis Magi aerem volatu tentantis confidentiam, et improbitatem represserit, ut S. Maximus [2] putavit, seu demum, quod pellices, quarum pudicitiae Nero insidiabatur, ad meliorem frugem reduxisset, ut placuit Ambrosio [3], et Chrysostomo [4], et cum Cyrillo Alexandrino [5] confirmat Graecus Commentarius a Papebrochio [6] in lucem editus, inversis vestigiis [7], funibus ligatus, ut scribit Tertullianus [8], aut clavis affixus, quemadmodum Augustinus [9], Theodoretus [10], aliique tradiderunt, e cruce pependit.

Quaeso enim, cur Circum Anastasius nominare praetermisisset, si *Templum Apollinis*, ubi Petrum sepultum fuisse narrat, non *juxta* Circum, sed in ipso Circo exstitisset, atque illud idem prorsus fuisset, quod S. *Petronillae* sacrum deinde fuisse contendunt? Nonne autem sola ejusdem Circi denominatio, locum rectius designasset, quam cetera descriptio, quam adeo accurate, ac prolixe factam ab Anastasio videmus? Hinc itaque Nardinii conjecturam facile amplectar, qui Circi extremum ambitum usque ad locum, ubi Petrus sepultus fuit, non pervenisse opinatus est. Nunquam enim mihi persuadeam, secus ab Anastasio memorandum non fuisse.

1 lib. c.
2 in Serm. v. de Natali SS. Apost.
3 Serm. LXVIII. contra Auxentium T. II. opp. p. 866. nov. edit.
4 Hom. XLVI. lib. I. adv. oppugn. vit. mor. T. I. p. 78. in op. II. ad Timoth. hom. III. T. XI. 673.
5 in Ioh. lib. XII. c. XXI.
6 ad d. XXIX. Junii num. XIII. p. 416. et n. XXVII. p. 423.
7 Vide Auctores ab Aloysio Cuccagnio citatos in Par. III. Vitae S. Petri p. 215.
8 Scorpiac. c. XV.
9 Serm. CCLIII.
10 Serm. de charitate. de Praescript. c. XXXVI.

Nihilominus quamplures Scriptores [1], Petrum in ea Montis parte cruci suffixum contendunt, quae *Ianiculi* nomen hodie retinet, ubi Cella rotunda xvI. columnis sustentata, a peritissimo Bramante Architecto erecta fuit, Sec. xvI. ineunte, cum hac inscriptione, quae ibidem etiamnum legitur.

B. PETRI . APOSTOLORVM
PRINCIPIS
MARTYRIO . SACRVM
FERDINANDVS . REX
HISPANIARVM
ET . ELISABETHA . REGINA
CATHOLICI
POST . ERECTAM . AB . EIS
AEDEM . POSVERE
ANNO . SALVTIS . MDII.

Atque haec opinio ita obtinuerat, ut ad eam B. Petri crucifixio, non solum tabulae marmoreae, quae in veteri Ciborio, principi arae Bas. Vat. olim imminente visebatur, opere anaglyptico insculpta fuerit, ut apud Dionysium [2] videre est, sed etiam valvis aeneis Templi Vaticani sub Eugenio IV. magnifice fabrefactis [3], quarum

1 Vegius. lib. iI. e. iI. p. 69. Massutius, Ciacconius. T. iI. in Anast. p. 20. Oldoinius, Paullus Aemilius Sanetorius, Valerius Dorieus, Ioh. Lupardus, Andr. Fulvius, Bapt. Paulianus, Steph. Chamillardus, Marlianus, Turrigius, de Cryptis Vaticanis, ae de Sacris Thophaeis Rom. e. vII. Mabillonius. T. I. It. Ital. p. 48.

2 p. 192.

3 Alph. in MSS. Eugenio IV. la rifeee di tavole di metallo seolpito il Salvatore, et la Madre V.M. et più giù S. Pietro, et più basso le historia, quando vennero li Ethiopi, et Armeni in Roma al Concilio Floreatino, et quando ha eoronato Sigismondo Imperatore, et poco più giù il martirio di S. Pietro, e di S. Paolo, quantunque habbino male interpretato il loco del martirio di Pietro, qual fu quà in Vaticano, inter duas metas Circi Caii Neronis.

ectypum Ciampinius [1] repraesentavit, hodieque cernitur. Hujus autem piae traditionis vindex acerrimus Baronius [2] prae ceteris, communem hanc opinionem de loco crucifixionis Petri inter duas metas, cum ea conciliare adnisus est.

Neque is ego sum, qui piam hanc traditionem evertere, et Fidelium pietati, qui Janiculum adeuntes, locum crucifixione Principis Apostolorum, ut ipsi putant, consecratum, relligiose venerantur, quasi frigidam superfundere velim; contra quam fecisse video Bened. XIV, nunquam periturae memoriae Pontificem, qui inter Aedes, in quibus, singulis infra Octavam Apostolorum Vrbis Propugnatorum diebus, mane sacrum sollemni ritu fieri jussit, convenientibus per vices singulis Romanorum Praesulum Ordinibus, S. Petri Templum, *Montis aurei* titulo insignitum [3] recensuit.

Verum, quum heic res eruditionis tantum, non pietatis, et relligionis caussa, in disceptationem veniat, gravissimis rationum momentis, quae in hanc rem longe gravissimi Scriptores jam attulerunt [4], liceat mihi pau-

1 Tab. xix.p. 45. 2 an. LXIX.n.xvI.
3 in Opp. T. v. p. 467. et in Bull. Rom. p. 270. et in Bull. Vat. T. iiI. p. 314.
4 Eusebius. Hist. Eccl. lib. iI. c. xxv. Hieronymus. de Vir. Illustr. et contra Vigilantium. Prudentius. in lib. *περι σεφανῶν* hym. xiI. Rufinus. lib. iI. Hist. Eccl. c. xxxiiI. Joh. Chrysostomus. Hom. xxxiI. in Epist. ad Rom. Libellus Apologeticus Ennodii Ticinensis pro Symmacho Pont. Grimaldus. MSS. p. 30. Bl. Flavius. Rom. Inst. libr. I. n. 45. Panvinius. de viI. Eccl. p. 18. et 19. et T. I. MSS. p. 56. 66. et 131. Alpharanus. MSS. c. I. et iI. Ferd. Karolus. apud Severanum p. 80. Severanus. de viI. Eccl. p. 15. Bosius. Rom. Subt. l. iI. c. iiI. Aringhius. ibid. c. v. Franc. Blanchinius. in T. iI. Anast. p. 15. Marangonius. c. XLIII. p. 207. Petrus Franc. Fogginius. de Romano D. Petri itinere Exerc. xviI. Mamachius. Antiqq. Christ. T. I. p. 32. et T. v. p. 588. Editores Bull. Vat. T. iiI p. 316. Phil. Dionysius. p. 192. Vinc. Alex. Constantius. in App. Monum. ad Cortesii libr. de Rom. itinere D. Petri cap. x. de Eccl. S. Petri in monte aureo p. 345. Borgia. de Confess. B. Petri p. 81. ad 88. Aloysius Cuccagnius. in vita S. Petri Part. iiI. c. xiI. p. 212.

ca etiam adjicere, quibus manifestius porro fiat, Petrum in Vaticano Martyrii palmam consequutum fuisse.

Haec autem ultro nobis offerunt reddita jam Anastasii verba, quae satis mea quidem sententia, clare ostendunt, locum, ubi Princeps Apostolorum passus est, *Neronis Circum* in Valle Vaticana fuisse, *juxtaque* eum, ubi primum ab Anacleto sepultus fuit, *Apollinis Templum* exstitisse. Ibi enim in persecutione, quae in Christianos incensae Vrbis, ut insimulabantur, auctores, ac reos C. Lecanio Basso, M. Lucinio Crasso Coss, primum excitata fuit, quamque plures copiose descripserunt [1], plures alios vehementissimis tormentis, atque ipso crucifixionis supplicio afflictos a Nerone fuisse, auctor est Tacitus, qui rem sic enarrat [2]. *Primo correpti, qui fatebantur, donec indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, qnam odio humani generis convicti sunt. Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut* crucibus affixi, *aut flammandi, aut ubi defecisset dies, in usu nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat habitu aurigae, permixtus plebi, vel circulo insistens.*

Hinc factum est, ut antiquitus via, in Vrbis adjectione, quae *Borgo vecchio* modo dicitur, *Via Martyrum*,

1 Christ. Cellarius. Diss. de Neronis in Remp. et Eccles. saevitia. Exst. in ejus Diss. Accad. p. 602. Lipsiae 1712. Alphonsus Vignolius. Diss. touchant le tems precis de la persecution suscitée contre les Chrétiens par l'Empereur Neron. dans l'Hist.crit.de la Rep des Lettres T. VIII. p. 74. IX. p. 172. X. p. 328. Dan. Papebrochii de SS. plurimis MM. Romae sub Nerone, per calumniam incendii necatis Commentarius historicus. in T. IV. Iunii d. 807. Campegius Vitringa de Statu Eccl. Christianae a Nerone ad Trajanum. in Observ. Sacris p. 961. Franequer. 1711. 4. Io. Thomas Rainaldus, de persecutionibus, quibus primo, et secundo aerae Christianae seculo Ecclesia exagitate est. Exst. T. III. Disc. Pop. Dei p. 34. Petrus Lazerus. de persecutionibus in Ecclesiam excitatis aevo Apostolico. Exst. T. III. Disc. Pop. Dei p. 22.

2 lib. XIV. Annal. c. XLIV.

Via Sancta, *Via Sacra*, *et Carraria Sancta* nuncuparetur, quod per eam primitiae Martyrum, ut habet Martyrologium Romanum [1], ad supplicium, et caedem in eam Vaticani partem, quae Neronis Hortos, Circumque complectebatur, ducerentur, uti Turrigius [2] pluribus documentis demonstrat. Quumque inter hanc, et alteram, quae *Borgo S. Angelo* appellatur a Mole Adriana, Xysto IV. Pontifice annis MCDLXXIV, et MCDLXXV. [3] ad aedes Vaticanas perducta, nulla alia exstaret via, quae recta duceret ad Templum Vaticanum, Alexander VI. anno MCDXCIX. aliam ampliorem aperuit, quae *Alexandrina* ab ejus nomine olim dicta, hodie vulgo appellatur *Borgo nuovo*. Ac propterea marmoreum aedificium ab arce Adriana non longe dissitum, quod *Meta* [4] vocabatur, ubi nunc prostat Fons a Paullo derivatus, et exornatus, excisum fuit, quemadmodum Franc. Albertinus [5] (floruit autem is Julio II. Pontifice, qui eamdem viam anno MDV. lateribus sternendam curavit), Turrigius [6], aliique tradiderunt.

Hanc vero metam, quam ceteroqui Acron [7], et Marlianus [8], a Nardinio [9] refutati *Scipionis Africani sepulcrum*, Turrigius [10] vero *Neronis Terebinthum* ab hujus nominis arbore, quae prope virebat, esse judicarunt, ita describit Anonymus apud Montfauconium [11]. *In Nauma-*

1 VIII. Kal. Jul.
2 Grotte Vaticane p. 138. e nell'Hist. di S. Giac. in Borgo p. 11.
3 in Diar. Jac. Volaterr. apud Muratorium T. XXII. Rer. Ital p. 117.
4 T. I. Bull. Vat. p. 131.
5 in Cap. de Obelisc. et Metis.
6 p. 346.
7 in Schol. ad Horat. Epod. Od. IX.
8 lib. V. c. 22.
9 lib. VIII. c. XIII. V. Falconerii Diss. de Pyram. C. Cestii. io T. IV. Graevil p. 1464. Aringh. Rom. Subt. lib. II. c. III. XVIII. Demontiosum par. I. p. 7. Bergierium de viis militaribus lib. II. T. XXXVI. Pitiscum in *Pyramis in Vaticano*.
10 c. IV. p. 2.
11 in Diar. Ital. p. 291.

chia est Sepulcrum Romuli, quod vocatur Meda, quae fuit miro lapide tabulata, ex quibus factum est pavimentum Paradisi, et graduum S. Petri: habuit circa se plateam Tiburtinam XX. *pedum cum cloaca, et florali suo. Circa se habuit Tiburtinum Neronis, tantae altitudinis, quantum Castellum Hadriani, miro lapide tabulatum: ex quibus opus graduum, et paradisi peractum fuit, quod aedificium rotundum fuit duobus gironibus, si castra, quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis*, juxta quod *fuit* crucifixus *B. Petrus Apostolus*. Haec autem a Petro Mallio mutuatum fuisse constat, qui hunc eumdem locum ita descripsit [1]. *In Naumachia*, inquit, *juxta Ecclesiam S. Mariae in Transpadina est sepulcrum Romuli, quod vocatur* Meta, *quae fuit miro lapide tabulata.... Habuit circa se plateam Tiburtinam viginti pedum cum cloaca, et floribus suis. Habuit quoque circa se, terebinthum Neronis tantae altitudinis, quantum est Castellum Hadriani Imperatoris, miro lapide tabulatum, quod aedificium rotundum fuit cum duobus geronibus, sicut Castellum, quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis, et juxta hoc aedificium crucifixus fuit B. Petrus Apostolus.*

Hanc Vegius, unam ex duabus metis, quas inter Petrum in monte aureo cruci suffixum fuisse, vetus traditio erat, seu potius Circi Obeliscum fuisse opinatus est; alteram vero Cestiani sepulcri Pyramidem propter Montem Aventinum. Neque defuit, qui unam ex iis, ipsam Adriani molem fuisse contenderet, quos inter Blondus Flavius [2] numerandus est. Verum a nobis allata Circi Neroniani descriptio, hujusmodi opinionum vanitatem satis coarguit, quum aut cum Francisco Blanchinio [3] sen-

1 T. vI. Junii n. 130. 2 Rom. inst. lib. I. n. XLIX. 3 T. II. Anastasii p. 15.

tiendum sit, binas metas, quas inter Petrum passum esse affirmant, duo extrema spinae Circi Vaticani fuisse, aut certe Ferd. Karolo subscribendum, qui illum inter supremas Circorum Cajani, et Neroniani binas metas, in Crucem actum fuisse asseverat.

Sed, ut ad Anastasium redeamus, si quis Viam Aureliam per Ianiculum transiisse, ibidemque iccirco crucifixum, et sepultum Petrum fuisse propugnaret, animadvertat, velim, Anastasii verba secus omnino esse accipienda. Iis enim tantummodo innuit Biographus, in ea Vaticani parte sepultum fuisse, quae inter Viam Aureliam, et viam Triumphalem intercedebat. Quod aeque dicendum est de Monte Aurelio, qui exinde *aureus* etiam est appellatus. Hoc enim nomine Mons etiam ipse Vaticanus, qui pars erat Janiculi, non *honoris caussa, ob nobilem Petri triumphum*, ut Baronius [1] conjecit, neque a flavis arenis, ut alii existimarunt, sed a via Aurelia ei contermina, indigitari quandoque consuevit.

Hoc autem ex multis aliis locis, quae ab Anastasio indicantur, quaeque Neronis Circo, minime vero Janiculo convenire possunt, aperte desumitur. Quid enim sibi vellent ea verba, *secus Palatium Neronianum, in Vaticano, juxta territorium triumphale*, ac rursus alia illa, *in Vaticano Palatii Neroniani*?

Atqui Jac. Grimaldus [2] testatum reliquit, Circum Neronis, *Palatium* appellatum fuisse, ex rudiorum infimae latinitatis scriptorum consuetudine, qui ingentia, quae supererant, antiquae Vrbis aedificiorum vestigia, *Palatia* nominare solebant, ut egregie multis ostendit Joh. Balth. Beyschlagius [3]. Circus vero idem Neronis, ut jam supra

1 ad ann. LXIX. n. 16. 2 c. II p. 31. 3 in Diss. de Palatiis. Vitemb. 1690. 4.

observavimus, *incipiebat*, eodem Grimaldo designante, *ab infimis gradibus Basilicae S. Petri; desinebat, ubi nunc est Ecclesia S. Marthae, retro absidam ad occasum. Obeliscus erat in medio*. Verum omnis dubitationis ansa praeciditur a Panvinio, ubi ait[1]. *In eodem Monte, et Circo* Aediculam Apollinis *fuisse referunt Damasus, et Bibliothecarius. Qui Neronis quoque* Palatium, *sive amplam domum ibidem fuisse affirmant*, Circum *pro* Palatio *haud dubie intelligentes, cui multa cubicula, et conclavia in angulis inerant. Certe Corn. Tacitus eo loci Neronis hortos fuisse commemorat, quos affligendis Christianis obtulisse tradit. Si vero horti ibidem fuere, profecto non sine insigni aedificio eos consitos fuisse existimandum*. Quocirca quum cetera, quae ab Anastasio memorantur, in hunc tantum locum convenire exploratum sit, minime dubitandum est, (quidquid contra aliis Scriptoribus visum est, apud quos hujusce traditionis fides esto), quin Petrus in Circo Neroniano, potius quam in Ianiculo passus sit, ac prope eum primitus sepultus. Nam, ut cetera praeteream argumenta, quum Romanis sollemne esset, extra Vrbis moenia in reos, ac sontes animadvertere, ne sacrae, et divinae imagines suppliciorum adspectu polluerentur, ut tradunt Gisbertus Cuperus[2], Valesius[3]. et Lipsius[4], quis unquam credat, Petrum Crucis patibulum subiisse in Janiculo, qui jam inde ab Anco Martio, IV. Romanorum Rege, intra Pomoerium inclusus fuerat, potius quam in Vaticano, qui nonnisi a Leone IV. muris circumdatus, intra Vrbem inclusus fuit?

Verum hoc, ipsa Templi *Apollinis*, quod in Janiculo

1 T. I. MSS. p. 97.
2 lib. vI. Observat. xIx.
3 ad Ammianum xxv. . I. §. Iv. p. 527.
4 ad Tacitum p. 98.

nemo unquam exstitisse somniavit, Anastasiana indicatio aperte, meo quidem judicio, comprobaret. Quum enim hoc ne in Circo quidem Neroniano exstitisse ostendimus, consequens est, proximum certe huic esse debuisse ex veterum more, qui, ut diximus, prope Circorum viciniam huic Numini Templa aedificabant, atque eo nimirum loco, ubi primum Anacletus *memoriam B. Petri construxit, et composuit*, postque Constantinus M. sacram Aedem excitandam curavit; cui, ut maximae loci dignitati, aedificii majestas, ac pulcritudo responderent, Bernardus Franciscus Monachus, suum ad loca sancta iter sub extrema Nicolai I. Pontificis tempora susceptum describens [1], *nullam fuisse similem in magnitudine Ecclesiam in universa terra* testatus est.

Quae quidem, ut a pientissimo Imperatore praestari possent, falsorumque Numinum oblivio induceretur, non solum potior Circi pars, uti jam cum Grimaldo animadvertimus, sed etiam multo magis *Apollinis* Templum ei contiguum dejiciendum fuit. Legimus enim apud Anastasium in *Silvestri* vita [2]. *Constantinus Aug. fecit Basilicam B. Petro Apostolo ex rogatu S. Silvestri Episcopi in* Templo Apollinis, *in quo loco Corpus ejusdem mirifice collocavit*. Quae quidem excepit Beda [3], quem Ado Viennensis [4] sequutus est, ubi ait. *Constantinus fecit Romae . . . Basilicam B. Petro in Templo Apollinis*. Verum quomodo novam in *Templo Apollinis* Basilicam excitare potuisset, ni prius idem Templum funditus evertisset, ut una opera et fabulosi Numinis superstitionem deleret, et ampliorem novae Basilicae aream explicaret?

1 apud Mabill. in Act. SS. Ord. S. Bened. Sec. III. par. II. p. 515. et Ann. Bened. lib. XXXVII. n. 13. ann. 870.

2 T. I. p. 91.

3 de VI. Aet. Mundi ad ann. 4259.

4 T. XVI. Bibl. PP.

Quae quum ita sint, si inficiari nequit, Petrum in *Templo Apollinis* pridem sepultum, illud profecto dicendum esset, aut Petrum in Templo, de quo disputamus, *Petronillae* deinde sacro, sepultum fuisse, quod nemini adhuc in mentem venit; vel duo in Vaticano, *Apollinis* Templa exstitisse; quod etiam omnium plane scriptorum testimonio adversatur,: unum omnino *Apollinis* Templum in regione XIV. agnoscentium. Hoc enim tantum abest, ut potius nonnulli fuerint, qui ne hoc ipsum quidem in ea exstitisse opinati sunt, quemadmodum Bencinius [1], et Vignolius [2]; qui, ut suam fulciret sententiam, praeterea adjunxit, hoc a Panvinio inter aedificia regionis XIII. recenseri. Quod tamen perperam ab eo affirmatur, quum illud Panvinius in regione XIV, quae Vaticanum complectebatur, numerarit, nec ullam contra in regione XIII, nempe in Aventino, *Apollinis* aedem memoraverit. Itaque si unum dumtaxat Templum *Apollini* sacrum ibidem fuit, quod certo deprehenditur, tum ex allatis scriptorum testimoniis, tum ex ipsa Anastasii auctoritate, qui semel, iterum, ac tertio illud nominat, sentiendum omnino est, extra Circum Neronianum eo loco fuisse, ubi Petri Confessionem, seu Martyrion veneramur. Recte igitur Marlianus, cui Severanus, et Marangonius [3] subscripsere, *Apollinis*, et *Martis* Templa, quae in Vaticano fuisse perhibentur, in sua veteris Romae Ichnographia, supra Circum delineavit; ac perverse ceteri auctores in ipso Circo collocarunt, ubi B. *Petronillae*, et *D. N. M. Febrifugiae* Templa exstabant.

Verum prae ceteris acu rem tetigisse videtur Tibe-

1 T. II. Anast. Blanch. p. 6.
2 T. I. in vita S. Petri p. 8.
3 nel divoto Pellegrino guidato, ed istruito nella visita delle IV. Bas. p. 148.

rius Alpharanus, qui [1] designat *Templum, olim Apollinis, postea S. Petri*. Quod item pluries [2] confirmavit in altero opere toties a nobis memorato, ad cujus calcem prolixum auctorum elenchum adtexuit, ex quibus constat, Petrum Romae *in Vaticano crucifixum, et ibidem sepultum*. Ait enim. *Venerandam B. Petri Confessionem, quae est ante, et sub dicto Altari majori* juxta locum, ubi mortem pro Christo Domino crucifixus oppetiit, *totam laminis argenteis exornarunt*. Atque alibi. *L'Altar Maggiore di S. Pietro, posto, siccome per authorità amplissime, et dignissime se po confirmare, nel med. luogo, dove S. Pietro fu crocifisso, et sepolto. Et perciò sotto questo Altare se chiama Confessione, quasi dicat*, locus Martyrii, ubi Petrus confessus est fidem Christi, et pro ea, Capite verso, fuit Cruci affixus, ibique animam Deo reddidit, et sepultus. Ac rursus in eamdem sententiam alio loco. *Questa Basilica con bellissime colonne, et marmi, pitture, ornamenti, et doni fu condecorata, che senza questa ragione non havereb- be avuta causa de hedificare qui l'Ecclesia ad honor de S. Pietro, se non per la dignità potissima del luogo*.

1 MSS. Alb. de Sacros. Vatic. Basil. descriptione, lit. d. ichnographiae. tam veteris, quam novae structurae
2 MSS. p. 6. et 16.



CAPVT III.

De Templo rotundo S. Petronillae.

Jam ex his, quae hactenus adscripsimus, satis, opinor, intelligitur, Templum, de quo nunc agitur, nusquam *Apollini* sacrum fuisse. Videndum nunc est, quo tempore erectum fuerit, cuique Coeliti dicatum. Nam licet, quae hactenus exposita sunt, verum *Apollinis* Templum alibi exstitisse demonstrant, tamen hoc, de quo disputamus, a Pontificibus fuisse constructum, uti generatim asserit Fontana, minime probant.

Nam reponi cum Vegio posset, *Apollini* dicatum fuisse, insequutis temporibus, quibus Circus ludorum spectaculis inservire desueverat; vel si minus *Apollini*, alteri cuidam fabuloso Numini fuisse postmodum ab Ethnicis consecratum. Quapropter illud quidem argumentum a Fontana praetermissum est, quod unum prae ceteris valuisset, ad refellendam eorum opinionem, qui hoc Templum *Apollini* sacrum fuisse, memoriae mandarunt. Etenim si demonstrasset, a quo, quaque aetate revera constructum fuerit, tunc omnia profecto evertisset argumenta, quibus contraria poterat fulciri sententia. Quocirca, quum ab eodem frustra suppetias me hac in re exspectare agnovissem, ceteros scriptores consulendos esse duxi. Hoc autem a multis tentatum, neminem adhuc plane assequutum comperi; ut planum fiet, si omnium sententias audiamus.



§. I.

Templi Conditor inquiritur.

Ac, qui hoc Templum Christianorum opus fuisse judicarunt, hos duas velut in classes partiri possemus. Nonnulli enim fuerunt, qui hujusce Templi constructionem *Constantino* tribuerunt, quos inter praecipue numerandus est Turrigius, qui ex nescio quo Vaticani Tabularii mss. haec refert [1]. *Templum rotundum*, *instar* Sacristiae, *a* Constantino *aedificatum*, *et sub Iulio* II. *demolitum*, *in quo Corpus ejusdem Virginis* Petronillae *quiescebat*, *et a Regibus Francorum dotatum*. Cui quidem sententiae ita ipse subscripsit, ut tamen continenter adseruerit [2], Apollinis *Templum fuisse*, *postea in sacrum Dei cultum conversum*.

Communis ceterorum Scriptorum opinio est, hoc Templum a *Paullo* I. Pontifice e fundamentis excitatum. Ita Severanus [3]. *Ecclesiam* S. Petronillae *Paullus* I. *aedificavit anno* DCCLVII, *eoque transtulit sequenti anno ejusdem Corpus ex ejus coemeterio in via Ardeatina*. Id etiam protulit Joh. Bapt. Costagutus hujusmodi verbis [4]. *Paolo* I. *vi edificò anch' egli il Tempio*, *che fu dedicato a* S. M. della Febbre, *con l'altro consacrato a* S. Petronilla, *benchè da alcuni si dica*, *che facesse solamente trasportare il suo Corpo dalla via Ostiense nel Tempio d'* Apollo, *che a lei dedicò*, *e che a* S. M. della Febbre *dedicasse il Tempio di* Marte, *contro ciò*, *che scrive Anastasio*, *che questi Tempj fossero fatti demolire da Costantino*. Verum Ciampinius [5], *Apollinis Templum postea a* Paullo I. *SS. Pontifice in divini cultus honorem consecratum*, esse scripsit; atque alibi [6]. *Templum*

1 p. 149. 2 p. 146. 3 p. 92. 5 c. xvI. p. 139.
4 Archite t. della Bas. di S. Pietro p. vIII. 6 §. xII. p. 58.

hoc a S. Paullo I. *egregie ornatum*, *dedicatumque* S. Petronillae *Virgini* fuisse confirmavit. Post haec, quis sibi persuaserit, eum ipsum paullo ante, alio loco, illud nec Templum *Apollinis*, neque a *Paullo* I. *Petronillae* dedicatum agnovisse? En ejus verba [1]. *Templum* S. Petronillae *dicatum*, *extra formae orbicularis*, *intus vero formae octangularis*, *ab* Honorio I. *Summo Pontifice exstructum*, *ut in Pontificali*, *ac ejusdem Pontificis vita*.

Ciampinii vestigiis inhaerens Bonannius ait [2]. *Templum S.* Petronillae *sacrum*, *formam orbicularem in muris exterioribus habens*, *intus vero octangularem*. *A* Paullo I. *factum ait Alpharanus litt. d. Tab. Ichnogr. cum Anastasio*. *Ciampinus sub num.* 153. *cap.* IV. *sect.* 12. *asseritque exstructum ab Honorio*. Quod autem Bonannius in Ciampinio observavit, Janningi diligentiam fugit, qui asserit [3], *Severanum*, *et Ciampinium ex Alpharano et Baronio facere Ecclesiae fundatorem S. Paullum* I; quod quidem de Severano vere dictum, haud ita vero de Ciampinio, qui, ut vidimus, *Honorio* etiam, Templi constructionem assignat. Praeterea quum Alpharani, et Baronii verba diligenter contulissem, ut animadverterem, an Severanus, et Ciampinius eorum auctoritati innixi, *Paullum* I. hujusce Templi conditorem recte statuissent, unum Baronium hoc affirmasse reperi, qui hujusce rei testem Anastasium appellat. Nam Alpharanus a Paullo I. Templum *exornatum*, minime vero *aedificatum* pronuntiat. Qua de re iterum in errorem lapsum Janningum deprehendi, unaque cum eo Bonannium, quippe qui ab Alpharano *Paullum* I. hujus Templi conditorem habitum fuisse pronuntiant. Quod ut Lectoribus aperte constet, ejusdem

1 p. 93. 2 p. 30. 3 Sect. vI. n. 358. p. 156.

Alpharani verba, cum aliorum auctorum sententiis, qui itidem hujusce Templi ortum a *Paullo* I. repetunt, paullo infra opportunius subjungam. Interea Baronii locus in medium afferendus est.

Itaque ad annum DCCLVIII. haec habet [1]. Petronillae *autem memoriam apud S. Petri Basilicam in Vaticano fuisse Anastasius inferius in eodem* Paullo, *dum agit de Oratorio illi ab ipso constructo, his verbis meminit*. Ac proinde Anastasii verba subjicit, quae nostra, ac lectoris intererit audire [2]. *Infra Ecclesiam B. Petri Apostoli, foris muros hujus Civitatis Romanae, noviter Oraculum in S. Dei Genitricis honorem construxit juxta Oraculum B. Leonis Papae, secus fores introitus B.* Petronillae, *atque B.* Andreae *Apostoli, musivo, et diversis metallis illud adornans, ubi et effigiem S. Dei Genitricis in Statua ex argento deaurato, quae pensat libras centum, constituit, in quo oraculo et sepulturam sibi construit*. Incredibile dictu est, quam multos scriptores hic Anastasii locus deceperit, quem veluti suae de *Paullo* I. hujus Templi Conditore opinionis fundamentum protulerunt. Si tamen eum diligenter excutias, inde unum illud extundes, *Paullum* I. noviter *Oraculum*, sive Oratorium infra Ecclesiam B. Petri, quae nondum Vrbis Pomoerio inclusa erat, in honorem S. Dei Genitricis exstruxisse, quod musivo opere, variisque metallis ornatum, Canonicus Romanus [3] complurium SS. exuviis decoratum, Mulieribus impervium, aeneisque cancellis munitum, ac propterea titulo *S. M. de Cancellis*, sive *de Oratorio*, postmodum venisse tradit. Verum nihil unquam certe ex eo erues, quo probari possit, *Paullum* I. Oratorium S. *Petronillae* aedificasse.

1 n. I. ad ann. DCCLVIII. 2 in vita S. Paulli T. II. §. VI. p. 130. 3 tit. XIII.

Ex ipsis enim Anastasii verbis, (quae indiligenter, atque incuriose Fr. Blanchinius, aliique explanatores ab eo prolati praeterierunt), luculenter apparet, uti recte Janningus [1] animadvertit, illud exstitisse, priusquam *Paulus* I. alterum Deiparae sacrum aedificaret. Siquidem hoc *juxta Oratorium S. Leonis Papae* ex una parte, et *secus*, seu *juxta fores introitus S.* Petronillae, *atque B. Andreae* ex alia parte, constructum fuisse narrat. Quae quidem manifeste probant, tria isthaec Oratoria, erecta prius fuisse; quum enim id aliunde constet de Oratorio S. *Leonis*, non minus, quam de illo S. *Andreae*, tum de hoc altero S. *Petronillae* tenendum est, quod et illa ipsa verba *secus fores introitus S. Petronillae*, per sese satis aperte significant. Verum quum fortasse quispiam suspicari posset, primum a Paullo I. S. *Petronillae* Templum, ac deinde Oratorium B. V. exstructum, alia etiam ad hujus loci illustrationem opportuna reservamus, quae inferius proferentur.

Jam vero inquirendum est, num *Honorius* I, quod placuit Ciampinio, idem Templum a fundamentis erexerit? Hanc autem Ciampinii opinionem, quam sibi repugnans, sectatus est etiam Joh. Bapt. Vaccondius [2], qui alibi [3] Templum *Apollini* sacrum putavit, Bonannio tantum innotuisse, non item Janningo, et Bull. Vat. editoribus, ex eo palam fit, quod de ea ne verbum quidem apud utrosque. Janningus enim, postquam *Paullum* I. ejusdem conditorem fuisse improbavit, haec tantum subnectit [4]. *Quis porro hoc construxerit*, ignorare *prorsus malo*, *quam operose in tenebris indagare*. Bullarii vero

1 T. vI. Iunii p. 157.
2 Notizie Istoriche delle IV. Basiliche di Roma 1700. 12. p. 114.
3 ib. p. 106.
4 T. vI. Junii p. 150.

Vaticani editores, quo loco Innocentii II. diploma illustrant, haec habent [1]. *Splendidum sane Templum a* Paullo I. *P. ejusdem S. Virginis nomine, et exuviis D. O. M. dicatum, quod nonnulli Principes, et Galliarum Reges aliquot, ac praesertim Romani Antistites, ut apud Anastasium Bibliothecarium videre est, quamplurimis donis cumularunt.* Atque alibi. *Duo*, inquiunt [2], *erant Templa ejusdem structurae, orbicularis exterius, interius vero octangularis, quorum formam, et situm habemus in Tabula Ichnographica Alpharani. Horum primum, quod S.* Petronillae *Virgini S.* Paullus I. *dedicarat, excisum fuit, ubi novae Basilicae jacta sunt fundamenta.* Ac paullo infra haec addunt [3]. *De S.* Petronillae *Oratorio Anastasius Bibl. loquitur in Sanctissimi Hadriani, Leonis* III, *et Leonis* IV. *vita,* Basilicam, Mausoleum, *et* Ecclesiam *appellans, quod animadvertit etiam Martinellus* [4], *ubi tradit cum Grimaldo fuisse rotundum illud Templum perquam simillimum alterius S. M. de Febribus, ac postea excisum, sui tantum vestigia reliquisse, ubi nunc est Absis australis Bas. Vat., seu SS. Simonis, et Iudae Altare.* Apollinis *olim Templum fuisse, Antiquarii omnes tenent. Nardinus* [5] *id probari non posse admonet. Vtcumque sit, Petrus Mallius, Vegius, Panvinius, Alpharanus, et prae aliis Baronius* [6] *a S.* Paullo I. *huc translatum volunt S. Corpus S.* Petronillae, *ac tum coepisse ita nuncupari. Quum autem Anastasius in Paulli ejusdem vita loquatur de Oratorio S. M. V. ab eo Pontifice exstructo juxta Oratorium S. Leonis Papae, secus fores introitus S.* Petronillae, *haud obscure innuit majorem antiquitatem. Quam* hactenus incompertam *perinde mihi, atque aliis omnibus*

1 T. I. p. 41.
2 T. II. p. 201.
3 ibid. p. 259.
4 p. 184.
5 reg. XIV. c. XIII.
6 anno DCCLVII. num. 2.

fuisse, non diffiteor. Quia scilicet de ipso Templo Apollinis *in* S. Petronillae *converso, parum constat inter Scriptores, tum veteres, tum recentes.*

Verum est, quod Scriptorum, ceteroqui doctissimorum, constantiam desiderem. Hujusce enim ingenuae confessionis obliti alibi sententiam suam ita produnt [1]. Sanctae Petronillae *Corpus pro temporum vicibus in varia Bas. Vat. loca translatum est. Iulii* II. *aetate, disjecto celeberrimo Templo, quod* Paullus Papa I. excitandum curaverat, *in Sacrario ejusdem Basilicae aliquandiu stetit*. Atque hujusmodi opinionem eam profecto esse, quae iis magis arrisit, ex pluribus ejusdem Bullarii locis perspicue constat. Vbi enim Templorum numerum recensent, quae Vaticanam Basilicam circumstabant, ajunt [2]. Petronillae *rotundum Templum prope Basilicam a S.* Paullo I. *aedificatum*. Ac rursus sub nomine *Paulli* I. [3] Paullus I. Fundator *magnificus Ecclesiae S.* Petronillae. Ac denique, ubi texunt elenchum sacrarum Aedium, juris Basilicae, haec adjiciunt [4]. S. Petronillae *rotunda, juxta veterem Basilicam, nunc apsis brachii dexteri augusti Templi Vaticani, ubi SS. Simonis, et Iudae Corpora servantur, a S.* Paullo I. *magnifice aedificata*. Qua in re non gravate, ut arbitror, quisque mihi assentietur, doctos hosce Viros, non sibi semper, ut porro debebant, constitisse, nec satis dictorum pugnam, et inconstantiam cavisse. Horum tamen sententiae quasi nefas esset repugnare, imo vero deceret omnino acquiescere, ceteri auctores subscribendum putarunt. Concinunt enim his Sindonius [5], et Joh. Pe-

1 T. III. p. 205.
2 in Indice T. III.
3 ibid.
4 ibid.
5 Pregi della Basilica Vaticana pag. 132.

trus Chattard [1], qui omnium postremus Templi Vaticani descriptionem aggressus est.

Quae quidem quum ego pervolutassem, ac memor sane essem, ipsum Maph. Vegium usque a Sec. xv. ingenue pronunciasse, quo tempore Aedes S. *Petronillae* fuisset constructa, *nihil* unquam, quod certum constaret, ab se repertum esse, parum abfuit, quin paene animum de hujus Templi adsequenda origine desponderem. Non enim adeo mihi blandiebar, ut quum nemini tantorum Virorum sim, neque ingenio, neque eruditione comparandus, quod eorum aciem fugit, in meam tanto hebetiorem, ac tardiorem incurreret. Ac quum attente *Honorii* I. vitam semel, atque iterum perlustrassem, ne ullum quidem verbum inveni, quod doceret, ab eo Templum S. *Petronillae* erectum fuisse; ac sane miratus sum Ciampinii confidentiam, qui libri Pontificalis auctoritate fultus, id asserere non dubitaverit, quod falsum omnino esse constat.

Verum, qui Anastasii vitas libentissime percurrere suetus sum, quod in iis illustria maximorum Pontificum gesta, omnium laudibus, et admiratione dignissima, tamquam in speculo, luculenter intueri liceat, recordatus repente sum, quiddam olim de S. *Petronillae* Templo in vita *Stephani* II. me offendisse. Quumque librum pervolutare accepissem, magnopere laetatus sum, operam me non lusisse, ingentemque laboris mei fructum reportasse. In eo enim reperi veram, aliisque inobservatam celeberrimi Templi originem, quae graviter hallucinatos esse demonstrat, qui vel fabuloso Numini a Romanis erectum, vel a *Constantino*, seu potius ab *Ho-*

1 T. I. c. xvII. p. 19.

norio, aut a *Paullo* I. aedificatum fuisse, praefracte contendebant. En autem ipsa Anastasii verba, ex Cod. Alexand. III. Sec. XI. accepta, quae Templi originem Stephano II, seu III, (quod cum Baronio volunt eruditiores [1]), deberi produnt in ejus Pontificis vita [2], quaeque mihi gemmis, auroque contra cara fuisse non diffitebor. Fecit *et juxta Basilicam B. Petri Apostoli, et* ab alia parte B. Andreae *Apostoli, in loco, qui* Mosileos *appellatur, Basilicam in honorem S.* Petronillae, *quia in Francia spoponderat, ut B.* Petronillae *Corpus ibidem collocarent, ubi posuit canistra argentea multa, et alia plurima ornamenta, quae ibidem dedicavit*. Quid hujusmodi verbis disertius esse poterat? quid ad rem nostram accomodatius? Itaque, quis unquam sibi persuaserit, non dicam Baronium, sed ipsos nostrae aetatis scriptores, Anastasii testimonium protulisse ad Templi hujus aedificationem *Paullo* I asserendam, quum contra Anastasius perspicuis verbis affirmet, *Stephanum* II, qui *Paullo* I. antecessit, ejus Conditorem fuisse? Ita, quod in Anastasio scriptum nusquam erat, quamplures videre sibi visi sunt; quod scriptum erat, suaque veluti sponte sese in oculos ingerebat, hactenus vidit nemo. Sed accidit saepe numero, ut quae vel oculis exposita sunt, atque patent, non videamus, dum illud inquirimus, quod haud quidem re, sed in speciem dumtaxat existit.

Constat igitur, anno DCCLVI. *Stephanum* II, ut Regi Pippino ejusdem S. Virginis studiosissimo gratificaretur, Templum in ejus honorem a fundamentis excitas-

1 Joh. Mabillonii observatio de S. Gregorio II. ubi de Zacharia, Stephano II, et III. in Actis SS. Bened. sec. III. P. I. p. 521. Steph. Bonafaccia de X. Stephanis Pontificibus, ac simul de omnibus illustribus Viris, qui Stephani nomen habuerunt. 4.

2 T. II. p. 124. edit. Vignol. §. LII.

se, ad partem australem veteris Basilicae, ut eòdem sacras *Petronillae* exuvias transferret. Sane enim decebat, ut, quemadmodum M. Attilius Serranus pie animadvertit [1], *quam a Patre vitae sanctitate minime degenerasse cognovimus, una cum illo communem sepulturae locum habentem veneraremur*.

§. II.

De B. Petronillae ad hoc Templum translatione e Coemeterio Viae Ardeatinae.

Quod *Stephanus* inopina morte sublatus, praestare minime potuit, *Paullus* I. perfecit, cui consilii sui absolvendi gloriam reliquit. Vt enim praeter Baronium [2], Ciacconius [3] refert, Paullus *in Coemeterio antiquo in sepulcro marmoreo invenit Corpus B.* Petronillae *Filiae B. Petri, his litteris praenotato*.

AVREAE PETRONILLAE FILIAE DIGNISSIMAE.

quod argentea capsa inclusum, congregato Clero, universoque Pop. Rom, ex via Appia in Vaticanum detulit. Quae in Chronico Sigeberti Gemblacensis, usque ad annum MCXII. deducto, confirmantur, ubi ad annum DCCLVIII, commutato indicatae inscriptionis verbo, legitur. *Corpus* S. Petronillae *Petri Apost. Filiae a Paullo Papa transponitur, in cujus marmoreo sarcophago ipsius Apostoli Petri manu sculptum legebatur....* Haec eadem quamplures alii [3] memoriae consignarunt. Sed praeterire non possum, quae de eadem translatione tradidit Petrus de Natalibus, qui,

1 de vil. Eccl. p. 28.
2 anno DCCVIII. n. I.
3 T. I. col. 533.
4 M. Vegius. p. 82. Romualdus Archiep. Salernitanus in Chronico, a Grimaldo. fol. 38. prolatus. Panvinius. T. II. p. 30. Alpharanus. Platina in Paulli vita. Thomas Wegelinus in Oratione de V. Paullis Romanis, per diversa temporum intervalla, Pontificibus, eorum vitam, et res gestas breviter complectent. Argentor. 1609. Boldettus de Coemeteriis SS.

ut jure notat Daniel Papebrochius [1] in *Commentario praevio , notis , et analectis ad acta Paulli Pontificis* , plura de ejus vita memoriae consignavit . Ait enim . *Hic constituit divina officia celebrari in Quadragesima ante Sextam . Hic congregatis Sacerdotibus , et Clero , ac Populo universae Vrbis , Corpus* B. Petronillae *de loco , ubi quiescebat extra portam , Via Appia , abstulit , una cum Sarcophago marmoreo , in quo legebatur titulus , manu propria B. Petri Apostoli sculptus .*

AVREAE PETRONILLAE DVLCISSIMAE FILIAE .

quod plaustro impositum intra Vrbem in B. Petri Eccl. collocavit.

Verum licet ab Anastasio id aperte desumi nequiret, argui tamen ex eo etiam facile posset ubi sacros Martyrum cineres sollemni pompa in Templa e cryptis a *Paullo* translata fuisse tradit . Ita enim in ejusdem *Paulli* vita [2] . *Hic BB. Pontifex cum omnibus spiritalibus suis studiis magnam sollicitudinis curam erga SS. Coemeteria indesinenter gerebat . Vnde cernens plurima eorumdem SS. Coemeteriorum loca neglectu , ac desidia , antiquitatis maxima demolitione , atque jam vicina ruinae posita , protinus eadem SS. Corpora , de ipsis dirutis abstulit Coemeteriis . Quae cum hymnis , et canticis spiritualibus infra hanc Civitatem Romanam introducens , alia eorum per Titulos , ac Diaconias , seu Monasteria , et reliquas Ecclesias cum condecenti studuit recondi honore* . Id autem de B. *Petronillae* exuviis potissimum praestitisse *Paullus* dicendus est , ut in illud Templum inferret, quod haud ita pridem constructum fuerat , atque exornatum a *Stephano* Fratre , qui *Dei vocatione*

Martyrum. lib. II. c. xvII. p. 551. Georgius in Scholiis ad Adonis Martyrologium . d. xxxI. Maii p. 241. Janningus in Historico Commentario de S. Petronilla. T. vII. Maji p. 421. , et Cennius in notis ad Epistolam Paulli I. ad Pippinum in Codice Carolino.

1 T. V. Junii p. 378.

2 T. I. §. IV. p. 128.

vitam finiens ad aeternam migravit requiem, quin voti sui compos esse potuerit. Qua de re factum esse arbitror, ut omnes Templi *erectionem*, cum S. *Petronillae* Corporis *translatione* confundentes, utramque uni *Paullo* tribuerint.

Quamquam quid agimus conjecturis? quum ex insperato mihi datum sit, hoc idem ex ipso Anastasio certissime confirmare? Nimirum hoc ille abunde testatur apud Fabrottum, qui Velserianam editionem Libri Pontificalis, variis lectionibus mirifice supplevit, ex pervetusto Codice Marquardi Freheri desumptis. Ibi autem in vita S. *Paulli* ita res diserte narratur [1]. *Paullus operabatur in Coemeterio, ubi prius B.* Petronilla *sita quiescebat, foris Porta Appia, milliario Vrbe Roma secundo, et exinde ejus venerabile, ac sanctum Corpus cum sarcophago marmoreo, in quo recenditum inerat, abstulit sculptum litteris ita*

AVREAE PETRONILLAE FILIAE DVLCISSIMAE.

Vnde non dubium est, quin sculptura illa litterarum, propria B. Petri Apostoli manu designata dignoscitur ob amorem suae dulcissimae Natae, ipsumque sanctum Corpus cum praefato sarcophago, posito supra plaustrum novum, in Ecclesiam Beati Petri Apostoli cum hymnis, et canticis spiritualibus ejus Beatitudo deportavit, et in Mausoleo, juxta Ecclesiam B. Andreae *Apostoli, quod praefatus BB.* Stephanus *Papa ejus Germanus, dum adhuc superstes erat, Ecclesiam in honorem ipsius Sanctae Christi Martyris* Petronillae, *picturae miro decore illustravit*.

Quis autem non miretur, hujusmodi rem, quam in vita *Stephani* II. luculenter Anastasius tradit, in altera *Paulli* I. diserte confirmat, adhuc a nemine detectam fuisse? Ceterum, ut dicam, quod est, Boldetto, et Cen-

1 p. 248. T. II.

nio, qui vitae *Stephani* II. locum non animadverterunt, haud aeque ignota fuerunt Freheriani Codicis verba, quae non minus veram originem, ac situm Templi *S. Petronillae*, quam sacri ejusdem Corporis translationem declarant. Nihilominus non satis constat, num iis omnem Boldettus omnino fidem tribuerit; certe hanc rem prorsus silentio praeteriit. Constat vero, quod multo minus exspectandum erat, Cennium iis minime persuasum fuisse, ac in sua haeresi quodammodo perseverasse. Fuit enim is unus ex Bullarii Vaticani editoribus; neque tamen illustres socios, quibus de hoc Templo, multoties, uti vidimus, disserendum fuit, de Anastasiano hujusmodi loco admonuit, atque in Indice totius operis ab se concinnato, ubi sese omnia simul collegisse, manuque lectorem ad suas, ac sociorum adnotationes adeundas, ducere gloriatur, *Paullum* I. Templi conditorem pluries, ut jam ostendimus, enunciavit. Quare statuere jure possumus, Templi *S. Petronillae* origines, licet ab Anastasio memoriae traditas, et in Codice Freheriano enucleatius confirmatas, nunc primum liquido patere.

§. III.

De Templo B. Petronillae in via Ardeatina.

Sed, ut eô, unde evagati sumus, regrediamur, *Paullus* I. ex antiquo Coemeterio in via Ardeatina (erat illud *Flaviae Domitillae* sacrum, in cujus praedio ad II. extra Vrbem miliare ad Thermas Antoninianas constitutum fuit, et *SS. Nereos*, et *Achillei*, quod ibidem sepulti essent, nuncupatum) S. Virginis exuvias argentea capsa inclusas, omnis ordinis Viris principibus comitantibus, et plaudentibus, densaque populi multitudine undique cir-

6 H

cumfusa, sollemni pompa in Templum a Germano Fratre aedificatum transtulit. Alia enim exstitit aedes, ejus memoriae antiquitus consecrata, quae supra idem Coemeterium exstructa fuerat. Mitto Eccardum [1], Albertinium [2], Aringhium [3], Boldettum [4], Petrum Morestellum [5], aliosque, quorum testimoniis quid opus est, quum multo suppetant vetustiora? Templum *S. Petronillae* via Ardeatina exstitisse constat ex *notitia Ecclesiarum Vrbis*, quae Alcuino inscribitur, ubi legimus [6]. *Iuxta viam Ardeatinam, Ecclesia est* S. Petronellae, *ibi quoque Sanctus Nereus, et S. Achilleus sunt, et ipsa* Petronella *sepulti*. Hoc item liquet ex altera *Notitia Vrbis Romae* apud Willielmum Malmesburiensem, ubi haec occurrunt [7]. *Inter viam Appiam, et viam Ostiensem, est via Ardeatina, ubi sunt Marcus, et Marcellianus, et ibi jacet Damasus Papa in sua Ecclesia, et non longe S.* Petronilla, *et Nereus, et Achilleus, et alii*. Adde Anonymum Sec. IX. apud Montfauconium [8], Mabillonium [9], et Blanchinium [10], qui describens iter a Bas. S. Paulli, via Ostiensi, ad Sebastiani via Appia ad Mill. II. ait. *Vsque ad S. Paullum Apostolum. Inde ad S. Felicem, et Adauctum, et Emeritam. Deinde ad Sanctam* Petronellam, *et Nereum, et Achilleum*.

Quid? quod antequam inde *Paullus* I. *Petronillae* Corpus transferret, Gregorius III. ibi stationem instituit? Audi Anastasium in ejus vita [11]. *In Coemeterio S.* Petronillae *stationem annuam instituit, ubi obtulit coronam auream,*

1 de Reb. Franciae.
2 de mirab. Vrb. Rom.
3 lib. III. c. XVIII. p. 481.
4 lib. II. c. XVIII.
5 Pompa Feralis, sive Iusta Funebria Veterum. lib. IV. c. XII. Paris. 1648. 8. et in T. XII. Thes. Graevii p. 1422.
6 T. II. Par. II. in Append. III. ejusd. Opp. edit. Froben. p. 599.
7 lib. IV. de reb. gest. Reg. Anglor. in Willielmo II.
8 in Diar. Ital. p. 145.
9 T. IV. veterum Analect. p. 502. 513.
10 T. II. Anast. p. CXII.
11 T. II. p. 54.

calicem, et patenam argenteam, seu et alia diversa ad ornamentum Ecclesiae pertinentia. Quo ex loco facili negotio Muratorii [1], et Galliciolii [2] errorem deprehendemus.

Indiculus SS. Martyrum LXIV, quorum *Olea Sancta* Gregorius M. ad Theodelindam [3] Langobardorum Reginam Lagunculis transmisit, ex ipso autographo in papyro aegyptiaca exaratus, ac Mediolani a Mabillonio [4] descriptus, deinde a Ruinartio [5], Muratorio [6], et Galliciolio [7] in lucem editus, cujus apographum exstat nunc in novo Tabulario *Sacrarii Vaticani*, exhibet *Oleum S. Petronillae Filiae S. Petri Apostoli*. Ruinartius [8] hujusmodi Olea de lychnis, quae Romae ad *Martyrum in corpore quiescentium* sepulcra ardebant, desumpta fuisse conjecit. Sed quum locus perquam insignis vetustissimi Caeremonialis apud Macrum [9] doceat, *Acolythum in eodem Stationis die ex Ecclesia, ubi celebrabatur, deferre Papae frustillum elychnii oleo lampadis ejusdem Ecclesiae intinctum*, iccirco Duoviri eruditissimi Muratorius, et Galliciolius in eodem Indice, *Oleorum* nomine, elychnia illa stationaria intelligere maluerunt. Quae quidem elychnia in lucernis, et cereis adhibita veteres *Papyrum* vocasse, pluribus Mabilnius [10], et Cangius demonstrant, ac praesestim Benedicti Canonici auctoritate, cujus illa sunt verba [11]. *Finita Missa, Acolythus debet tollere* papyrum, *et intingere in Oleo candelae, et diligenter extergere, et portare ad Pala-*

1 Anecd. T. II. p. 191.
2 T. IX. opp. Greg. in Isag. Liturg. c. XIV. pag. 293.
3 I. Ant. Dinovart Observation sur les huiles des Saints Martyr, envoyées par S. Gregoire le Grand a Theodolinde, et sur ce qu'on appelloit Brandea. T. XII. du Iourn. Eccl. p. 284.
4 in Epist. de cultu SS. ignotorum p. 120.
5 ad Acta MM. p. 540.
6 loc. cit.
7 loc. cit.
8 loc. cit.
9 in Hierolexico p. 580.
10 in T. IV. Act. SS. Ord. S. Benedicti in Vita S. Othmari p. 152.
11 T. II. Mus. Ital. in Ord. XI. p. 154.

tium ante Pontificem dicens. Jube domne benedicere. *Pontifex benedicit. Ille vero dicit*, hodie fuit Statio ad Sanctam Sabinam, quae salutat te. *Pontifex respondet*. Deo gratias. *Acolythus repraesentat ei papyrum, qui osculatur eum pro devotione Sanctae, et dat eum Cubiculario. Cubicularius reponit, et diligenter observat usque ad mortem Pontificis. Et sic fit in omnibus stationibus. Ad mortem facit ex eis pulvillum, et ponit sub capite ejus in sepulchro*. Quae quidem fortasse cuidam in mentem revocabunt, quae tradit Festus de *Struppis*, sive *fasciculis de verbenis, qui pro Deorum capitibus in pulvinaribus ponebantur*. Sed, ut profana deseramus, Galliciolius suspicatus est [1], non modo veteris consuetudinis, indicandae Stationis in sacro sollemni vestigium aliquod superesse in hodierno more publicandi Indulgentias, verum etiam alterius usus afferendi elychnia intincta Oleo ex lampade Eccl. Stationis ad Pontificem, quamdam veluti imaginem superesse, penes nonnullos Monachos, qui nonnihil olei [2] ex lampade alicujus Sancti, piis Mulieribus, Virisque solent impertiri.

Verum, ut in *Onomastico rituali* adnotavit nunquam sine laude nominandus Franciscus Ant. Zaccaria, etsi de multis, quod Muratorio, et Galliciolio placuisse vidimus, sine veritatis dispendio concedi potest, generatim tamen falsum est, ipsaque *Olei S. Petronillae* mentio in Indiculo facta, clarissime ostendit. Quum enim *Gregorius* III. primus stationis in Sanctae illius Ecclesia auctor fuerit, quî stationaria ejus Aedis elychnia designare Indiculus poterit, a *S. Gregorio M.* confectus?

Ad translationem redeamus. Eam a *Paullo* I. fere

1 in Isagoge Liturgica p. 295.

2 V. Mabillonium de extrema unctione in praef. ad Acta SS. Ord. Ben. Sec. I. p. 47. et in T. II. Disc. Pop. Dei Fleury p. 83.

sub sui Pontificatus initia, curatam crediderim, anno scilicet DCCLVII; quo IX. Maii Pontifex renunciatus fuerat. In Capitulari Evangeliorum Thomasiano [1], quod Galliciolius [2] recudit, IX. Octobris notatur *Translatio Corporis Sanctae Petronillae*; uti etiam in vetusto Lucensi Capitulari Evangeliorum, quod Fr. Ant. Zaccaria [3] recens edidit. Doctissimus Card. Thomasius, cui calculum adjecit Galliciolius, haec ad Stationem a *Gregorio* III, ut diximus, institutam spectare, subtimide suspicatus est. Verum, postquam a *Paullo* I. e cryptis translatum scimus *Petronillae* Corpus, cui tam violenta interpretatio adrideat? Statuamus igitur potius, *Paullum* an. DCCLVII, IX. Octobris, translationem illam peregisse, qua die in Vrbe olim hujusmodi translationis memoriam celebratam fuisse, compertum est.

Cur autem in Inscriptione in ejus loculo inventa, *Petri Filia* appellata fuerit, idque utrum de spirituali adoptione accipiendum sit, quemadmodum ipse Petrus [4] et Filium suum Marcum vocavit, ex Bedae sententia [5], et in actis S. Thomae, Pelagia Virgo, ejusdem Thomae Filia nuncupatur, si cui minus explorata res est, is praetermissis Joh. Friderici Mayeri [6], Joh. Andreae Schmidii [7], et S. Kirchmayeri [8] dissertationibus, adeat Baronium [9], et Tillemontium [10], ac praecipue Bollandianos [11], apud quos multa de hac controversia erudite disputata reperiet, quae quidem missa faciam, ne extra aleam vaga-

1 T. v. p. 500.
2 T. XI. Ven. edit. S. Greg. M. p. 412.
3 T. I. Bibl. ritual. p. 221.
4 c. v. 13.
5 In Cap. v. epist. I. Petri.
6 de Apostolis uxoratis. Helmstadii 1704. et Witteber. 1734.
7 De Conjugio Apostolorum. Rotemburgi 1697.
8 de Petri Apostoli Conjugio. Wittemb. 1684. et ibid. 1713.
9 T. I. num. XIII. et XXIV. ad ann. LXIX.
10 T. I. p. 189.
11 T. VI. Maii p. 421. et T. IV. Oct. p. 2.

ri, et actum agere videar. Qua de caussa nihil aeque dicam de *Petronillae*[1] historia *febribus laborantis, intercessione Discipulorum cum Petro discumbentium a Parente sanatae, et ob hanc caussam a febricitantibus invocatae*, ac de actis SS. Nereos, et Achillei supra indicatis, ubi multa de *Petronilla* Filia, paralysis morbo a Petro liberata occurrunt; quippe quae S. Augustinus in apocryphis Manichaeorum scriptis notata deprehendit, ac praeterea iisdem actis, quibus parum fidit Baronius, omnem prorsus fidem resignarunt Tillemontius, Sollerius[2], de Vitry[3], Zaccaria, aliique, quidquid contra Marangonio visum sit.

§. IV.

De situ novae Basilicae Vaticanae, in quo vetus B. Petronillae Templum exstabat.

Age vero, quoniam hujus Templi originem deteximus, situm etiam, si fieri potest, propius ostendamus. Idem ita indicatur *in notitia Ecclesiarum Vrbis* apud Alcuinum. *Egrediente vero accipiet Sanctus te Martinus, et deducet ad* S. Petronellam. *Ibi te primo accipiet Salvator Mundi, adsignatque Sanctae Anastasiae, et illa Sanctissimae Genetrici Dei, quae te commendat* Sanctae Petronellae, *ut te deducat ad Filium suum Salvatorem Mundi, qui te per B. Theodorum mittit ad Sanctum Michaelem Archangelum .... Curre ad praesepe Sanctae Mariae, eoque osculato, perge ad* Porticum Petronellae. Verum quum haec obscura sint, et ambigua, nonnulla indigent explanatione. Nemo autem, ut Martinellium praeteream, cujus verba jam supra recitavimus, Grimaldo clarius, Templi positum de-

1 apud Hospinianum de origine Festorum p. 87.

2 in not. ad Martyr. Vsuardi.

3 in Tumul. T. Flavii Clementis.

signavit. Refert enim [1], Julium II, quum Templi Vaticani aedificium a fundamentis excitare ingenti ausu aggressus esset, priusquam, adstante Purpuratorum Patrum Senatu, comitantibus Romanae Curiae ordinibus, sollemni ritu, ac pompa, anno MDVI. XVI. Kal. Majas, lapidem sacrum auspicalem tantorum operum suis manibus collocaret, *processionem habuisse ab Ara maxima per* Cappellam S. Petronillae, *quae erat in loco, ubi nunc Sacellum SS. Apostolorum Simonis, et Iudae ad Aegyptum. Hic locus est platea lapicidarum, et Ecclesia S. Stephani Majoris retro apsidam Basilicae, quam incolunt Mauri Abyssini, ex concessione Capituli, forte Aegyptus, ob Mauros ipsos, vel Aegyptios ibi habitantes*. Idem etiam alibi confirmat hujusmodi verbis [2]. *Templum rotundum sub nomine Sanctae* Petronillae *Virginis, olim inani cultu* Apollini *dicatum, situm tum erat in dextera Vaticanae Basilicae parte, in loco, ubi nunc est Sacellum Apostolorum Simonis, et Iudae in apsida novi Templi, quae ad meridiem vergit, Mausolaeum S.* Petronillae *a Scriptoribus appellatum, quod ob parietum crassitudinem, et firmissimam e lateribus structuram, sumptuosum sane, et insigne opus fuit*.

§. V.

Templi formae, atque Altarium descriptio.

Post haec, de Templi structura, deque ejus Altaribus, et ornamentis disserendum est, ac denique nonnihil de rebus memorabilibus ibidem gestis, ac de ejus demolitione adjungendum, ut omnes ejus vices complectamur. Interea, dum hoc praestabimus, datam etiam fidem

1 in MSS. de Sacros. Sudario, f. 97., et apud Bonannium p. 56.

2 in lib. Instrum. fol. 37. et apud Sindonium de Altaribus, et Reliquiis B. V.

solvemus. Quum enim pollicitus sim, me Alpharani verba allaturum, qui latius de hac Basilica pertractavit, modo, ut par est, promissum impleo. Itaque de ea in hunc modum disseruit [1]. *Sed ad S.* Petronillae *Templum ingrediamur a S. Paullo magnificentissime exornatum, ejusdemque Virginis honori dicatum, quod quidem octangulare, atque rotundum erat, et rotunda testudine, sive fornice, instar tholi, operiebatur, eratque longitudinis, et latitudinis ab intra per diametrum palmorum* 75. *altitudinis vero palmorum* 55. *in quo etiam intra parietum crassitudinem octo Sacella per circuitum erant; in unoquoque angulo Sacellum unum, et singula Sacella aequalia erant; latitudine, et longitudine palmorum* 20, *et singula habebant Altaria diversis Sanctis dicata, quae a nonnullis Pontificibus, et S. R. E. Cardinalibus erant magnificentissime exornata, atque dotata, quae omnia in disjectione dicti Templi, et Basilicae exoleverunt.* Quae quidem in suum opus paene ad verbum transtulit Ciampinius [2], qui cum Alpharano perperam affirmavit, *octo* Cellas ibidem fuisse, etsi *sex* tantum fuerant suis Altaribus instructae, quum aliarum locum duo tantum aditus occcuparent, quorum unus ad *Altare S. Andreae* vulgo attributum, atque inde in Basilicam Vatic. alter ad Aedem rotundam *S. Mariae a febribus*, de quibus paullo infra disseremus, transitum pandebant. Idque de Alpharano Bonannius [3] etiam notavit, non item de Ciampinio, etsi hujus verba paullo ante retulisset.

Qualia vero fuerint Altaria, et quibus sacra, praestat modo indagare. Sed quum Severanus in sua ichnographia nullam heic Cellam, aut Altare nominatim desi-

1 MSS. c. xiI. p. 59. et apud Sindorium de Altaribus, et Reliquiis Bas. Vat. p. 34.

2 p. 30

3 p. 65.

gnet, ex Alpharano singula eorum nomina indicabimus. *In primis*, inquit [1], *a dextra parte hujus primi Sacelli, per quod est transitus* [2], *et introitus ad dictum Templum, sequebatur aliud Sacellum* [3] *contra Aquilonem, et Occidentem positum, cum Altari* S. Salvatoris de Abundantia *nuncupatum, quod quidem Dominus Neapolio de Domo Vrsinorum, Manupelli Comes, eo quod Antiqui de Domo sua erexerant, et dotaverant, aliquantulum exsordescens, mandavit in testamento Io. Comiti Manupelli ejus Filio elegantius restitui, et magnificentius dotari. Et ita factum fuit post mortem ejus; et denique ex humanis decedens, cum suis majoribus, et cum D. Thoma de Vrsinis Rom. de Manupello S. R. E. Diac. Card. S. M. in Dominica, honorificentissimo tumulo positus fuit*. Eadem a Paullo de Angelis, Ciampinio [4], et Janningo [5] notantur, et confirmantur in MS. apud Turrigium, ubi legitur [6]. *In eodem Templo* S. Petronillae *erat quoddam Sacellum magnae devotionis, et optime dotatum sub invocatione* S. Salvatoris de Abundantia, *a Neapolione Comite Manupelli, ut in libro benefactorum*, ubi haec legas [7]. *In nom. D. amen. Anno D. Millesimo* CCCLXIX. *Pontificatus Dñi Vrbani PP. V. Obiit bo. me. magnificus vir D.* Neapoleo de domo Vrsinor. Comes Manupelli *pro cujus anima magnificus vir Dñs Ioannes Comes Manupelli Filius suus, juxta mandatum dicti Comitis sui factum in testamento suo emit Basilice nostre duas partes Castri Podii S. Petri, positi extra Portam Salariam, ut suis finibus terminantur pro* XIl.^c^ I. *flor. de quibus ipse Dñs Iohannes Filius d. Comitis solvit mille flor. auri. Reliqui* 1l.^c^ I. *soluti fuerunt de pecunia Executoris bo. me. Rm̃i in Christo Prioris, et Dñi Dñi Annibaldi Episcopi Tusculani S. R. E. Cardinalis Archipresbyteri*

1 ms. p. 60. 2 n. 156. 3 n. 157. 4 p. 88. 5 p. 157. 6 p. 393. 7 p. 283.

supradicte Basilice; *ita quod fuit ordinatum per Capitulum*, *quod fiat anniversarium pro anima sua*, *in* Capella Salvatoris de habundantia, *sita in* S. Petronilla etc. Eamdem Cellam Antonius Petri ita memorat [1] in *Diario Romano* ex MS. Codice Bibl. Esthensis a Muratorio in lucem edito . *Die Sabbati* 15. *Novembris* 1410. *obiit de bona morte magnificus vir Golinus de Domo Vrsinorum*, *in domo olim Nardi Maxii*, *et nunc Pauli de Vrsinis in Regione Arenulae*. *In die Dominico* 16. *dicti mensis*, *fuit factum exsequium dicti Golini*, *cum maximo honore*, *et sepultus in Basilica S. Petri*, *in Cappella* S. Salvatoris de Abundantia.

Altera Cella [2] *B. M. Annuntiatae* titulo decorabatur, quam Maria de Comitibus vetustate, ac senio fatiscentem restituit, atque dotavit. Sed lubet heic addere, quae de hoc Altari memoriae consignavit Alpharanus. *Iuxta d. Sacellum*, inquit [3], *et Altare per circuitum sequebatur aliud Sacellum* [4] *cum Altari S. M. V. sub invocatione* Annunciationis *ad Occidentem*, *quod quidem Maria de Comitibus*, *paullo ante nostra tempora*, *restituerat elegantissime*, *optimeque dotaverat*, *instituens Capellanum*, *qui esset semper de gremio Beneficiatorum Basilicae pro salute animae suae*, *et Viri sui Simonetti de Graffignanis Armorum Ductoris*, *et Petri Francisci ejus Filii*, *juxta dictum Sacellum sepultorum*; *post quod Sacellum*, *quando Basilicae novae fundamentum operiebatur*, *fovea magna*, *quae ibi aderat*, *impleta fuit ossibus defunctorum innumerabilibus*, *e sepulcris dicti Templi S.* Petronillae *erutorum*.

Neque omittendum est, quod in Necrologio Vat. [5] occurrit. XVII. *Kal. Dec. In nomine D. Amen* MCCCCLXX.

1 T. XXIV. rer. Ital. col. 1021.

2 lit. K.

3 ms. p. 60. et in T. II. Bull. Vat. p. 336.

4 num. 158.

5 p. 162.

Obiit magnificus vir D. Simonettus de Graffignanis *Armor. Ductor, et magnificus Vir Patronus Frācus ejus Filius pro quor. animab. magnifica Dña Maria de Comitibus Vxor Dñi Simonetti, et Mater dicti Dñi Petri Frāci construxit unam Cappellam sitam infra* Cappellam S. Petronillae *ad honorem D. Marie, sub vocabulo* Annuntiationis *ejusdem etc. In qua corpora prefator. dñor. requiescunt etc.* Item de hoc ipso Altari sunt accipienda, quae legimus in eodem Necrologio [1]. XIII. *Kal. Aug. Isto die Sancte Margarite dñs Iohannes Vvete, filius Guillelmi, et Margarite de Anglia Presbyter Novvincens. Dyoc. pro devotione, et reverentia dicte S. Margarite donavit nobis viginti ducatos aureos, pro reparatione domorum d. Basilice, cum promissione, quod Vicarius, Prior, Canonici, et Capitulum dicte Basilice teneantur solvere annuatim in primis Vesperis, et Missa d. festi, Bolognenos quadraginta inter Canonicos, Beneficiatos, et Clericos prefate Basilice, et Mansionariis* pro pulsatione Campanarum *P.* vI, *et fiat officium B. Margarite in Cappella, que constructa est sub vocabulo* Annuntiationis B. Marie Virginis prope Sacristiam, *ubi depicta est immago Sancte Margarite predicte.*

Deinde, pergit Alpharanus, *sequebatur aliud Sacellum* [2] *ad Occidentem, et Meridiem respiciens cum Altari; cui vero dicatum fuerit, et a quo etiam dotatum, exolevit.* Sequebatur *Sacellum*, ut ait Paullus de Angelis [3], *olim* S. Petronillae *V. Filiae S. Petri, a Ludovico Rege Francorum dotatum, ubi erant sepultae Agnes Henrici* II, *et Maria Thermantia Honorii Imperatorum Vxores.* Huic contiguum fuisse tradit Alpharanus [4] *Sacellum ad Orientem aliorum supradictorum simile, per quod erat* [5] *transitus ad Templum*

1 101. 2 num. 159. 3 p. 90. 4 ms. n. 161. 5 num. 162.

Martis, *postea nuncupatum* Templum S. M. de febribus, *per quem transitum connectebantur dicta duo Templa, a cujus sinistra parte, ante ingressum dicti Sacelli a sinistris, inter Orientem, et Boream, intra dictum S. Petri Templum, sequebatur aliud Sacellum* [1] *cum Altari, cujus consecratio, et fundatio nos latet*.

Sed libet paullo diutius in Cella principe hujus Templi immorari, quam Alpharanus graphice depingit, cujus verba exscripsit Ciampinius [2] tacito, ut solet, ejus nonomine, a Sindonio item evulgata [3]. *Iuxta hoc Sacellum*, inquit [4], *sequebatur aliud Sacellum vetustissimum, et longe praestantissimum ad meridiem cum Altari, in honorem Sanctae* Petronillae *Virginis B. Petri Apostolorum Principis Filiae consecrato, quod e regione respondet Altari* S. Andreae *Apostoli ad Aquilonem, quod erat ante introitum dicti Templi; quod quidem Altare* S. Petronillae, *simul ac Templum elegantissime exornaverat Paullus* I, *ibique sub Altari ejusdem* Petronillae *Virginis Corpus ex via Ardeatina, sollemni processione translatum in nobili marmoreo labro condiderat, cum hac inscriptione marmori insculpta*

AVREAE PETRONILLAE DVLCISSIMAE FILIAE·

ut ex P. Mallio, et reliquis antiquis Ecclesiasticis scriptoribus collegimus, et nos propriis oculis labrum marmoreum hac inscriptione insculptum vidimus, et contrectavimus, postquam dictum Corpus intra Basilicam translatum fuit ad Altare SS. Crucifixi. Quae quidem ab eo fortasse desumta ex M. Vegio conjicio, qui ait [5]. *Nec vero omittendum est id, quod antiqua monumenta, ceterique auctores tradiderunt, in Altari* Petronillae *Corpus ejus, ac pretioso quidem in sarcophago translatum, reconditumque fuisse a Paullo Papa,*

1 n. 163. 2 p. 88. 3 p. 34. 4 n. 160. 5 c. IV. n. 127. p. 152.

cujus ante meminimus, cum titulo simul, quem B. Petrus eidem addiderat, hujuscemodi

AVREAE PETRONILLAE DILECTISSIMAE FILIAE

Ac demum audias Panvinium haec eadem ita enarrantem [1]. *Templum S.* Petronillae *dextera Basilicae parte fuit, parum infra transversam Basilicae Crucem, antiquum admodum, nobili, magnaque impensa, et miro cultu elaboratum, in quo Altare ejusdem Sanctae fuit, sub quo ipsius Corpus jacuit pretioso sarcophago, translatum ibidem ex Coemeterio Viae Appiae, ac reconditum a Paullo Papa, qui illud invenit cum ejusmodi titulo*

AVREAE PETRONILLAE DVLCISSIMAE FILIAE

§. vI.

Dona eidem Templo a Pontificibus collata.

Hanc Basilicam toto Orbe celeberrimam, (sic enim ipsum hoc *Petronillae* Templum vocabant) praecipuo honore a Romanis Antistitibus cultam fuisse, luculenter demonstrat Anastasius. Narrat enim, Stephanum II, [2] qui Basilicam in ejus honore construxit, ibidem *posuisse canistra argentea multa*, lampades nimirum, instar canistri, quibus lampadarium ipsum instruebatur, et *alia plurima ornamenta, quae ibidem dedicavit* ad *Petronillae* exuvias in Aedem ab se excitatam, sollemni apparatu excipiendas. Quid vero *Adrianus* I, postquam eaedem in nova hac sede relligiosissime colebantur? *Fecit in Basilica B.* Petronillae, Anastasius [3] reponit, *ad B. Petrum Apostolum arcus argenteos* vI. *pensantes libras* L. Hic tamen, ut infra ex M. Vegio [4] observabimus, hoc idem Templum, una cum al-

1 ms. c. xvI. p. 26.
2 T. II. §. LII. p. 125.
3 T. II. §. LXXVIII. p. 222.
4 n. 114. p. 80.

tero *S. Stephani Minoris*, Monasterio *S. Stephani Majoris* subjecit.

Sed levia haec fortasse, et vulgaria, si cum iis, quae de *Leone* III. tradidit Anastasius, conferantur. Nam [1] *in Altare B.* Petronillae *posuit vestem de stauraci unam habentem paraclysim de blattis, seu chrysoclabo*. Praeterea [2] *in Altare B.* Petronillae *fecit vestem albam holosericam cum tabulis de chrysoclavo, et Cruce, et ibidem Presbyterium ex marmoribus sculptis decoravit; fecit et columnas argenteas sex, et regulares duos pensantes simul libras* LXXX. Nec satis. *Super* [3] *Altare B.* Petronillae, *ubi supra, fecit regnum aureum cum gemmis pretiosissimis pensans libras* II, *et uncias* III. Adde, quod *fecit* [4] *Venerabilis, et praeclarus Pontifex super Altare B.* Petronillae *Ciborium cum columnis porphyreticis ex argento purissimo mirae magnitudinis decoratum, pensans libras trecentas quadraginta, et octo, atque imaginem argenteam stantem sub arca de ipso ciborio, pensantem libras decem, et semis*. Nam *Ciboria*, sive umbracula columnis quattuor innixa attollebantur, et in fastigiatam formam educta totum Altare contegebant, quemadmodum pluribus demonstravit Cl. Paciaudus [5]. Verum non his contentus Pontifex munificentissimus, alia quoque, plena manu, adjunxit ornamenta. Pergit enim Anastasius in ejus vita [6]. *Investivit Altare B.* Petronillae *ex argento purissimo deaurato diversis ornatum picturis undique, pensans libras* CLXII, *et uncias* VIII. Ac paullo infra [7]. *Et in Musileo B.* Petronillae, *quod ponitur ad B. Petrum Apostolum, fecit coronam ex argento pensantem libras* XX. Quae quidem coronae mo-

1 T. II. §. VIII. p. 241.
2 ibid. §. XXXV. p. 261.
3 ib §. LV. p 274.
4 ib. §. LX. p. 277.
5 ΣΚΙΑΔΙΟΦΟΡΗΜΑ, sive de Umbellae gestatione Commentarius, cap. IX. Romae 1752.
6 T. II. §. LXVIII. p. 282.
7 ibid. §. LXXII. p. 285.

do aureae, modo argenteae, per catenulas Templorum laquearibus supra sacram mensam appendebantur, ut prolatis exemplis docent Bulengerius [1] Ioh. Marnavitius [2], et Fontaninius [3]. Ac rursus in eadem vita [4]. *In Musileo* B. Petronillae, *quod ponitur ad B. Petrum Apostolum, fecit vela alba majora, tria minora, octo ornata in circuitu de quadrapulo, et cortinam majorem albam unam ornatam in circuitu de fundato*. Ac demum [5]. *Super Altare B.* Petronillae *fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio Crucem de chrysoclavo, et in circuitu ornatam de Tyrio*. Ex quibus patet, *Leonem* III. singulari erga *Petronillam* pietate incensum fuisse, qui praeterea, teste eodem Anastasio [6], *in Basilica B. Petri Apostoli*, (cui refert Grimaldus apud Turrigium [7], *donasse in auro, argento, et aliis, scuta monetae Papalis ducenta triginta septem millia, et eo amplius*) *deorsum ubi sacratissimum Corpus ipsius Principis Apostolorum requiescit, renovavit imaginem auream habentem vultum Salvatoris D. N. I. C., ac S. Dei Genitricis Mariae D. N. et BB. Apostolorum Petri, et Paulli, atque Andreae, nec non et* B. Petronillae *Martyris, ubi et addidit auri obrizi libras* xxI, *et uncias* iiI. Iure igitur si Gregorius II. Leonem Isauricum incusavit, quod [8] *Ecclesias Dei denudarit, quas Sancti Patres convestierant*, et ornarant, omni commendatione prosequendus est Leo III, qui tam lauta, ac magnifica supellectile *Petronillae* Aedem instruxit,

1 De Donariis Pontificum lib. iI. c. viI. Lugduni 1631.

2 Diss. pro sacris Ecclesiarum ornamentis, et Donariis, contra eorum detractores. Romae 1635. 8.

3 de Corona Ferrea Langobardorum. cap. ix. Romae 1717.

4 T. iI. §. LXXXVI. p. 299.

5 ibid. §. cI. p. 309.

6 ibid. §. cx. p. 314.

7 p. 486. Dan. Papebrochii de S. Leone Papa iiI. Commentarius historicus. in T. iI. Iunii p. 572. Ioh. Gottl. Fabri Dissertatio historica de Leone iiI. Pont. Rom. Tubingae 1748. 4.

8 Epist. I. Labbè Conc. Collect. T. viI.

adversus Rodulphi Hospiniani [1], ejusque sectatorum criminationes, qui donaria, atque anathemata a Templis eliminanda esse, nefarie arbitrantur.

Verum alii etiam Pontifices *Leonis* III. relligionem in *S. Petronillam* sunt aemulati, ac illius Templum opulentis donariis cumularunt. *Leo* enim IV, ut Anastasius [2] testatur, *vestem fulgidae visionis in Basilica S.* Petronillae *perfecit, habentem rotam, aquilamque cum Cruce de chrysoclavo, et gammadiis unam*. Quem Anastasii locum perperam, mea quidem sententia, Vgolinus de Aede, quam *B. Petronillae* sacram fuisse vidimus in Via Ardeatina, in Coemeterio Domitillae, interpretatus est. Nam praeterquamquod eidem nusquam *Basilicae* titulum datum fuisse animadvertimus, contra quam de Templo, in quo versamur, factum novimus, quisnam sibi persuadeat, *Leonem* IV. veterem B. *Petronillae* Ecclesiam ornare maluisse, quam novam, ubi sacrae ejusdem Virginis exuviae colebantur? Quapropter ad hoc etiam Templum referendum esse arbitror alium Anastasii locum in ejusdem Pontificis vita, ubi ait [3]. *In Ecclesia B.* Petronillae *fecit vestes de fundato tres, et vela duodecim, quattuor quidem de fundato, et tres de spanisco, et linea quinque*.

Haec autem, aliaque etiam inferius proferenda, iis addi velim, quae cc. vv. Franciscus Baertius, et Conradus Ianningus [4] in *historico Commentario de S.* Petronillae *Virginis Romanae obitu, spirituali Patre S. Petro, cultu, reliquiis, quarum variae aliarum synonimarum sunt*, hanc in rem adnotarunt. Nam quae ad *Leonem* III. tan-

1 in Historia Sacramentor. lib. I. c. I. et seq. Tiguri 1598.

2 T. III. §. XXXVI. p. 89.

3 ibid. §. LXXXVI. p. 124.

4 T. VII. Maji p. 421.

tum pertinent[*], protulisse eos reperi, quibus exceptis, ne ullum quidem verbum adjiciunt de hoc Templo sane celeberrimo, de quo pauca tantum Ianningus inseruit [1], ubi *de Basilica S. Petri, iisque adjunctis Sacellis* erudite disputavit.

§. VI.

De variis ejusdem Templi nominibus.

Jam vero vidimus, hoc Templum ab Anastasio, *Ecclesiam, Basilicam, Mosileum, et Musileum* indistincte appellatum esse. Si quis autem haereret ad postrema hujusmodi verba, is facili negotio eorum intelligentiam assequetur; dummodo haec pro *Mausoleo* frequenter usurpata, ex Ducangii doctrina accipiat. Nam *Musilei* vocem, ut erudite Fabrettus [2] animadvertit, tamquam amanuensis mendam in Anastasio corrigendam, perperam existimavit Alteserra. Siquidem eamdem ex recta *Mausolei* voce derivatam, et corruptione non unius seculi, pluribus modis detortam demonstrat istiusmodi exemplis. Apud Gruterum [3] occurrit MAESOLEVM quoddam Nemausi [4], MESOLEVM Paulli Militis Tarraconensis [5], MESOLVM . M. SELI . ORCILI . via Flaminia ad laevam inter miliar. II, et III, nec non MOESILEA apud Frontinum de *limitibus*, quo in loco Rigaltius in explanationibus MVSILEVM adducit. Ac demum inter tot verbi hujusce depravationes, MAVSOLEI vestigium reperiri, Fabrettus conjecit in denominatione ISILEO, cuidam insigni sepulcrali rotundae formae monumento, tunc temporis inhaerente ad XI. lapidem veteris viae Tus-

1 Sect. F p. 157. T. VI. Iunii.
2 in Syst. de Colum. Trajani c. VIII. p. 252.
3 p. CDXCVI. 7.
4 p. DLVI. 2.
5 p. DCVII. 1.

culanae. Quibus, praeter alia duo *Musilei* exempla, in Leonis III. vita nuper a nobis reddita, illud etiam MOSILEOS in vita *Stephani* II. a Fabretto adjici poterat.

Equidem scio, eximium Virum Scipionem Maffejum in artis Criticae Lapidariae fragmentis, quae Donatus edidit [1], vocem MESOLAEVM inter spurias, ac rejectitias adnumerasse. Tot tamen monumenta, in quibus hoc nomen, ac similia occurrunt, falsitatis arguere, nonne perniciosissimi exempli facinus videri possit?

At unde nam huic Templo *Mausolei* nomen? Cave, Vignolii sententiae subscribas, qui hoc Templum *Mosileos* vocatum fuisse arbitratus est, quod esset aedificium rotundum, alteri, quod ei proximum erat, non absimile. Hoc enim verbum non satis recte ab eo explicatur, quum constet, nuper dejectum *Sacrarium*, etiamsi ejusdem fuerit formae, atque structurae, nusquam tamen *Mosileos* nomine venisse. Neque vero audiendi sunt ii, qui potius hoc Templum *Musileum* fortasse nuncupari consuevisse, opinati sunt, vel quia octogonae esset figurae in modum Hemisphaerii assurgens; vel ex eo quod ejus parietes marmoribus, et opere musivo circum undique ornati essent, etsi postremae huic opinioni locus favere videtur apud Anastasium, qui ita habet [2]. *Et ingresso Silverio cum Vigilio solo in* Musileum, *ubi Antonina Patricia jacebat in Lecto, et Belisarius Patricius sedebat ad pedes ejus.*

Verum recte Barptholemaeus Plazza [3] arbitratus est,

1 p. 196.

2 T. I. §. VIII. p. 211. in vita S. Silverii. V. Dan. Papebrochii Diss. de ordinatione, et abdicatione S. Silverii, atque Vigilii subrogatione. in Propyleo Maii p. 80. et Comment. praevium ejus vitae in T. IV. Iunii pag. 13. et Gottl. Wernsdorfii Dissert. de Silverio, et Vigilio. Witteb. 1739. 4.

3 de vII. Eccl. p. 51.

usurpata omnino esse, in aliis Anastasii locis *Musilei*, et *Mosileos* vocabula, quod illustriores in eo defuncti sepeliebantur, quemadmodum paullo infra demonstrabimus. Nam, teste Pausania [1], qui de Sepulcro, quod *Mausoleus* Halicarnassi habebat, septem Orbis miraculis adnumeratum [2], edisserit, Romani *rei miraculo adducti*, non solum *magnificentissima quaeque apud se monumenta*, Mausolea *appellarunt*, sed etiam communia, ut supra vidimus, fuseque demonstrant Bellorius [3], et Ficoronus [4], privatorum hominum sepulcra, hoc titulo donata fuerunt. Profecto, quae ad B. *Petronillae Mausoleum* pertinent, Ducangius pro loculo, in quo reconditum erat S. Virginis Corpus, accipienda esse scripsit, eademque notione exemplis vitarum S. Godebertae [5], S. Johannis Abatis Parmensis [6], S. Raymundi Episcopi [7], et Harmeri [8], *Mausolei*, et *Musilei* voces usurpatas esse probavit.

Quae quidem Panvinium hallucinatum fuisse demonstrant, qui [9] hoc nomen ad unum *Augusti Mausoleum* pertinuisse scripsit, cui iccirco referendam esse docuit

1 in Arcad. l. VIII. c. XVI.

2 V. Leonem Allatium. in notis ad Phylonem Byzantinum. Cuperum. de Apotheosi Homeri pag. 236. et Baylium. in Diction. Historico-Crit. Ioh. Tarrinium. Dissertation sur deux Medailles grecques l'une de Mausole, et l'autre de Pixodarus, Rois de Carie. Ext. in Diario Sapient. Amst. Febr. 1685. pag. 62. Ioh. Christophorum Avenarium. in Dissert. de Artemisia, et Mausoleo. Lipsiae 1714. Loescharium. Reflexions sur une Medaille d'Artemise Reine de Carie, et de son Mausolee. Potsdam 1748. 8. Aulysium de Gymnasii constructione, et de Mausolaei Architectura. Neap. 1693. in T. VII. Sallangre p. 889. Com. de Caylus Dissert. sur le Tombeau de Mausole. dans le T. XXVI. de l'Hist. de l'Acad. des Inscr. pag. 267.

3 Veterum sepulcra, seu Mausolea Romanorum. Romae 1699. fol. Lugd. Batav. 1728. et in T. XII. Thes. Gronov.

4 in Diss. Italica de Bulla aurea Pueror. Nobil. Rom. 1732. 4. p. 29. V. Sarnelli del Musaico, o Musivo. in T. IX. Liter. Eccl. pag. 29.

5 T. II. SS. Aprilis Boll. p. 36.

6 T. V. Maji p. 183.

7 T. IV. Iunii p. 133.

8 de Miraculis S. Namilsi Episc. Andegavensis.

9 in Comment. Rom. Reip. lib. I. ad Reg. IX. p. 201.

M. Vlpii Aegli Trajani Liberti *Mausolei Procuratoris* Inscriptionem a Grutero [1], et Fabretto [2] evulgatam, ac recens a Steph. Ant. Morcellio [3] scite admodum illustratam. Quamquam Panvinii errorem alia sunt, quae redarguant. Nam praeterea non solum ejusdemmodi nomine *Adriani* sepulcrum, sed *Helenae Augustae* Basilica donata fuit, quam in Cod. Vrbin. MISILEVM pro MAVSOLEVM vulgo nuncupatam esse notat Vignolius [4], nec non Sanctae *Constantinae* Templum in via Numentana, ut infra observabimus.

§. VIII.

De rebus memorabilibus ibidem gestis.

Plurima in promptu habemus argumenta, quibus evincamus, Templum hoc jam inde a primordiis summa relligione, omnique aetate, et ab omni fere natione fuisse cultum. Vt enim Pipinus Rex, Templum rotundum S. Virgini a *Stephano* aedificatum, et a *Paullo* dicatum fuisse intellexit, Filiam, quam ex Bertrada Vxsore tum susceperat, mirabili pietatis exemplo, Romam deferri jussit, ut a Pontifice sacro regenerationis lavacro in eadem S. *Petronillae* Aede ablueretur. Quod incredibili caeremonia a *Paullo* I. eodem modo, quo *Stephanus* Frater sibi [5] Pipinum Regem cum duobus Filiis Lutetiae Parisiorum adsciverat, praestitum est. Illam enim e sacro fonte, tamquam Regiam Filiam suscepit, *Gislanae*, seu, ut aliis placet, *Giselae* nomine imposito, Compatremque inde in posterum Pipinum appellavit, ut a

1 p. CLXXV. 9.
2 de Col. Traj. p. 251.
3 de Stilo Inscr. Latin. p. 155.
4 T. I. §. xxvI. p. 100. in vita S. Silvestri.
5 Mabillon. ad Acta SS. Ord. S. Bened. T. III. col. 524.

Belforestio [1], et Arnoldo [2] accepimus, imo et ab ipsius *Paulli* epistola xxvII. in Cod. Karolino, cujus verba praestat heic subjicere [3].

Interea, Christianissime, Dei providentia Victor Rex, gemina festivitatis peregimus gaudia, in eo quod optata cordis adepti desideria, in vinculo spiritalis foederis, pariter sumus adnexi; praefatus nempe sodalitatis vestrae illustris Missus, (nimirum Wlfardus Abbas Martinianensis apud Turonos, de quo consule Mabillonium [4]), *pretiosissimum nobis supernae gratiae munus attulit, Sabanum videlicet, in quo nostra dulcissima, atque amantissima spiritalis Filia sacratissimo lavacro abluta, suscepta est, quam et cum magna jucunditate, aggregata populi coborte, infra Auram sacrati Corporis auxiliatricis vestrae B.* Petronillae, *quae pro laude aeterna memoriae nominis vestri nunc dedicata dinoscitur, celebrantes Missarum sollemnia cum magno gaudio suscepimus, et per allatum eumdem Sabanum, eam tamquam praesentialiter nos suscepisse gaudemus*. Quae quidem, si cui forte obscura videntur, is consulat, moneo, doctissimas Cajetani Cennii adnotationes, qui tamen ad eas ita ingenue praefatus est [5]. *Codex membranaceus, quo usi sumus, vetustus quidem est, et satis vetusto charactere exaratus, sed vitiosissime; ita ut minor forsan labor esset stabulum Augiae expurgare, quam omnia exemplaris hujus menda tollere, quae emendet, qui in meliorem codicem inciderit. Nos interim arbitrati sumus, satius esse, Paulli Pont. epistolas qualicunque modo in luce versari, quam diutius in tenebris delitescere, et obsolescere.*

1 lib. II. cap. IV.

2 lib. IV. c. XXIX. V. Turrigium Grotte Vaticane p. 148.

3 Tom. I. p. 136, et apud Duchesne in Hist. Franc. Script. T. III, et Muratorium in T. III. Rer. Ital.

4 T. II. Ann. Ord. Bened. p. 168.

5 T. I. Cod. Car. p. I.

Illud tamen aperte patet, Regium hoc Templum, quod heic *Aulae* nomine designatur, (ita enim pro *Aura*, quam posuit somniculosus scriba, legendum esse, cui dubium erit, quum sacras Aedes saepe ita nuncupatas fuisse plura doceant exempla [1]?) *pro laude, aeternaque memoria nominis Pipini* a *Paullo* I. fuisse consecratum. Quae potissima caussa fuit, licet, ut Nic. Alemannus [2] animadvertit, a doctis Viris ignorata, cur hanc Basilicam ceteri Francorum Reges, tam sancte deinde coluerint, ut infra declarabimus.

Quid vero hujusmodi exemplo illustrius, ac luculentius proferri potest ad probandum Patrinorum usum [3] ab *Hygino* institutum, a *Stephano*, et *Paullo* confirmatum, nullaque interruptione per omnes deinceps aetates conservatum? Ac praeterea, quod ad rem nostram magis interest, ac aeternae hujus Templi gloriae cessurum puto, hinc liquido constabit, a *Stephano* primum, alibi incoeptam hujusmodi consuetudinem, Romae hoc loco a *Paullo* Fratre sollemnius confirmatam fuisse, ut Romani Pontifices Francorum Regum Liberos ad sacrum regenerationis lavacrum, in Filiorum locum susciperent.

1 in Histor. Episc. Antissiod. in Diario Trevoltino anni 1714. p. 1976. et ibidem ex Caeremoniali Eccl. Girundensis. In vita S. Medardi Epis. Noviom. T. VIII. Spicil. Acher. p. 405. et 409. T. III. Annal. Benedict. p. 15. in descript. Cantuariens. Eccl. apud Gervasium Daobernensem, et lib. VI. Historiar. Eadmeri p. 141.

2 de Parietinis Lateranensibus p. 101. et in Thes. ant. Ital. Graevii T. VIII. P. IV.

3 Ioh. Georgius Simon de Patrinis, Guil. Saldenus, et A. Schuler de Susceptoribus, Sam. Wilchins. de Patrinis, Matrinisque, Guil. Wilchius. de Fidejussoribus in Ecclesia veteri. Isaac Iundt. de Susceptorum baptismalium origine. Gerhardus Van Mastricht. in Schediaismate de Susceptoribus infantum ex baptismo. Gottlob Ang. Ienichen. in prolusione de Patrinis, eorumque origine, numero, et sexu; ceterique hujusmodi ritus Scriptores a Fabricio, Binghamo, et Zaccaria. T. II. T. II. Bibl. Liturg. p. 423. et in Tom. I. de discipl. Pop. Dei Fleury Venet. 1752-4 p. 58. et in praemissa Bibliographia sacrar. Antiquit. memorati.

Sed nihilo minoris faciendum est, quod Karolus M. erga eamdem Virginem *Petronillam*, in eodem Templo praestitit. Quum enim Romam ad sollemnia Paschae cum Liberis venisset anno DCCLXXXI, ab Adriano efflagitavit, ut e sacro fonte in eadem Basilica Karlomannum Filium suum susciperet. Quod Pontifex, ut tradit Regino [1], libentissime concessit, ablutumque Infantem a Pipino Karoli Patre nominavit, et Italiae Regem inunxit. Id autem Karolo M. pientissimo Imperatori, adeo gratum accidit, ut nullo non tempore gloriatus fuerit, se Romanum Pontificem *Compatrem* habere, atque hunc titulum apud ipsos Orientis Imper. de se [2] praedicaverit.

Verum Turrigio adsentire non possum, qui non multo post, Constantinum Graecorum Imperatorem, et Rotrundam Karoli M, et Ildegardae primae Vxsoris Filiam matrimonio ibidem ab eodem Pontifice conjunctam fuisse tradidit. Nam ex Eginardo liquet in vita Karoli [3], et ex ipso Codice Karolino [4], eam innuptam permansisse.

§. IX.
Hagne Augusta ibidem sepulta.

Quid plura? quum e Germania Romam venit Hagne Augusta, Guillelmi Pictaviensis Filia, Henrici II. Vxsor, ut ex praescripto Alexandri II. privatam in Vrbe vitam sancte transigeret, magnam etiam diei partem, ante SS. Virginis exuvias moris habuit insumere, nec divelli ab ea, nisi aegerrime patiebatur. Quod quidem fortasse Mabillonio fraudi fuit, ut sibi persuaserit [5], Hagne-

1 in Collectione Schartii p. 28. V. Turrigium Grotte Vat. p. 148.

2 in ep. Synod. ad Constant. et Iren.

3 T. I. p. 351. et 383.

4 T. I. p. 136. et seq. V. Pichler in Augusta V. Carolorum Hist. lib. I. P. I. n. 25, et Maurinos Art de verifier les Dates.

5 T. IV. Annal. Ben. n. XXI. p. 10. ad a. 1068.

tem in *Monasterio S. Petronillae* fuisse versatam. Atqui compertum est, eam, quousque Romae vixit, in Aedibus Lateranensibus commoratam, ibidem occubuisse. Praeterea nullum aliud ex priscis monumentis apparet Monasterium, *S. Petronillae* titulo insignitum, quam quod ab eodem Mabillonio [1] indicatur apud Plumbariolam, in Territorio Aquinensi prope Casinum, a Thasia Ratchii Ducis Vxsore, et Filia eorum Ratrude constructum, seu instauratum, de quo plura habemus apud Leonem Marsicanum [2], et Anastasium [3], ac praesertim apud eumdem Mabillonium in observationibus ad Libri Diurni Romanorum Pontificum supplementum [4].

Ea vero erat Hagnae erga *Petronillam* studii praeconcepta opinio, ut, quum ea Germaniam deinde revertisset, Petrus Damianus Cardinalis, his eam inter cetera verbis compellandam duxit, quae Romam facilius revocarent. *Revertere ergo*, inquit [5], *Domina mi, revertere, teque lugentibus festivam redde laetitiam, qui rutilantem caeli gemmam de capite Mundi Roma, quodammodo ploramus avulsam. Ingerat tibi nauseam Aula regalis Imperii; sola tuis manibus sagena redoleat Piscatoris; illic cum* Petro-

1 ibid. T. I. n. xiv. p. 54.

2 in Chron. Casinensi lib. 1. c. viiI.

3 T. iI. §. xxiiI. p. 80. in S. Zachariae Vita.

4 Mus. Ital. T. 1. p. 35.

5 ep. viiI. p. 328. ejus vita a Ioh. Monacho, et discipulo conscripta. apud Surium die 22. Febr. p. 174. et cum P. Damiani epistolis. Paris. 1610. 4. Eadem cum Comm. praevio, et notis Henschenii. in T. iiI. Febr. Boll. p. 406. Eadem cum observationibus praeviis, et notis in Mabillonii actis SS. Ben. Sec. vI. P. iI. p. 244. Ioh. Laderchii vita S. Petri Damiani S. R. E. Card. Episc. Ostiensis in vI. libros distributa. Tom. iiI. Romae 1702. 4. in cap. xxiI. ita inscripto. In Germaniam revertitur Agnes Augusta, quae deinde ad limina Apostolorum a Petro Damiani iterum revocatur. Ejusdem Augustae reditus, gesta, et obitus. T. iI. pag. 225. Casim. Oudini Diss. de Scriptis Petri Damiani. in T. iI. de Script. Eccl. pag. 686. Lips. 1722. fol. Vita di S. Pier Damiano Camaldolese, Card. e Vescovo d'Ostia. Venezia 1729. 8.

nilla *simul habere te libeat sepulturam, ut insignis ille Pater geminam juxta se, carnis videlicet, ut spiritus, gaudeat requiescere Filiam*. Quae adeo piam Imperatricem moverunt verba relligionis plenissima, ut Romam denuo reversa sit, illudque, quod, dum vita suppeditavit, in votis maxime habuerat, consequuta demum sit, ut etiam mortua in B. Virginis *Petronillae* Basilica conquiesceret, prope Templum Vaticanum, ubi anno MXLVI. una cum Henrico Aug. insignia Imperii, primo die honoris Clemenlis II, suscepisse demonstravimus. Etsi enim, ut Rasponius [1] affirmavit, primum sepulta fuit in Lateranensi Basilica, pone quam diem supremum obiit, *deinde ad Aedem S. Petronillae translata* fuit [2]. Id autem post dies XXII. ab ejus obitu contigisse scripsit Laderchius.

Epitaphium, quod ejus sepulcro erat insculptum, temporis longinquitas nobis invidit, ut eruditissimus Philippus Dionysius testatur, inquiens [3]. *Quaerenti vero Agnetis Imperatricis epitaphium, quod cum sepulchro ejus exstabat, Maphaeo Vegio in vivis agente, scilicet* XV. *Ecclesiae saeculo, in Vaticano, juxta Altare S. Petronillae, marmoreum hunc titulum ostendere nequeo*. Verum quum illum M. Vegius historiae suae [4] intexuerit, ab se descriptum, aeque ac praestitit Dionysius, heic subjiciam.

1 p. 199.
2 V. D. Vaissette Hist. Gen. de Languedoc. T. III. p. 243.
3 in Praefat. Operis de Cryptis Vatic. pag. XIV.
4 c. III. p. 76.



ANNO M. LXXVII.
AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
INDICTIONE PRIMA ANNO V. PONTIFICATVS
DOMINI GREGORII PAPAE VII.
AGNES IMPERATRIX AVGVSTA
POST MORTEM VIRI SVI HENRICI IMPERATORIS SECVNDI
ANNO XXII. XXIIII. DIE MENSIS DECEMBRIS
ANIMAM BONIS OPERIBVS FOECVNDAM
LATERANIS SALVATORI SVO
ATQVE OMNIVM BONORVM DEO REDDIDIT
ET HIC VBI ANTEA IMPERAVERAT
CLAVIGERO COELI PRO CVIVS AMORE
IBIDEM PEREGRINATA FVERAT
V. DIE MENSIS IANVARII
EXSPECTANS SPEM BEATAE RESVRRECTIONIS
ET ADVENTVM GLORIAE MAGNI DEI
MEMBRA CARNIS COMMENDAVIT IN PACE. AMEN.

Hanc inscriptionem legimus etiam apud Grimaldum [1], Aringhium [2], et Ciampinium [3]. Sed eam multo ante retulerant Abbas Vespergensis, et Constantiniensis Bertoldus, scriptor Sec. xI. apud Baronium [4], qui legit *militaverat*, pro *imperaverat*. His addatur Alpharanus, qui haec adjunxit [5]. *Intra vero hoc Sacellum, juxta Altare* (ejusdem Virginis *Petronillae*) *erat sepulcrum Agnetis Imperatricis, Vxoris Henrici* II. *Imperatoris, quae quam nimia erga Basilicam devotione fuerit affecta, quantum illam ceteris omnibus praetulerit, et dilexerit, ex humanis decedens, mirifice ostendit. Nam in Lateranensi Palatio vita functa, juxta Petrum Christi Vicarium, Caeli Clavigerum in Vaticano, et Petri Filiam, pro quorum amore peregrinata fuerat,*

1 in lib. instr. fol. 39.
2 p. 270.
3 p. 88.
4 an. 1077. n. 68.
5 ms. num. 160. p. 161.

spem beatae resurrectionis exspectans, carnis membra commendavit in pace, ut ex epitaphio marmore insculpto, supraque ejus sepulcrum affixo liquet.

§. X.

De Mariae, et Thermantiae Sororum Augg. Honorii Vxsorum Sepulcro ibidem detecto.

Verum aliis etiam Imperatricibus, prope Virginis *Petronillae* exuvias diu quiescere licuit. Praeter ea, quae supra audivimus a Paullo de Angelis, testimonio est idem Alpharanus, qui haec habet [1]. *Erat etiam heic et alterius Imperatricis aliud marmoreum Sepulcrum nobilissimum in Sacelli penetralibus conditum, praedicto Sepulcro longe ditius, Mariae Honorii Imperatoris Vxsoris, quae in Vrbe e vita migrans, etiam juxta Clavigerum Coeli, ejusque Filiam diem resurrectionis expectans, sepeliri mandavit; quin etiam sepulta fuit juxta eam Thermantia Augusta ejus Soror, quae postea etiam ipsa fuit dicti Honorii Imperatoris Vxsor.* Nam Honorius Imperator, haud obvio inter Christianos exem-

1 Ibid. in Cappella S. Petronillae diruta, fuit inventum Sepulchrum marmoreum juxta Altare S.Petronillae. Adì 4. Febraro 1544. nel Pontificato de Paulo PP. III. fu scoperto un sepolcro appresso l'Altare di S. Petronilla. Era un gran pilo de marmo tutto d'un pezzo, longo pal. 14. et largo pal. 11. alto pal. ... coperto con una pietra di marmo simile di longhezza, et larghèzza, et grossa pal. 1., et tre quarti. Dentro il quale pilo era il Corpo di Maria Moglie d'Onorio Xmo Imp. di Constantinopoli. Il qual Corpo era vestito d'una veste d'oro tirato, et in testa un panno d'oro con più avolti, et un altro distese sopra al viso, et il petto, il quale oro fuso pesò libre 35. la lega era de 24. carate. Dal lato haveva una scatola d'argento piena de diversi vasi de Cristallo, d'Agata, et de altre pietre, et similmente de diversi animali, con alcuni ornamenti d'oro, et appresso a questa una cassetta coperta d'argento indorato, con alcuni ornamenti di teste di chiodetti d'argento, in la quale erano molti anelli d'oro, tutti con pietre pretiose, passavano il numero di 150. alcune collane, et catenette con pendenti, et altri lavori con gioje, et alcuni lavori d'oro, quale cose tutte hebbe il d. Papa Paulo III.

plo, duas hasce Filias Stiliconis, et Serenae, unam post alteram matrimonio duxit, quae inopinata morte sublatas, adhuc Virgines, ex hac luce migrasse, tradiderunt Paullus Diaconus, Ammianus Marcellinus, Zozimus, et Sozomenus [1].

Hujus autem sepulcri magnificentiam licet dignoscere, ex iis, quae idem Alpharanus subjungit. *Hoc quidem*, inquit, *Mariae Sepulcrum, auro, argento, pretiosisque margaritis refertum sub Paullo* III. *P. M. die* IV. *Februarii* 1544, *quum novae Basilicae fundamenta jacerentur, repertum fuit, et adhuc etiam superest marmoreum labium admirabile, parvulae aulae instar, in quo praedictae Imperatricis Corpus, simul cum dicto thesauro inventum fuit.*

Verum haec etiam Grimaldus recenset ex Kalendario Jac. Herculani Canonici S. Petri, quod in Basilicae Archivo asservatur, ac nonnulla exhibet scitu digna, unde mos veteris aetatis agnoscitur in humandis Principum, et illustrium Virorum, ac Feminarum Corporibus, quorum caput aureo panno spiris compluribus circumdabant, alterumque ab eo distinctum, vultui, ac pectori imponebant. Quapropter non abs re, puto, erit, ipsa Herculani verba cum Lectoribus communicare, quae ita habent [2]. *Memoria, quod die* III. *Februarii* MDXXXXIII. *detectum fuit Sepulcrum in Sancto Petro in Cappella, quae dicebatur; Sancta* Petronilla, *alias Regum Francorum, quum novae fabricae fundamentum foderetur. Quod sepulcrum erat magnum pilum marmoreum coopertum tabula simili crassitudinis palmi unius quarti, 3. longitud. palm.* XIIII. *latitud.*

1 lib. v. V. Marlianum in Top. Vrb. I. v. XXI. Pitiscum in Lexico ad Honorium. Petr. Baylium in Lexico. Vaissettum. Hist. genèral de Languedoc T. III. p. 245. ad an. 1413.

2 fol. 45.

palm. XI, *in quo erat Corpus Mariae Vxoris Honorii Imperatoris Constantinopolis. Quod Corpus indutum erat veste ex auro, ut vulgo dicimus*, oro tirato. *In capite habebat pannum aureum pluries indutum, et aliud extensum supra faciem, et pectus. Quod aurum in forma panis fusum, ponderavit libras triginta quinque*. Franciscus Blanchinius [1], recitatis his ipsis Herculani verbis, addit eumdem alia etiam ornamenta cum his reperta descripsisse, quae ab se tamen praetermittebantur, quum de velis tantum capiti injectis, et circumductis, sermo sibi esset, quorum usus in tumulandis Procerum Corporibus vigebat, aetate Leonis Magni. Quod tamen multo remotiori etiam aevo in more positum fuit, quum Christifideles, ex Aegyptiorum, et Judaeorum, usu hominum Cadavera, non modo linteis, sed fasciis etiam, Puerorum Infantum instar in cunis, obducere consueverint, ut constat ex variis sarcophagis ab Aringhio prolatis, ubi Lazarus ita repraesentatur, et ex veteri monumento a Dionysio illustrato [2].

Sed, quod in Blanchinio desideramus, Lectoribus minime invidendum esse duco. Ac propterea, quod in Jac. Herculani descriptione reliquum est, ex ipso Grimaldi codice, unde cetera sumsit Blanchinius, placet heic attexere. Pergit itaque Herculanus [3]. *Aurum in forma panis fusum ponderavit libras* XXXV. *liga continebat viginti quatuor caratas. Ad latus habebat capsulam argenteam plenam diversis vasis ex chrystallo, agatha, et aliis lapidi-*

1 In T. III. edit. Anastas. p. 160.

2 p. 6. V. Ioh. Nardium. in notis ad Lucretium p. 646. Thomam Alghisium. T. VI. Diarii Italici p. 171. Octavium Ferrarium. Elect. II. 20. Gisbertum Cuperum. II. 9. observat. Ioh. Iac. Chifletium. in Crisi historica de Linteis sepulchralibus. Antuerpiae 1624. 4. Dupinium. Tom. XVII. p. 271. Salomonem Daylingium. Part. III. Observat. Sacrar. p. 275. Sarnellium. de' Tesori trovati ne' sepolcri. In T. X. Lit. Eccl. p. 156.

3 fol. 45.

bus, ac similiter diversorum animalium. Et apud hanc erat alia capsula, argento inaurato tecta, cum nonnullis ornatibus ad usum capitis, claviculis argenteis, multis annulis aureis, omnibus cum preciosis gemmis, ultra numerum centum quinquaginta, cum aliquibus torqueis, et catenulis aureis, cum armillis aurium, et aliis operibus gemmatis, et aliquibus aureis. Quae omnia habuit Paullus Papa Tertius. Hisce vero Grimaldus de suo haec adjecit. *Corpus Imperatricis illatum fuit in commune Conditorium versus Altare majus,* Polyandrium *appellatum*. Quae quidem aperte demonstrant Marangonii lapsum, qui *Mariae* Sepulcrum detectum fuisse scripsit [1], quum Probi Templum dejectum fuit, quod, ut loco suo adnotabimus, a Nicolao V. solo aequatum fuisse scimus.

Neque praetereundus Lucius Faunus, qui singillatim hujus Sepulcri aperitionem describit, atque omnia cimelia, quae ibidem reperta sunt, veluti ob oculos ponit. *In Cella*, inquit [2], *Galliae Regis, quae in B. Petri*

1 pag. 390.

2 *de antiqq. Vrb. Rom. lib. V. pag. 125. Sed italicam quoque ejusdem Scriptoris narrationem in lib. v. c. x. p. 153. ad illustrandam reperti thesauri historiam valde accomodatam, etsi paullo prolixiorem, praetermittendam minime esse censee, ac propterea heic eam subjicere, non alienum existimo.* Nel Mese di Febraro, del XLIII. nella Cappella del Re di Francia, che in S. Pietro si edifica secondo il nuovo modello, che Papa Giulio II. disegnò, si è ritrovata, cavandosi una arca di marmo, che da le cose, che vi sono state ritrovate dentro, si è chiaramente conosciuto, che fosse questo un sepolcro di Maria Moglie de l'Imperatore Honorio: del Corpo morto non vi avanzava altro, che i denti, i capelli, e le duo ossa delle gambe. De la vesta, che era un panno di seta, e di oro, si cavò funderdosi da XL. libre d'oro finissimo. Vi era dentro l'arca una scatola d'argento rotta in tre, o quatiro pezzi, et era lunga un piede, e mezzo, et alta da un palmo con molte cose dentro, che noi particolarmente diremo. Vi erano vasi, e diversi pezzi di cristallo, fra grandi, e piccoli xxx. fra li quali vi erano come due tazze non molto grandi, l'una ritonda, l'altra di figura ovale, con figurette di mezzo cavo bellissime: et una lumaca pure di cristallo acconcia in una lucerna con oro fino, del quale n'è prima coperta la bocca de la lumaca, restandovi solo un buco

est, quum eam formam aedificando sequerentur, quàm Iulius Pont. proposuerat, excavando, marmorea arca inventa est, quam ut ex iis, quae in ea reperta sunt, perspicue constat, sepulcrum fuisse Mariae Honorii Imperatoris Conjugis. Cadaveris illius nihil reliquùm erat, dentibus, comis, tibiisque exceptis; ex veste autem, quoniam auro intertexta esset, multae auri librae, dum in ignem esset posita, exceptae sunt. Capsula argentea pedis, ac dimidii longitudine, palmi unius altitudine, multaque insuper vasa chrystallina, atque ex materia, quam agatham vocant, summa arte perfecta, inventa sunt. Annuli XL. *aurei praeterea variis ornati gemmis reperti. In iis smaragdus caput habens incisum. Honorii putatur fuisse, ac quingentorum Coronatorum aureorum aestimatione. Accedebat bulla gemmis intertexta, has litteras circum-*

in mezzo da porvi l'oglio: a lato al qual buco si vede con un chiodo confitta una mosca d'oro mobile, che cuopre, e discuopre il buco. Vi è poi medesimamente di oro la punta col pippio da porvi lo stoppino, tirato in lungo, et acuto con bellissima gratia, et in modo col cristallo attaccato, che vi pare nato insieme. E così è anco ben fatto il coverchio di sopra. La forma de la lumaca è come un conchiglio grosso marino girato intorno con le sue punte per tutto, le quali in questo vaso sono liscie, e dolcissime, per essere il cristallo ben lavorato. Vi erano anche vasi, e diversi pezzi di Agata con certi animaletti, fra tutti VIII, e fra loro duo vasi bellissimi, l'uno, come una di quelle ampolle di vetro grandi, e piatte, da tenervi oglio, o altro simile liquore, in modo fatta, e così bella, e sottile, che è una maraviglia a mirarla; l'altro è fatto a guisa d'una di quelle schiumarole col suo manico in su lungo, che usano di rame in Roma per cavare l'acqua da le bittine, e vogliono, che fosse un vaso, che usavano gli antichi ne' sacrificii. Appresso vi erano quattro vasetti d'oro di diverse sorti: et un altro vasetto d'oro di forma ovale col suo coverchio con gioje a torno: un core d'oro picciolo, che fu un pendente con sei gioiette incassate; un fermaglio di oro con cinque gioje di diverse sorti con varie gioje incassate in essi. E XLVIII. fra anelli, e verghette d'oro di diverse maniere, et un di loro di osso rosso con diverse pietre. E tre animaletti di osso rosso. Vi erano ancho duo pendenti da orecchie di smeraldo, o plasma con duo hiacinti. Quattro crocette con pietre rosse, e verdi: Vn pendente in forma di un grappo di uva, fatto di pietre paonazze: otto altri pendenti piccioli di oro di

continens MARIA DOMINA FLORENTISSIMA. *Laminula item aurea cum iis verbis graece scriptis*

MICHAEL, GABRIEL, RAPHAEL, VRIEL.

Inter reliquas inaures, monilia, ac similia ornamenta muliebria, quae in ea capsula inerant, quidam ceu nodus smaragdorum, variarumque gemmarum fuit, atque ex puro auro ornamentum, quod rizzam vocant. Praeterea palmi prope longitudine ex uno latere has notas habens DOMINO NOSTRO HONORIO, *ex alio* DOMINA NOSTRA MARIA. *Sorex ex coelidonia. Conchula insuper, ac patera ex chrystallo. Aurea pila rotunda, persimilis lusoriae, quae aperiri facile poterat, quum in duas partes esset, in nucis morem, divisa. Aliae gemmae innumerabiles fere, quae tametsi majori ex parte vetustate corruptae essent, nonnullae tamen quasi recentes, ac novae veterem nitorem servabant.*

diverse sorti, con varie pietre inchiastrate: tre altre crocette di oro con certi smeraldi incassati: un pezzo di una collana picciola sottile con certe pietre verde infilzate: un'altra collanina d'oro con xxi. paternostri di plasma: Vn'altra collanina con ix. paternostri di zaffiri tagliati a mandorle: un'altra collanina d'oro tirato raccolto, rotta in quattro pezzi: duo bottonini di oro: quattordici magliette di oro. Tre altre crocette con certi smeraldi: et un tondo di oro, come uno Agnus Dei, con queste lettere intorno STILICO VIVAT. Duo manichi di oro con certe pietre verdi, e rosse: due agucchie grosse, o stiletti per rizzafira, l'uno di oro lungo, presso a un palmo, con queste parole scritte DOMINVS HONORIVS. DOMINA MARIA. L'altra di argento senza lettere. Vi erano parecchi fragmenti di smeraldi, e di altre pietre. Vi erano chiodi d'argento, parte piani, parte di rilevo, che inchiodavano un coverchio d'argento sopra una cassetta: vi era una lamioette d'oro con queste parole scritte, anzi scalpite in greco MICHAEL. GABRIEL. RAPHAEL. VRIEL. Habbiamo particularmente descritte tutte queste cose, perchè Claudiano Poeta di quel tempo accenna, che fossero a la Imperatrice Maria da l'Imp. Honorio suo Sposo mandati rari duoni: che potrebbono per avventura essere stati la maggior parte di queste cose. *V. luculentissimam, ac plane regiam editionem recens adornatam ab eruditissimo Francisco Danieli* de' Regali Sepolcri del Duomo di Palermo, riconosciuti, e illustrati. *Napoli* 1784. *fol. pag.* 82. *in descriptione Sepulcri Constantiae II. Reginae Siciliae, Vxoris Friderici, et Filiae Regis Aragonum.*

Quum autem Claudianus scripserit, Honorium *Mariae* Augustae Conjugi suae, dona quantivis pretii dedisse, facile se adductum fuisse profitetur L. Faunus [1], ut crederet (quod item Bosius, et Aringhius [2] opinati sunt, probante Joh. Jacobo Chiffletio [3]) haec eadem fuisse, quae in ejus sepulcro reperta sunt. Cecinit enim Claudianus de Nuptiis Honorii [4].

...... jam munera Nuptae
Praeparat, et pulcros, Mariae *sed luce minores*
Eligit ornatus, quidquid venerabilis olim
Livia, Divorumque Nurus gessere superbae.

Ceterum de Liviae Mundo muliebri sic Claudianum loqui non puto, ut velit, eodem ornatam ab Honorio *Mariam* Aug. sed nihil huic defuisse ex eo ornamentorum genere, quae Livia, et reliquae Augustae olim gestaverant, quaeque Rudolphus a Bunau [5] erudite descripsit. Quis autem ignorat studium singulare Matronarum Romanarum, ut una secum pretiosiora quaeque conderentur, quae, dum viverent, in usu, ac deliciis habuerant? Id enim diserte testatur IC. Scaevola, apud quem legimus [6]. *Funerari me arbitrio Viri mei volo, et inferri mihi, quaecumque sepulturae meae caussa feram, ex ornamentis lineas duas ex margaritis, et viriolas, ex smeragdis*. Praeterea illa etiam deinde obtinuit consuetudo, ut nobiliores Matronae Lectum quoque suum omnibus ornamentis instructum sacris Aedibus, relinquerent, ubi una cum pretiosa supellectile tumulandae essent, Virorum instar, qui haud

1 lib. v. c. ix. p. 153.
2 T. I. Rom. subt. p. 270.
3 in Anastasi Childericiana p. 17.
4 in Epithalamio Honorii Aug. et Mariae v. 10. p. 241.
5 de Ornamentis, et Honoribus Augustarum liber singularis. Lipsiae 1733. 4.
6 Digest. lib. xxxiv. tit. ii. de Aur. leg. l. 40. Medico §. 2. Mulier.
7 V. Ducange in Lexico.

6 M

raro Equum [1], arma, aliaque bellica instrumenta Templis largiebantur.

§. XI.

De Vrielis nomine, una cum aliis trium Archangelorum, in laminula aurea reperto, inter Cimelia Sepulcri Mariae Aug.

Nolim, quemquam offendat, *Vrielis* nomen aureae laminulae in descripto Conditorio repertae inscriptum, quem proinde cum tribus aliis Archangelis *Mariam* coluisse constat. Plura enim sunt, quae, suo praesertim aevo, haud plane rejectum demonstant. Sed quum Bollandistae, neque ubi agunt de *S. Gabriele Archangelo* [2], neque in locupletissimo Commentario de S. *Michaele*, *et omnibus Angelis* [3], quaestionem de nomine, ac cultu *Vrielis*, aliorumque Archangelorum attigerint, quam peculiariter dumtaxat a doctissimis Nic. Serario [4], et Andrea Victorello [5], paucis pertractatam esse novi, iccirco non alienum puto, studiose, ac diligenter, quidquid eam illustrare poterit, in medium proferre.

Pluries in libris Apocryphis veteris Instrumenti *Vrielis* mentio occurrit. Nam inter fragmenta Enochi haec legimus [6]. *Anno Enochi* CLXV. *a Mundi conditu* MCCLXXXVI.

1 V. Carpentier in Heriotum.

2 in T. III. Martii p. 607.

3 in T. VIII. Septembr. p. 7.

4 Quaestiuncula, possit ne Vrielis nomen aliquo modo retineri? in lib. Tobiae c. XIII. p. 187.

5 De Angelorum Custodia. Patavii 1605. 4. lib. I. §. IV. p. 40. Se gli altri quattro di questi sette Angeli habbino nomi? c. XV. p. 270. nel libro de' Ministerj, et Operazioni Angeliche. Vicenza 1611. 8.

6 V. Mich. Syncellum p. 33. Cod. Pseudoep. Fabricii in l. Egregor. Enoch p. 199. Salmasium de Annis Climatericis c. XVI. et l. X. c. XVII. Calmet. Dissert. intorno al Libro di Enoch p. 369. nel T. I. del Tesoro di Ant. Sacre, e Profane. Lucca 1732. 4. et in T. I. Comment. S. Script. p. LX. in Disquis. Chron. Aegypt. Graecor. Joh. Drusi Henoch, sive de Patriarcha Henoch, ejusque raptu, et libro, e quo Judas Apostolus testimonium profert,

Conditoris omnium Dei nutu , quid Mensis , quid Solis conversio , quid Annus , Archangelus Vriel *Astris praepositus , Enocho revelavit , ut in libro ipsius Enoch habetur .* Atque hinc *Vrieli* stationem inter sidera adsignatam fuisse tradidit Michael Glycas , ubi ait [1]. *Perhibetur etiam , divinum Angelum* Vrielum , *cujus est inter astra Statio , descendisse ad* Sethum , *et* Enochum , *eosque de temporum , anni , mensium , conversionum , ipsorumque annorum adeo discriminibus erudiisse* . Praeterea in eodem libro Enoch , haec de *Vriele* narrantur [2]. *Quattuor Archangeli magni , Michael ,* Vriel , *Raphael , et Gabriel de sanctis Coeli prospexerunt , in terram . Et viso plurimo sanguine super terram effuso , et universa impietate , et iniquitate cognita , regressi dixerunt ad invicem .* Ac paullo infra [3]. *Respondit Altissimus , et Sanctus Excelsus loquutus est , et misit* Vriel *ad Filium Lamech dicens .*

Item in *libro Ioseph* , haud una vice *Vriel* memoratur , Ibi enim traditur [4]. *Quod quidem Corpore ministrans recognoscit , in memoriam revocante , ipsumque submonente* Vriel *Archangelo* . Ac rursus , paucis interjectis [5]. *Quum vero ego venissem a Mesopotamia Syriae , exivit* Vriel *Angelus Dei , et dicit , se descendisse ad terram , et habitasse inter homines , et quod vocatus fuisset nomine Iacob , aemulatusque est , et pugnavit mecum , et luctatus est , mihi dicens , suum nomen pri-*

ubi et de libris in Scriptura memoratis , qui nunc interciderunt . in T. vI. Critic. Sacr. p. 2029. Francofurti 1696. fol. Aug. Pfeifferi Exercitation. philologicam de Henocho ad Genes. iv. 12. Witteb. 1683. 4. In T. I. Opp. Vltraj. 1704. 4. p. 519. et in ejusd. Dubiis vexat. Scripturar. pag. 972. Dresd. et Lips. 1713. 4. Frid. Jac. Firnhaberi Diss. 11I. selectas de Henocho quaestiones continentes . Vitemb. 1716. 4. Franc. Fabricii Diss. de Patriarca Enocho . In lib. inscr. Christus unicum Eccl. fundamentum . Lugd. Bat. 1717. 4. p. 429.

1 p. 121.

2 in Cod. Pseudep. p. 187.

3 ibid. p. 190. 4 ibid. p. 364.

5 p. 765 , et apud Origenem Tom. v. in Joh. p. 77.

mas habere supra nomen meum, et ante omnem Angelorum. Interrogavique eum de nomine suo, et quotus esset inter Filios Dei. Nonne tu es Vriel, *octavus a me, et ego Israel Archangelus, Potentia Domini, et Princeps Tribunus Militum inter Filios Dei? Nonne ego Israel, in persona Dei, Minister primus, et invocavi nomine inextinguibili Deum meum?*

Verum haec fortasse minus nota, ac pervulgata. Illa non item, quae in lib. IV. Esdrae de *Vriele* habentur. Ibi enim semel, iterum, ac tertio ita nominatur [1]. *Et respondit ad me Angelus, qui missus est ad me, cui nomen* Vriel. Itemque alibi [2]. *Et ego jejunavi diebus septem ululans, et plorans, sicut mihi mandavit* Vriel *Angelus*. Ac rursus [3]. *Vbi est* Vriel *Angelus, qui a principio venit ad me? quoniam ipse me fecit venire in multitudine in excessu mentis hujus, et factus est finis meus in corruptionem, et oratio mea in improperium. Et quum essem loquens ego haec, ecce venit ad me, et vidit me.*

Post haec audienda sunt Carmina Sibyllae Erithreae, quae inter vaticinandum haec de *Vriele* cecinit [4].

Tum vero aeterni Genii Patris immortalis
Ηκαρ' ἱρομιὴλ, Vriel, *Saniel, Azaelque,*
Quae mala quisque hominum patraverit ante, scientes,
E tetris animas tenebris caliginis omnes
Iudicio sistent ad formidabile Patris
Magni, immortalis solium: nam solus, et unus
Conditor omnipotens rerum non interit unquam,
Iuraque dicturus mortalibus aequa sedebit.

1 in lib. IV. c. IV. n. I. et in Vol. II. Cod. Pseudoep. Fabricii p. 207.

2 ibid. cap. V. n. 21. et apud Fabricium p. 216.

3 ibid. c. X. n. 28. p. 59. et apud Fabricium p. 265. V. ibid. p. 1153. §. CCXXXIII. Libri Esdrae III. et IV. Cod. Apocr. N. T., et T. III. Bibl. Graecae c. XXIX. p. 747.

4 Lib. II. vers. 215. edit. Gallaei Amst. 1688. 4. et in T. I. Bibl. PP. edit. Galland. p. 351. et in Hist. Religionis Th. Hyde. Oxonii 1700. 4.

Et tunc infernis animas, flatumque, sonumque
Caelestis tribuet, compactaque convenienter
Artubus ossa suis, carnem, nervosque repostos,
Et venas, pellemque priorem, caesariemque.
Sic conjuncta suis terrestria corpora rite
Membris, una dies reddet vitalibus auris.
Tunc ferratarum Portarum Ditis avari
Claustra immania, durique, infractique adamantis,
Ingens ingenti Vriel *convulsa ruina*
Perrumpet Genius: per lugubresque figuras
Omnes judicio sistet; simulacra vetusta
Titanum in primis, monstrosorumque Gigantum:
Tum quas diluvium, tum quas maris unda profundo
Absumsit: nec non quas serpentesque, feraeque
Faucibus hauserunt avidis, volucresque vocabit
Ad solium cunctas: nec non quas igneus ardor
Absorpsit flammis, ad judiciale tribunal
Coget adesse Dei, collectas undique in unum.

Ex his veterem *Vrielis* denominationem increbruisse, dubitandum minime est. Nunquam enim ejus mentionem fecit Prophetica, aut Evangelica Scriptura. Siquidem qui in lib. II. Paralipomenon c. XIII. *Vriel* appellatur, Angelus non est, sed homo, Maacha, sive Michai, Matris Abiam Regis Juda Pater, in lib. III. Regum c. XV. *Abessalon* nuncupatus. Verum praecipue repetenda esse videtur ex quarto Esdrae libro. Hunc enim, aeque ac tertium, plures SS. Patres [1], instar primi, et secundi nominarunt, quos inter in primis adnumerandus est Am-

1 Athanas. Serm. III. contra Arianos. Cyprianus adversus Demetrianum. August. I. III. de Civ. Dei c. XXXVI. Clemens Alexandr. L. I. Stromatum.

brosius [1], qui ejus auctoritatem sequutus est, ubi scripsit [2], *non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vriel*. Ac licet extrema haec verba in nonnullis MSS. desint, nihil tamen prohibet, quin ab eodem S. Doctore profecta esse arbitremur. Neque vero doctissimi Maurini [3] Thiersio [4] adsentiendum putant, qui ibidem *Vrielem* reprobis Angelis forte adnumeratum fuisse suspicatur. Id enim ab ejus mente prorsus alienum esse demonstrant, qui eo loco immortalitatem naturalem a participata sapienter distinguit, ac prima uni Deo concessa, ac reservata, alteram Angelis dumtaxat adtribuit.

Neque tamen solus Ambrosius *Vrielem* nominavit. Ejusdem meminit etiam Isidorus, qui postquam docuit [5], *sciendum esse, quod quandocumque nominantur Angeli, ex officiorum proprietate, quando ad homines veniunt, sumpsere vocabula, quia illa supernorum Civium summa societas propriis nominibus non indigit*, alibi *Vrielis* nomen ita explicandum putavit [6]. *Vriel interpretatur* ignis Dei, *sicut legimus apparuisse ignem in Rubo. Legimus etiam ignem missum desuper, et implesse, quod praeceptum est*. Quae quidem verba Thiersio [7], ceteroqui eruditissimo, incomperta fuerunt, qui Isidorum nullibi de *Vriele* verba fecisse affirmavit. Sic etiam Beda, ubi Angelorum opem, ac prae-

1 in Epist. de natura animae Horontiano. in lib. de bono mortis c. x., et xI. in lib. Comm. ad Lucam. V. Jac. Bonfrerii Praeloquia in totam S. Scripturam c. v. de Scripturis Apocryphis.

2 in lib. iiI. de Fide Tom. iI. P. I. pag. 499.

3 ibid. in adnotat.

4 in epist. nuncupatoria ad Dacherium de retinenda in Eccles. libris voce Paraclitus. Lugduni 1669. 12.

5 in c. iI. l. iI. de ordine Creaturarum.

6 in l. viI. Origin. c. v. p. 127. V. Franc. Moncaei Historiam apparitionum divinarum duarum, ejus, quae de Rubo, et proximae, quae in Aegyptum revertenti in Diversorio Mosi facta. Paris. 1587. Harr. 1592. 1597. 4. et in Crenii Opusc. Fascic. ix. Roter. 1699. 12. p. 257.

7 in epist. cit.

sidium exposcit, *Gabriel*, inquit [1], *esto mihi Lorica*, *Michael Baltheus*, *Raphael Scutum*, Vriel *Protector*, *Rumiel Defensor*, *Paniel Salus*.

Verum Sec. VIII. *Vrielis* nomen diserte rejectum fuit. Nam *Zacharias* Pont. reverentissimo, et SS. Fratri Bonifacio Coepiscopo scribens de duobus Pseudoprophetis in Francia deprehensis, *Aldeberto*, et *Clemente*, qui in Synodo Suessionensi, quam alii vocant Conc. Germanicum III [2], anno DCCXLV. damnati fuerant, de horum primo haec memorat [3]. *Ex quibus unum quidem novum Simonem juxta tenorem tuarum syllabarum reperimus, qui et Sacerdotium sibi vindicabat, et a luxuria minime se continebat, seducens populum, et inania praedicans: non solum suam animam juri Diaboli tradens, sed et populorum corda in interitum demergens, et ab Ecclesia Dei eos seductionibus suis abstrahens, et Cruces in campis statuens, et Oratoriola ad seducendum populum instituens, publicasque; et antiquas Ecclesias relinquens, et Sanctitatis nomine se vocari faciens, et in suo nomine Ecclesias consecrans*, nomina etiam Angelorum, imo magis Daemoniorum se scire affirmans ... *Quae omnia haec detestabilia, et scelesta judicamus*.

Et sane idem *Zacharias*, eosdem Haereticos *Aldebertum*, et *Clementem*, qui rursus in altera Synodo habita in Majoratu Karlomanni, anno DCCXLVI. damnati fuerant, in Patriarchio Lateranensi, in Basilica, quae appellabatur, *Theodori*, eodem anno condemnavit. Hujusmodi Synodus tribus *Secretariis* absoluta fuit, nimirum, ut supra animadvertimus, tribus sessionibus, quemad-

1 in collect.

2 T. III. Conc. p. 1933.

3 T. III. Conc. p. 1886. V. S. Zachariae vitam ex Anastasio, et cum Comm. praevio, et notis in Tom. II. Martii Boll. p. 406. et Ioh. Mabillonii Observationem de Zacharia Papa. in Actis SS. Ord. Ben. Sec. III. P. I. p. 521.

modum quinque *Secretariis* celebratum fuerat alterum Conc. Lateranense sub Martino I, anno DCXLIX. Loci enim nomen, in quo fiebat, ipse conventus accepit; praeterquamquod translatus ejusdem vocabuli sensus, quo usus est etiam Augustinus [1], vocans cogitationes *Secretaria mentis*, Conciliorum congregationibus, ubi secreta animi sensa depromebantur, apte quadrabat. Quamobrem mihi imperare non possum, quin aliquanto fusius, quam alibi, de eadem Synodo pertractem, quum non modo res, quam illustrandam suscepimus, quam ipse locus, ubi transacta fuit, quodammodo nos moneant, ut paullo diutius heic immoremur.

Itaque Bonifacii epistola adversus eosdem Haereticos per Denaeardum Presbyterum Romam perlata, qui *Secretaria ingredi postulavit* [2], perlecta fuit a Theophanio Notario regionario, et Sacellario. Deinde SS. ac BB. Papa *Zacharias* dixit [3]. *Quia hodie jam tardior hora est*, venturo Secretario, *relictis iterum vita eorum, et actibus, communi consensu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractandum est*. Actione II. Denaeardum *Secretarium* ingressum, ita *Zacharias* alloquutus est [4]. *Actus illius nefandissimi Aldeberti, sive cetera, quae de eo sunt scripta, quae* praeterito Secretario *prae omnibus gerebas, coram praesente Concilio, porrige legenda. Et accipiens Theophanius Not. regionarius, et Sacellarius, relegit vitam illius*. Verum SS. PP. sententiam in utrosque promulgandam ad act. III. distulerunt. Dixit enim Zacharias [5]. *Non ut nobis solum visum fuerit, sed pariter cum Sanctitate vestra est pertractandum, sed si Domino placuerit, in futuro* Secretario,

1 Comm. in Psalm. 65.
2 T. III. Conc. p. 1936.
3 Ibid. p. 1938.
4 p. 180.
5 Ibid. p. 1939.

quod rectum visum fuerit, et Dominus suis famulis administraverit, ex omnibus ejus actis promulgabitur sententia. Itaque act. II. *secundum quod praeceptum fuerat in praeterito Secretario*, Denaeardus orationem, *quam sibi Aldebertus componere nisus* fuerat, a Theophanio perlegendam in medium protulit. Quumque per ordinem legeretur, ventum est ad locum, ubi dicebat. *Precor vos, et conjuro vos, et supplico me ad vos*, Angele Vriel, *Angele Raguel, Angele Tubuel, Angele Michael, Angele Inias* [1], *Angele Tubuas, Angele Sabaoc, Angele Simiel. Dum vero haec Oratio sacrilega usque in finem perlecta fuisset, Zacharias SS. ac BB. Papa dixit. Quid ad haec SS. Fratres respondetis? SS. Episcopi, et venerabiles Presbyteri responderunt. Quid aliud agendum est, nisi ut omnia, quae nobis relecta sunt, igni concrementur, Auctores vero eorum anathematis vinculo percellantur?* Non enim nomina Angelorum, praeter nomen Michaelis, sed nomina Doemonum sunt, quae in suis orationibus invocavit, ad praestandum auxilium sibi. Nos autem, ut vestro sancto Apostolatu edocemur, et divina tradit auctoritas, non plus quam trium Angelorum nomina cognoscimus, id est, Michaël, Gabriel, Raphael; alioqui de mysterio, sub obtentu Angelorum, Doemonum nomina introduxit. Pontifex sententiam tulit; sed judicium Synodi quoad acta emendavit, quae in Scriniis Eccl. conservanda sanxit, ut ex his constat. *SS. ac BB. Papa dixit. Optime provisum est a vestra Sanctitate, ut scripta illius omnia igne crementur. Sed opportunum est, ut in scrinio nostro ad reprobationem, et ad perpetuam confusionem ejus serventur.* Synodo post Zachariam subcripserunt vII. Episcopi, ac xvI. Presbyteri S. R. E. et

1 In edit. Gretseriana epistolarum S. Bonifacii est *Adinus*, et mox *Sinuel*.

Gemmulus Diaconus Romanus [1], ejusdem Synodi acta in epistola ad Bonifacium retulit [2].

Sed haec nimis multa putaverit nonnemo; aliis tamen, ut fit, (non enim *omnes eadem mirantur, amantque*), pergrata accident, nec vitio mihi vertent, quod haec, quae proprium quasi locum desiderare videbantur, cogitate huc reservanda esse duxerim. Nunc ad alia properemus.

Verum multo ante Zachariam, ad insanam eorum superstitionem reprimendam, qui varia Angelorum nomina confingebant, et comminiscebantur, Concilium Laodicenum Can. xxxv. praescripserat, *quod non oportet Christianos, derelicta Ecclesia Dei, abire, et Angelos nomi-*

1 in T. vI. Conc. p. 1776. Cointe T. v. p. 156. Pagi ad an. DCCXLV. pag. 267. Baronius ad ann. DCCXLV. n. 36. Serarius in not. ad Epist. S. Bonifacii. Binius in notis ejusd. Conc. Tom. vI. Gestaldus de Angelis T. I. dist. 1I. Quaest. 11I. Art. iv. Alberghinius In Man. Inquis. cap. xv11I. §. 11I. n. iv. Th. Hurtado Tract. v. c. v. Resol. 71. Martin. del Rio lib. 1I. Disquis. c. iv. quaest. 4. Ioh. de S. Thoma. Granada. Araux de Angelis. Card. Albitius de inconstantia in fide c. xI. p. 527.

2 in T. vI. Conc. Labbè p. 1564. V. S. Bonifacii Ep. Moguntini vitam auct. Willibaldo ipsius discipulo. in Georg. Wirelii Hagiologio p. 155. Mogunt. 1541. fol. et in Surii Vitis SS. d. 19. Iun. pag. 48, et cum notis Henr. Canisii, Ioh. Mabillonii, et Iac. Basnagii. in Canisii Lect. Ant. ex edit. Basnagii T. 1I. P. I. p. 227. Amst. 1725. fol. et eum observationibus praeviis, et notis Mabillonii. in Act. SS. Ord. Bened. Sec. 11I. Par. 1I. p. 1. et cum Commentario praevio, et notis God. Henschenii in T. I. Iunii p. 42. aliam auctore S. Ludgero. in ejusd. Ludgeri Vita S. Gregorii. in Brovveri Sideribus SS. Germaniae, et in T. I. Iunii Boll. p. 483. aliam auctore Othlono Mon. Benedict. apud Surium loc. p. 57. et in Serarii reb. Moguntin. p. 325. Moguntiae 1624. 4. et cum notis, et appendice Ioh. Mabillonii in Act. SS. Bened. Sec. 11I. P. 1I. p. 28. et cum Georg. Crist. Iohannis notis. in ejusd. Script. Mogunt. T. I. p. 201. Francof. ad Moen. 1722. fol. aliam auct. Presb. S. Martini Vltrajecti. in T. I. Iun. p. 477. Aliam auct. forsan Monasteriensi, cum not. Henschenii. ibid. p. 481. ejusd. Henschenii analecta Bonifaciana. ibid. pag. 487. Partem Legendae S. Bonifacii cum notis Will. Ern. Tentzelii. in ejusd. Supplem. 1I. Hist. Goth. p. 344. Ienae 1701. et in Menckenii Script. rer. German. T. I. p. 834. Lips. 1728. fol. Ioh. Letzneri Histor. S. Bonifacii. Hildes. 1602. 4. et Erfordiae 1603. 4. et in Gasp. Sagittarii Antiqu. Gentilismi, et Christian. Thuring. p. 117. Ienae 1685. 8. Iust. Christ. Boehmeri Dissert. historico-theologicam de Bonifacio Germanorum Apostolo. Helm. 1720. 4. et Henr. Phil. Gudenii Diss. eod. loco, et anno.

nare, et Congregationes facere. Quae omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit, occulte huic idololatriae vacans, anathema sit, quoniam derelinquens D. N. I. C. Filium Dei, accessit ad Idola. Atque hinc Capitularia Karoli M. hujusce Concilii sanctionem ita confirmarunt [1]. *In eodem Concilio praecipitur, ut ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in auctoritate. Ii sunt, Michael, Gabriel, Raphael*. Haec eadem excepit Herardus Arch. Turonensis, qui XVII. Kal. Junii, anno DCCCLVIII. edicto cavit [2], *de ignotis Angelorum, aliorumque SS. nominibus ut non recitentur*. Sic etiam Capitulare Aquisgranense jussit [3], *nec falsa Angelorum nomina colantur, sed ea tantum, quae prophetica, et evangelica docet Scriptura, id est Michael, Gabriel, Raphael*. Paria sunt illa ab Aythone Basil. Episcopo [4], et a Conc. Aurelianensi [5] praescripta. Atque in hanc sententiam, Psellus *Vrielis* nomen tribus aliis in Ecclesia acceptis, et usurpatis minime accensendum esse docet. De eo enim haec Mich. Glycas literis consignavit [6]. *Hoc ipsum autem Raphaeli nomen ex hac de Tobaeo narratione cognitum scilicet habes. Verum appellatio* Vrieli, *quemadmodum Vir reapse sapiens Psellus scripsit, nec prisci foederis libris, nec novis continetur; sed exstat in libro quodam Hebraico, qui vulgo non est notus, habens inscriptionem* Precationis Jo-

1 in ejusd. Imperatoris Constit. editis a Vito Amerpachio 1545. pag. 14, et in T. I. Capitul. Reg. Francor. edit. Paris. Balutii 1677. p. 220. 515. 837, et novae edit. ibid. an. 1780.

2 ibid. p. 1267, et in T. v. Conc. Hard. pag. 450.

3 in T. I. Capitul. Balut. pag. 707. apud Ivonem P. III. c. III. c. CCL, et in edit. Lovan. lib. II. c. LXXXIII.

4 apud Burcard. lib. v. c. CXCVIII. in T. vi. Spicil. Dacherii p. 696, et in T. IV. Conc. Hard. p. 1243.

5 apud Burcard. Wormatiens. Episc. l. III. Decret. cap. CXCVIII, et in T. vI. Conc. Labbè p. 1564.

6 p. 171. Ann. P. II., et in Cod. Pseudoep. Vet. Testam. p. 768.

sephi: *quo in libro Iosephi Pater Iacobus hoc cum Angelo colloquens inducitur. Liber ipse apud Hebraeos, ut alii quoque Apocryphi, pro rejectitio ducitur, et nihil auctoritatis habet.*

Nihilominus Trithemius [1] ex Jos. Hebraei [2] auctoritate, refert Essenos nonnulla Archangelorum nomina habuisse, et Joh. Alb. Fabricius [3] quattuor Archangelorum nomina etiamnum celebria apud Judaeos ex Menassehben Israelis libro *de Creatione*, aliisque eorum scriptis fuisse docet. Haec inter satis sit commemorare *litaneuticas supplicationes*, *et Angelorum invocationes*, quas R. Eliezer Hakalir, Poeta insignis elucubravit. Nam in latina earum interpretatione ex Cod. Vat. desumpta legitur [4]. *Chauriel Princeps da gloriam Deo propter nos. Contra magnum Dominum impie egimus, et ipse auxiliatus est nostri, ut notam faceret filiis hominum gloriam regni sui. Benedicta sit memoria ejus in generationem Sanctitatis ejus.*

Verum non modo apud Hebraeos, sed etiam apud Aethiopes, et Graecos *Vriel* praecipuo honore cultus fuit. Nam in universali Canone Aethiopum haec legitur precatiuncula [5]. *Custodi, Domine, Populum tuum per preces majorum Angelorum splendentium Michaelis, Gabrielis, ac Raphaelis, et* Vrielis, *et quattuor animalium sine carne*, de quibus loquitur Apocalypsis [6]. Item apud Ludolphum in Hagiologio Habessinorum ad xv. Julii [7] *Vriel Archan-*

1 c. iv. p. 212. Arbatel.

2 lib. iii. Ant. v. Nic. Serarii Trihaeresium, seu de tribus Pharisaeorum, Saducaeorum, et Essenorum sectis, contra Ioh. Drusii libellum de Hasidaeis. Mogunt. 1604. 8. Calmet in T. viii. Comment. S. Script. p. 349.

3 in Codic. Pseudoep. In not. ad lib. Enoch. p. 187.

4 Bartolocci Bibl. Rabbin. T. I. p. 192, et 195. Basnagius in lib. iv. Histoir. des Iuifs chap. 9. Calmet in Praef. ad S. Luc. in Diss. sur les bons, et les mauv. Anges p. 47, et in T. vi. Comment. S. Scrip. p. 351, et 359.

5 in T. iv. Bibl. PP. fol. 120.

6 c. iv. n. 5.

7 V. T. viii. Sept. Boll. p. 7.

gelus memoratur. Id etiam nominis exhibet liber precum graeco-latinarum [1], ubi Αγιε Ουριηλ invocatur.

Quid vero apud Latinos? Audi Joh. Steph. Durantum, qui ait. [2] *Sunt et alii praeter Michaelem Archangeli, quorum nomina, seu potius agnomina ad nos pervenerunt, Gabriel, Raphael,* Vriel. Item S. *Oribel* una cum alteris *Raguhelis*, et *Tobihelis* nominibus occurrit in Litaniis, quas Mabillonius edidit, et *Karolinas* vocavit [3]. Sic etiam Nic. Serarius in Kalendario Germanico [4], octo Angelorum nomina obversari testatur, scilicet *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, Vriel, *Malthiel*, *Zadkiel*, *Peliel*, *Raziel*. Ac denique idem Thiersius Dacherio scripsit [5]. *Quoties ex officii mei ratione, statas quasdam super infirmis orationes, seu Litanias, ut appellant, effundere necesse habeo, ita scriptum invenio.* S. Vriel *ora pro eo, vel pro ea.*

Itaque, quum tot de *Vrielis* cultu, ubique gentium propagato suppetant exempla, nil mirum, si, praeter Mariam Aug. Honorii Conjugem, alteram pientissimam Imperatricem eidem impense favisse constet. Hujus rei luculentum praebet exemplum B. Rhenanus, qui ubi Templum Basileense describit, quod Sec. XI. S. Henricus Imperator magnifice restauravit, donisque plurimis decoravit, haec memoriae consignavit [6]. *Eminet lamina illa aurea, ligneae tabulae adhaerens, septem millibus florenorum aestimata, qua ipse privatim in Larario suo, quum*

1 apud Hier. de Marnef anno 1580.

2 in lib. II. cap. II. de rit. Eccl. Cath. c. XXXI. § XXII.

3 T. II. Analect. p. 682., et in T. IV. Act.SS. Ord. S. Ben. p. 59. Vandale p. 135. Thiers de retinenda in Eccl. libris voce Paraclitus, et in T. I. des superstitions p. 118. et in II. p. 117. Iac. Longueval T. IV. Hist. Gall. l. II. p. 311. Ben. XIV. de Serv. Dei Beat. et Can. lib. IV. P. II. c. XXX. p. 886.

4 Quaest. X. quomodo VII. hi Angeli a quibusdam vocentur? in lib. Tobiae p. 182.

5 in epist. cit.

6 in lib. II. rer. German. fol. 140. in Serm. de S. Luca.

viveret, usus est. Vnde et tutelares Divos refert, quos ille praecipue coluit, nempe quattuor Angelos Michaelem, Raphaelem, Vrielem, *et Benedictum, ac in horum medio stantem Christum, cujus pedibus ipse cum uxore* Cunigunda [1] *advolvitur*. Vnde vero haec iisdem relligio, et sententia, nisi ab iis, qui eorum aevo divinarum rerum interpretes florebant, quique vel privatim, vel publice, e Gymnasiorum, et Templorum exedris *Vrielis* etiam cultum docere non dubitabant?

Ita sane, posterioribus etiam seculis doctos, piosque Viros sensisse, exploratum est. Enim vero S. Bonaventura *Vrielis* mentionem fieri affirmat in III. lib. Esdrae. Quum autem ibi nusquam ejus nomen occurrat, sed tantum in IV, uti supra demonstravimus, de hoc eodem libro Bonaventuram loquutum fuisse puto. Nam Esdrae liber, qui apud nos est tertius, in graecis Codicibus est primus; ac qui apud nos pro duobus diversis libris habentur primus, et secundus, in graecis Codicibus in unum compinguntur, et secundum Esdrae librum efficiunt. Atque iccirco IV. liber pro tertio haberi potuit. Itaque versionem LXX. Interpretum sequutus fuisse videtur Bonaventura, ubi de *Vriele* loquutus est in hunc modum [2]. *Item* Vriel, *qui interpretatur lucens Deo, sive apparens Deo, vel ignis Dei, aut incendium Dei: quae duplex interpretatio innuit, quod per ejus ministerium illustramur in veritate, et inflammamur in charitate. Mittuntur enim Angeli, ad illuminandum nostrum intellectum, et inflammandum nostrum affectum, et si non effective, saltem dispo-*

1 S. Cunigundis vita. apud Surium d. III. Martii p. 42, et in T. X. Opp. Gretseri. Ratisb. 1737. p. 551, et in T. I. Martii Boll. p. 266. et apud Mabillon. in Actis SS. Ord. Bened. sec. VI. P. I. p. 451.

2 in Centiloquii Part. III. §. XVIII. de Custodia Hominum per Angelos T. V. P. I. edit. Ven. 1754. p. 149.

sitive. De hoc nomine Vriel *legitur in tertio Esdrae, quia missus est iste Angelus ad consolationem Populi Dei, qui ab alienigenis premebatur*. Pari modo Albertus M. in sua, quam Wiceliana proferunt exercitamenta [1], litania, *Vrielem* inter Angelos precatur.

Praeterea Petrus Galatinus [2], et Corn. a Lapide [3] ex Chronicis Ord. S. Francisci [4], atque Aedis S. M. Angelorum ad Thermas Diocletianas, *Vrielis* nomen una cum aliis Archangelorum, divinitus declaratum fuisse testantur *Beato Amadeo* [5], Viro sanctitate, miraculis, et prophetiis illustri, qui Dei amore incensus, spretis opibus, ac vitae illecebris, S. Francisci Ordinem amplexus est, ejusque observantiorem disciplinam, quae *Amadaeorum* vocatur, instituit. Vnde a Lusitanis *B. Amator*, ab Italis *B. Amadaeus* vocatur, ac Xysto IV. ad Ecclesiae clavum sedente, cujus confessiones excipiebat, in Monte aureo Monasterium sui Ordinis exstruxit. Haec autem nomina ita ab eodem fuerunt interpretata. *Michael, quis ut Deus? Gabriel, Fortitudo Dei. Raphael, Medicina Dei*. Vriel, Lux Dei. *Barachiel, Benedictio Dei. Salathiel, Petitio Dei. Iehudiel Laus, et Confessio Dei*. Atque hinc, ni fallor, fortasse repetendus est singularis usus Fratrum Franciscalium, qui viguit ad nostra haec us . e tempora, *Vrielem* commemorandi, festa die S. Gaorielis Archangeli. Nam in VIII, ut vocant, responsorio haec legebantur [6].

Ecce vir unus Gabriel in veste figurali,
Sicut prospexit Daniel, fulgore prophetali,
Cui subvenit Michael facto divinali,

1 Lugduni 1651.
2 lib. II. in Apoc. c. VIII.
3 in Apoc. c. I. p. 17.
4 P. III. lib. c. XXX.
5 Acta B. Amadei Conf. ex Ord. S. Franc. cum Comm. praevio, et notis Guil. Cuperi. in T. II. Aug. p. 572.
6 ad d. XXIV. Martii p. 759.

Et suam medelam Raphael affert, quam confert Vriel *pro grege rationali.*

Ac paullo infra in Antiphona *Benedictus*.

Tunc Virginis Corpusculum, Sensus, et Cor perterritur, dum arcanum detegitur, quod pariet Emmanuel, qui illuminet in tenebris euntes, et in semitam pacis regat, et perditam viam collustret Vriel. Quae tamen omnia in nupera diurnarum precum Codicis editione penitus expuncta sunt. Nam, quum interpolata sint Chronaca, ubi *B. Amadaei* revelationes narrantur, quae ab Ecclesia minime probatae sunt, ejusque Apocalypsim *multis somniis scatentem* judicaverint Mabillonius [1], aliique [2], iccirco ex his nullo modo statui potest, nomina illa Angelorum esse admittenda.

Idem profecto sentiendum esse docet Card. Albitius de revelatione nominis Angeli Custodis, quam Hurtado evenisse docet Johanni de la Cruz, qui eum *Lauriel* appellari tradidit [3]. Non enim Angelos, qui S. Caeciliae apparuerunt, nec Custodes SS. Franciscae, et Theresiae nomen aliquod peculiare habuisse constat. Quin imo, quum de suis nominibus sciscitati fuerint, eadem ut plurimum enunciare noluerunt. Nonne, quum luctantem secum Angelum interrogavit Jacob [4], *dic mihi, quo appellaris nomine? respondit, cur quaeris nomen meum?* Itemque, quum Angelus Patri Samsonis apparuerit, eum ita percontatus est [5]. *Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? Cui ille respondit. Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?*

1 in T. I. Mus. Italici p. 47.
2 Araux in fire Tractatus de Angelis Gastald. de Angelis p. 594. Card. Albitius de inconstantia in Fide cap. XL. p. 527.
3 Ibid. p. 528.
4 Genes. xxxII. v. 29.
5 Iudic. xIII. v. 17.

Quis itaque ferat Basilidianorum insaniam, qui quum proprium, ac peculiare nomen singulis Virtutibus affixissent, quas ad numerum usque CCCLXV. totidem anni diebus praeesse somniabant, inter VII. Angelorum, VII. Caelorum Praesidum nomina, quae in hanc rem confinxerant, *Vrielis* etiam nomen [1] gemmis Abraxeis insculpebant? Verum, quum magnam virtutem istiusmodi Angelorum nominibus tribuerent, non secus ac ii, qui, ut narrat Arnobius [2], Servatorem nostrum calumniabantur, quod *Aegyptiorum ex adytis, Angelorum potentium nomina, et remotas furatus esset disciplinas*, superstitiosi homines, magicis carminibus, atque incantationibus impense studentes [3], monstrosa Angelorum nomina frequenter cudebant. Porro Cornelius Agrippa [4], priusquam numeret XXVIII. *Angelos, qui dominantur in totidem mansionibus Lunae*, inter Angelos, quos XII. Caeli signis praeesse contendit, *Murielem* nominat, quem alibi *Surielem* appellat. Paria commentus est Trithemius in *Steganographia* [5], ubi Solis Angelum *Michaelem* esse docet, cui parent, ac subditi sunt *Laniel*, *Palael*, *Vaariel*. Eô usque vero effraenata novarum hujusmodi nomenclationum libido, atque intemperantia progressae sunt, ut bonorum, malorumque hominum spiritus, eodem artificio nominandos existimaverint. Hinc Agrippa affirmare ausus est [6],

1 Origenes lib. VI. adv. Celsum. Irenaeus lib. I. cap. XXIII. et lib. II. cap. LVIII. Epiphanius haer. XXIII. XXV. Theodoretus de Basilidianis. Augustinus lib. X. Confess. c. XLII. adv. Nicolaitas. Nicetas lib. V. Thes. Orth. Fidei. Fl. H. de Halteserre a Salvaison in not. ad Fulg. Ferrand. in T. I. Thes. Meermanni p. 101. Montfauconius in Palaeogr. Graeca p. 177. et in T. II. Antiq. explic. Kircher in Par. II. Oed. Aegypt. Class. II. c. VI. Chiffletius in Commentario in Gemmas Abraxeas pag. 75. 125. 140.

2 lib. I. contra Gent. n. XXVI.

3 Delrio Disquis. Magic. l. I. c. IV. p. 55.

4 lib. II. occult. Philos. c. XXIV.

5 Ars per occultam Scripturam animi sui voluntatem absentibus aperiendi certa. Darmbstadii 1621, et Vlm. 1767. 4.

6 lib. III. c. XXVIII.

eum, qui apud Esdram [1] vocatur *Ieremiel*, Jeremiae Prophetae spiritum, Zachariae vero *Zacharielem*, Vriae Prophetae, quem interfecit Joachim, *Vrielem* fuisse. Praeterea, ut immane quantum hisce nominibus abuteretur, novis etiam argumentis ostenderet, Esdram cum *Vriele* familiarem consuetudinem habuisse adjecit [2]. Quid vero dicam de formula superstitiosa a Martino Arelatensi damnata [3], ubi *Vriel*, *Vriel*, aliaque id genus nomina ad calamitates averruncandas proferebantur? Quid de altera superstitione, qua Thiersius memorat [4], nonnullos invocasse, *du coté de l' Orient*, *l' Ange* Vriel, *qui est le premier de l' Orient*, *et qu' on invoque pour cette science*, *pour trouver or*, *argent*, *et thresors caches en terre*, quique in precibus ineptissimis, primus inter Seraphim appellatur? Quid attinet commemorare *Heptameron*, *sive Elementa Magica Petri de Abano* [5], ubi *Vriel*, inter barbara Angelorum nomina horis praefectorum memoratur? Apage a nobis tantam dementiam, atque hominum fatuitatem, ac deliramenta deploremus.

Nunc, ut ad institutum, a quo nonnihil deflleximus, redeamus, etsi *Vrielis*, et Sociorum cultus vestigia singulis fere aetatibus offendimus, tamen praesertim, Sec. xvI. ineunte, studium vII. Archangelos nominatim colendi exarsisse constat. Qualis vero fuerit singularis hujusce studii fons, atque origo, te, puto, non pigebit audire. Panormi vetus Templum exstat, in honorem S. Angeli Presbyteri Ord. Carmelitani, Leocatae in Sicilia, dicatum. Ibidem forte contigit, ut anno MDXVI. detegeren-

1 lib. IV. c. IV. v. 36.
2 lib. III. c. XLVIII.
3 in Tract. de superst.
4 Traité des superstitions T.I. p.187. 191.
5 apud Ioh. Wier de Praestigiis Doemonum lib. II. cap. V.

tur imagines vII. Angelorum parieti depictae, quarum singulis eorum nomina inscripta erant, hoc modo [1]. *Michael Victoriosus. Gabriel Nuncius. Raphael Medicus.* Vriel fortis Socius. *Ichudiel remunerator. Barachiel adjutor. Sealtiel Orator.* Praeterea unusquisque eorum emblemata sibi propria praeseferebat, quae Cornelius a Lapide ita describit [2]. *Michael pedibus calcans Luciferum, laeva virentem palmam gestabat, dextera lanceam, in cujus summo vexillum candidum, rubra cruce intertexta, se hastae convolvebat. Gabriel faculam laternae inclusam dextera gerebat, sinistra speculum ex viridi jaspide rubris maculis immixtis. Raphael sublata sinistra pyxidem sustinebat, puerum Tobiam dextera manu ducens, piscem ex ore prehensum gestantem. Barachiel in sinu pallii albentes ferebat rosas. Iehudiel dextera coronam ex auro praeferebat, sinistra flagellum tribus nigris funiculis distinctum. Sealtiel vultu, oculisque demissis, et palmis ad pectus nexis, precantis speciem exhibebat.* Vriel dextera eductum gladium stringebat ante pectus transversum; a laeva prope pedes flamma collucebat. Atque hinc fortasse Octavius Pancirolus [3], Cherubim, qui e Paradiso terrestri Protoplastos expulit [4], *Vrielem* nun-

1 Vita S. Angeli Ord. Carmel. auctore, ut fertur, D. Enoch Patriarcha Hierosolymitano, per Th. Bellerosium in capita digesta cum not. Dan. a Virgine Maria. in ejus speculo Carmelitano T. II. P. IV. p. 347. Eadem notis illustrata a Dan. Papebrochio, et eum alis vitis ejusdem S. in T. II. Maii p. 798. Corn. a Lapide in Apocalyps. c. I. p. 13. Spinelli. de Templ. Deiparae p. 690.

2 Galatinus in expositione in Apocalyps. Blas. Viega in cap. XII. Apocal. §. XVII. Laur. Masellius. lib. III. de Virgine c. V. Salmeron in Tract. III. de Angelo Gabriele. p. 19. Andreas Vittorelli in lib. I. de Custodia Angelorum. pag. 40. et in opere dei ministerj, et operationi Angeliche. Vicenza 1611. 8. Octavius Pancirolli Tesori nascosti p. 307. Alberghinus in Man. c. XVIII. §. III. Card. Albitius de Inconstantia in fide cap. XL. p. 527.

3 Tesori nascosti p. 310.

4 V. Ioh. Fromme de Cherubim, et gladio flammante. Witteb. 1670. 4. in T. I. Thes. Theol. Phil. p. 120. Ios. Pasinium de mulcta Evae, et Adam. inter diss. in Pentateuchum. Aug. Taurin. 1722. Ioh. Theodori Heinsonii diss. de Para-

cupatum fuisse arbitratus est. Haec eadem vII. Angelorum symbola hinc, ut videtur, expressa exhibet imago Antuerpiae ab Hieronymo Wierix aeri incisa. Tunc igitur Templum vII. *Angelorum* vulgo nuncupari, ac eorum festum sollemni pompa celebrari coepit, tertia die festi Paschatis. Post haec pergit idem Cornelius. *Quocirca hisce tam priscis septem Angelorum, piisque Schematibus excitatus Hector Pignattellus, Comes Montis Leonis, Siciliae nomine, Karoli V. Imperatoris Prorex, Templum hoc instaurans, ornansque anno* MDXXIII, *in eo e Senatu Panormitano, ac plerisque e prima nobilitate Civibus Sodalitium, quod Imperatorium dictum est, septem hisce Angelorum Principibus instituit, cujus ipse patrocinium pro Karolo* V. *volens lubensque suscepit, ut eorum ope, ac patrocinio fultus Imperator, tum pace, tum bello, Panormitanam Vrbem, adeoque Siciliam universam bene, feliciterque moderaretur*. Ac demum biennio post, hoc idem Templum annua xxx. aurearum unciarum, uti vocant, dote locupletavit.

Hujus Templi curae praepositus fuit *Antonius del Duca*, pius Sacerdos Cephaludensis [1], qui vII. *Principum Angelorum* studio mirifice incensus, eorum cultum augere, enixe curavit. Quumque id unice cogitaret, atque in votis haberet, instinctu Divinitatis, anno MDXXVII. in Vrbem se contulit, ut in domicilio, ac Sede Catholicae Relligionis, vII. *Angelorum* cultum statueret, ac eorum honori sacram Aedem dicaret.

diso, ejusque amissione, et custodia. Helmst. 1698. 4. Ioh. Vdalr. Tresenreuteri diss. de Paradiso igne deleto. Altorf. 1735. 4. et in ejusd. Opuscul. p. 164. Norimb. 1745. 4. Ioh. Franc. Budeum in T. x. Obser. Halens. Obs. xl.

1 V. Historia breve delle Therme Diocleziane cangiate in Tempio di S. Maria degli Angioli, presa dal mss. componimento del Sacerd. Michele Catalanio, fu domestico di Antonio del Duca. p. 268. nel libro de' Ministerj, et Operazioni Angeliche di Andrea Vittorelli. Vicenza. 1611. 8.

Sed, quum arduam, atque operosam rem esse, probe intelligeret, quae haud parum cunctationis, et morae habitura esse videbatur, ut diutius, ac minori impendio in Vrbe versari posset, sibi Capellani munus adscivit apud Antonium de Monte Cardinalem, cui statim suscepti itineris caussam, et consilium suum aperuit, ejusque opem, ac praesidium imploravit. Cardinalis humanissime Antonii precibus auscultavit, et sese, quae vellet, omnia libenter facturum spopondit; quin imo, ut alacriori esset animo, ac bene de re tam sancta ominaretur, eadem vII. *Angelorum* nomina, in Panormi Aede reperta, B. *Amadaeo* per quietem olim divinitus indicata fuisse, renuntiavit. Verum, septennio post, Hero amantissimo vita functo, omnique conatu irrito, pro *Missae* vII. *Angelorum*, quam, eo suadente, adornaverat, adprobatione, anno MDXXXV, re prorsus infecta, Panormum se retulit.

Ceterum, biennio post, Vrbem redivit, ac in Aede Domus S. Virginis, quae apud Picentes in Loreto apparuit, ad Columnam Trajanam, Capellani munus adeptus est. Interim id unum mente volvebat, atque in hanc partem, curamque incumbebat, ut sollemnem vII. *Angelis* cultum in Vrbe conciliaret. Quumque dormientibus nobis species earum rerum facillime objiciantur, de quibus vigiles diu, multumque cogitavimus, an. MDXLI. per somnum, Thermas Diocletianas in Templum vII. *Angelis* sacrum convertendas esse praevidit, ut idem sancte testatur in hujusce ostenti historia, Venetiis edita anno MDLIII, ac in Vrbe, anno MDLV. recusa. Itaque vix dum lucebat, ad Thermas sibi caelitus commonstratas, veluti contento ad metam cursu, advolavit. Statim

ac eas vidit, obstupuit, ac nullum aptiorem in Vrbe locum esse posse cognovit ad vII. *Angelorum* cultum facilius, citiusque statuendum. Ibi enim, praeter solidissima fundamenta, altissimosque parietes, xIV. veluti Cellas in promptu esse comperit [1]; ac statim, ingenti gaudio perfusus, vII. ex iis, versus Solem Orientem, totidem *Angelis* adsignavit, singulorum nomen, literis minio illitis, in singulis earum, proximisque Columnis describens. Deinde septem alias illustrioribus Martyribus Cyriaco, Largo, Smaragdo [2], Sisinnio, Saturnino, Marcello Pont. [3], et Thrasoni, qui eas sudoribus, et sanguine irrigaverant, dicandas constituit.

Mirum autem, quantum praeconceptus Antonii ardor erga vII. *Angelorum* caelestium cultum, velut novo subjecto hoc igne, incaluerit! Is certe nihil intentatum reliquit, ut Paullus III. Thermas ab omni superstitionis labe purgatas, *Angelorum*, et *Martyrum* cultui, sacris legitimis dedicaret. Verum nihil aliud obtinere potuit, quam veniam Altare erigendi in honorem vII. *Angelorum* in Aede S. Stephani de Cloaca.

Interea, quum sese Romam semel, atque iterum haud auspicato venisse cognosceret, solum vertere cogitavit; ac proinde Venetias se contulit, ubi forte, nihil tale cogitans, in Aede D. Marci, musivo expressam invenit S. Dei Parentis imaginem a vII. *Angelis* stipatae. Itaque statim eam coloribus accurate adumbrandam, ibi-

1 Thermae Diocletianae a Iac. Cock aere incisae, ac in Tab. xxvI. divisae. Antuerpiae 1558. fol. Serlius in lib. III. Archit. Leonard. Bufaliri Topogr. Vrbis. Romae 1551. Pyrr. Ligori in Top. Vrbis. Pomp. Laetus l. II. hits. Rom. Ovverbech in reliq. vet. Romae. Titi Pitt., e Scult. etc. Roma 1763. p. 256. Bottari Dial. dell' arte del dis. p. 56. Nard. Rom. Ant. T. II. p. 510.

2 Guil. Cuperi de SS. Cyriaco, Largo, Smaragdo, et Sociis MM. Romae Comm. Historicus. in T. II. Aug. pag. 327.

3 Gesta S. Marcelli P. In vitis SS. Surii Men. Ianuar., et in T. II. Ian. Boll. p. 5.

demque typis edendam curavit *Missam Angelorum*, una cum eorum iconibus aere caelatis.

Post haec, additis veluti calcaribus jam sua sponte currenti, Romam reversus, Orphanotrophii curam suscepit ad S. Mariae in Campo, ubi Equiria fiebant; ac quotidie magis instare, ac rem vehementius urgere coepit, ut tandem aliquando voti compos fieret. Verum unam dumtaxat Thermarum partem consequi potuit. Nam anno MDXLVII, Paullo III. annuente, continenti Calidario, quod deinde *Bernardo* dicatum fuit, potitus est; ibique Sacerdotum Collegium instituere cogitabat, qui Templo, serius, ocyus, aliquando quidem certe, in Thermis in propinquo positis construendo, possent inservire. Neque tamen pio homini licuit consilium suum profligare, atque ad optatum exitum perducere, male feriatis hominibus vehementer tum contra adnitentibus. Itaque spe frustratus, eo uno contentus esse debuit, ut sese quotidie ad Thermas conferret, eòque saepe etiam duceret Orphanorum gregem, ad hymnum in honorem Angelorum ab se adornatum, ibidem pie concinendum, qui de *Vriele* praesertim haec habebat [1].

Vriel fortis socius bonorum,
Doemonum vires gladio retundit,
Claritas cujus superat piorum
Vota precantum.

Sed tandem beata illa dies illuxit, qua Iulius III. Antonii precibus morem gerere constituit. Ejus enim jussu [2], anno MDL. Philippus Archintus, vice sacra Antistes Relligionum Vrbis, die x. Augusti, Episcopo Sebastensi

1 V. Ant Duca vil. Principum Angelorum Orat. cum antiq. imag. Neap. 1609. 8.

2 Ant. Spinelli de Festis, et Templis Deiparae p. 691.

Suffraganeo suo curam commisit, in honorem *Virginis Sanctae*, *et* VII. *electorum Principum Angelorum* Thermas Diocletianas consecrandi, quarum custodiam recens erecto Sodalitio *SS. Trinitatis*, *sub titulo Subsidii* [1] commendavit.

Quis vero Antonii, qui totius rei auctor fuerat, laetitiam, ac triumphum verbis assequi possit? Itaque Philippi Nerii, memoratae Societatis institutoris [2], auxilio fretus, eô rem perduxit, ut festa die B. V. sideribus receptae, omnia in promptu essent. Nam duobus ibidem Altaribus, opere subitario, erectis, quorum unum imaginem *Deiparae Angelis* stipatae, Venetiis depictam, alterum *Angelos* Panormi repertos praeferebat, Sebastensis Antistes Thermas sollemni ritu expiavit, maximaque caeremonia, *Deiparae*, et *Angelorum* honori dedicavit.

Sed non diu industriae suae gratulari, et laborum suorum fructu, optimo Viro frui licuit. Ecce enim perditorum hominum manus, qui illuc antea quotidie convenire solebant ad ludos, aleas, comessationes, et Equiria, inter Romuli foecem, ac ruderum illorum latebras, libere peragenda, impetu repente facto, omnia sacrilego ausu subvertit; ac locus per summum nefas, omni relligione spoliatus, Antonio, aliisque piis hominibus frustra reluctantibus, rursus consuetis oblectationibus, atque spectaculis patere coepit.

Itaque Antonius, non sine lacrymis, Thermas relin-

1 Lib. Decretorum, seu Constitutionum Societatis, seu Fraternitatis SS. Trinitatis de subsidio cognomento dietae. Romae 1554. 8. Decreti, ovvero Costituzioni della Compagnia, e Fraternità della SS. Trinità. Roma 1554. 8. Statuti della Ven. Archiconfraternita della SS. Trinità de' Pellegrini et Convalescenti. Roma 1558. 4. Giac. Laderchi Fondazione dell'Archiconfr. della SS. Trinità de' Pellegrini, e Convalescenti. Roma 1730. 4.

2 Bacci vita di S. Filippo Neri. Roma 1645. 4. lib. III. cap. II. ant. Gallonio vita B. Philippi Nerii. Moguntiae 1607. 8. et in Tom. VI. Maij Bollandiani pag. 460. et 524.

quere, atque hinc *Deiparae*, et *Angelorum* imagines, una cum sacra supellectile, auferre coactus fuit, quas in proximo Calidario recondidit. Quumque, intimi doloris sui aliqua ex parte leniendi caussa, ad Thermas identidem Orphanos una secum deferret, ut a tenera, atque innocenti puerorum aetatula, castae, ac purae laudum veluti hostiae vII. *Angelis* offerrentur, id etiam improbi homines aegre admodum ferentes, malis artibus Orphanotrophii praefecturam ei adimendam curarunt.

Ceterum Antonius nullis adversitatibus fractus, nunquam animum despondit; quin imo continentis quinquennii spatio, omnem lapidem movere non destitit, ut res tandem e sententia cederet. Interea anno MDLV, dum rei divinae operaretur, videre sibi visus est *Archangelum Vrielem* clarissima in luce refulgentem, qui bono animo esse jubet, eidemque Thermas rursus in honorem *Angelorum* conversas demonstrat.

Neque tum vanum fuit ejus augurium, nec sua eum spes fefellit. Nam anno MDLX, postquam renuntiatus fuit Pontifex Pius IV, inopinate ad optatissimam curarum suarum metam pervenit. Quum enim Pontifex a meridie sese contulisset ad Portam Nomentanam contemplandam, quam opere sumptuoso, a Bonarota exstruendam curabat, magnopere laudavit quamdam majoris moduli larvam, affabre exsculptam, atque oris rictu mirifice expresso ibi prostantem. Sed Michael Angelus Pontifici ingenue fassus est, id opus esse *Iacobi del Duca* [1]. Id nominis statim in mentem Pontifici revocavit alterum Antonii, de quo multa persaepe audierat, sermone hominum

1 Baglioni Vite de' Pittori, Scultori etc. fol. 54. Pellegrino Antonio Orlandi Abcedario Pittorico. Bologna 1704. 4. pag. 178.

6 P

praedicari. Quocirca, quum Mich. Angelum percontatus esset, num forte egregio Sculptori aliqua cum Antonio necessitudo intercederet, eum Pronepotem esse rescivit. Conticuit ad haec Pontifex; ac paullo post viam relegens, eumdem Antonium offendit, qui more suo ad Thermas invisendas, Angelosque ibidem exorandos, moestus, ac dolens sese conferebat. Pontifex singulari benignitate subridens, eum fausta precatione lustravit, statimque jussit, postridie ejus diei, ad se compellari.

Itaque Antonius Pontificem adiit, rerum omnium seriem evolvit; labores innumeros exantlatos, devoratas injurias, et contumelias; in suscepto proposito XXXIV. annorum perseverantiam enarrat; sese semel, atque iterum de Thermis in honorem *Angelorum* convertendis divinitus admonitum fuisse testatur; ac demum vehementer obsecrat, ut id ipse, qui *Angeli* nomen praeseferebat, ac insigni Architecto, cui *Michaelis Angeli* nomen, utebatur, sollemni ritu perficiat.

Non diu exorari passus est Pontifex, ac nihil cunctandum ratus, Bonarotae negotium dedit, ut Thermas in Templum commutaret, ac statim manus operi admoveret. Interea, dum Pontifex circumspiciebat, quos novo Templo Custodes addiceret, divinique cultus, et sacrorum Ministros, gestiens Antonius, quod sese tandem aliquando pretium laborum, ac vigiliarum, et tam diuturnae in hac Vrbe commorationis fecisse perspiceret, rem Jacobo Pronepoti communicavit. Atque is, quum paullo ante pro Altari Monasterii S. Barptholemaei Carthusianorum in agro Romano, Anaglyphum insculpsisset, ab uno e Monachis forte edoctus fuerat de quodam di-

plomate ab Vrbano V. Avenione dato, anno MCCCLXII,[1] quo Nicolao Comiti Nolano, et Neapoleoni Comiti Manupelli, Familiae Vrsinorum, concesserat potestatem erigendi Monasterium Ordinis Carthusiani, in Thermis Diocletianis, *sub appellatione SS. Leonis, et Nicolai Confessorum*[2]. Id tamen Comes Manupelli, morte interceptus, praestare non potuit. Quumque Comes Nolanus superstes consilium mutasset, idem Pontifex, altero diplomate, dato apud Montem Faliscum, x. Kal. Aug. an. VIII. sui Pontificatus[3], Neapoleonis voluntati testamento relictae derogavit; ac una cum ejus bonis, ac latifundiis, Monasterium pro Carthusianis in Aede Sessoriana erigendi facultatem Comiti Nolano impertivit. His auditis, omnia confestim Antonius Pontifici renuntiavit, qui summopere laetatus, quod Deus sibi hujusmodi provinciam reservasset, indicto Patrum Cardinalium Collegio, die V. Augusti, qua die aedes S. Mariae in Templo Liberiano prodigiali nive dedicata est, anno MDLXI, magno Praesulum, Procerumque comitatu, atque incredibili populi frequentia, Thermas in honorem *S. Mariae Angelorum*, sanctissimis caeremoniis dedicavit; et sacrae Aedis Titulo Cardinalitio exornatae custodiam Carthusianis illuc ex Coenobio Bas. Sessorianae translatis demandavit[4]. Atque

1 Vgonio Stazioni di Roma pag. 192, et 210. Besozzi Storia di S. Croce in Gerusalemme p. 185.

2 Panvinius de VII. Eccl. p. 270.

3 Besozzi Ibid. p. 186.

4 V. Bullar. Cherubin. p. 551. Cost. LV. Raynald. Annal. Eccl. T. XI. ad an. 1562. num. 129. Bacci de Thermis lib. VII. c. III. pag. 562. Venet. 1571. fol. Ibid. 1588. Romae 1622. et Venet. 1712. fol. et in T. XII. Thes. Graevii. Spinellum de Fest. et Templis Deiparae pag. 690. Panciroli Tesori nascosti pag. 411. Vittorelli de' Ministerj, et Operazioni Angeliche p. 286. Corn. a Lapide in Apocal. cap. I. p. 16. Besozzi loc. cit. p. 189. Piazza Gerarchia Cardinalizia pag. 618. Marangoni delle Terme, e Bagni de' Gentili, e d'altri luoghi immondi convertiti in Chiese. cap. LVI. delle cose Gentilesche ad uso

utinam id aliquando fieret de Thermis Antoninianis, quae licet in modum Provinciarum exstructae, senio, ac squalore obsitae fatiscunt quotidie magis, ac satis diu manus auxiliatrices efflagitare videntur!

Tunc igitur effigies *Virginis Sanctae*, *Reginae Angelorum Caelitum*, ex proximo Calidario, ubi abhinc decennium delituerat, quodque eadem honori *Bernardi* [1], sui cultus studiosissimi, quodammodo cessisse, ac reservasse videtur, egressa, veluti postliminio, in Thermas rediit, ubi in Ara maxima, tamquam in solio, relligiosissime collocata fuit. Haec eadem illa est imago, quam Venetiis Antonius ad vivum exprimendam curavit ex archetypo musivo aedis S. Marci. Trini Angeli dextra, ac totidem laeva Mariam venerantur; septimus sub ejus pedibus pronus adstat, hoc modo. Laeva parte, horum primus in pectore *Michael* inscribitur, *paratus ad animas suscipiendas*. II. *Raphael* dicitur, de se proferens, *Viatores comitor*, *infirmos medico*. Tertii nomen deletum est, ac tantum legitur, *Deum laudantibus*, *proemia retribuo*. Quarti nomen item oblitteratum est, ac sub pedibus Deiparae inquit, *Oro supplex*, *et acclinis*. Dexteriore vero parte, *Gabriel* visitur, extrito tamen, atque eluto nomine, Virgini praenuntians, *Spiritus S. descendet in Te*. Secundi nomen, quem *Vrielem* puto, expunctum est. Haec tamen inculcat. *Flammescat igne charitas*. Tertius vero in veste adhuc exhibet *Barachiel*, literarum vesti-

delle Chiese pag. 291. Tromby Bened. Istoria Critico-Cronologica Diplomatica del Patriarca S. Brunone, e del suo Ord. Cartusiano. Napoli 1773. T. x. fol p. 272.

1 Piazza Gerarchia Cardinalizia p. 684. Ant. M. Lupi Dissert. postuma intorno a' Battisteri antichi pag. 99. e nelle note, e continuazione di Franc. Ant. Zaccaria. p. 106. Montfauconii Diarium Italicum. p. 206. Mabillonii Museum Ital. T. I.

giis, poene tamen fugientibus, ac detritis, adjecta prece, *Adjutor, ne derelinquas me*.

Verum, etsi neque Philippus Archintus, neque Pius IV, tum in prima, tum in secunda Thermarum consecratione, *Angelos* singillatim nominaverint, sed tantum generatim Thermas *BB. Virgini omnium Angelorum*, et *Martyrum*, dicandas esse pronuntiaverint, tamen eorum nomina minime delenda curarunt, quae ibidem reliquit Antonius del Duca, diem suum functus anno MDLXXIV. [1] Quin imo eadem ibidem exstitisse constat, unius ferme seculi spatio. Nam descriptae liturae, non Cardinalibus Bellarmino, et Baronio tribuendae sunt, ut perhibet Victorellus [2], sed Cardinali Francisco Albitio, qui id se praestitisse aperte testatur, ubi narrat [3]. *Curavi ego tamen, ut delerentur dicta nomina*. Et sane eodem an. MDLXI, Ferrantes Ruis, domo Navarra, qui, ubi nunc ad Aedes Bergomatum colitur Barptolemaeus Apostolus, e solo condidit Aedem B. V. *a Pietate* nuncupatam ad Columnam Antoninam, adjecto Dementium valetudinario, ad viam Longam postea translato [4], in Ara depingendum curavit D. N. J. C. in Templum Hierosolymorum a Parentibus deductum, devotumque, ac VII. *Angelos*, singulorum nominibus appositis, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, Vriel, *Scaltiel*, *Iehudiel*, *Barachiel*. Sed, ut hinc etiam

1 *in Templi pavimento ante Altare princeps sepultus fuit, hoc epitaphio*. Antonii de Duca Siculi Presbyr. Cephaludensis, qui has Diocletiani Thermas ante annos fere triginta Virg. Angelorum, ut extat, Templum fore divinitus praevidit, hic ossa quiescunt. Vix. ann. LXXIII. m. IV. d. XV. obiit XXX. Oct. MDLXXIV. Jacobus de Duca Pronepos ex Testamento haeres posuit. *V. Martinellium Rom. ex ethn. sacr. pap.* 181. *Panciroli Tesori nascosti p.* 310. *Vgonio Stazioni di Roma p.* 202. *Piazza Gerarchia Cardinal. p.* 621.

1 op. cit. p. 275.

2 de inconstantia in Fide c. XL. p. 527.

3 Martinelli Roma ex ethnico sacra p. 180. Ottavio Panciroli Tesori nascosti p. 411.

eadem nomina delerentur, Clementi XI. auctor fuit Franciscus Blanchinius [1]. Nam viri doctissimi trium dumtaxat Archangelorum nomina retinenda esse propugnarunt, qui in sacris literis nominantur, etsi vII. *Angelorum* [2] cultum minime improbandum esse duxerint. Frequens enim eorum mentio fit apud Patres, et sacrarum litterarum volumina. Siquidem, ut alios praeteream, Clemens Alexandrinus [3] numeri septenarii Angelorum Dei assistentium dotes explicans, ait [4]. vII. *quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes*. Cum iis Johannes loquitur, quum gratiam precatur a Deo [5], *et a* vII. *Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*, eosque mitti in omnem terram [6], et ex illis unum ad se missum esse scribit. Idem Zacharias Propheta confirmat, quem Spiritus vII. oculorum nomine adumbrasse censuit Hieronymus [7]; ac diserte *Raphael Angelus* Tobiae dixit [8], *ego sum unus ex* vII, *qui adstamus ante Dominum*.

1 Lettera sopra alcuni nomi di vII. Angeli esposti in un Quadro d'Altare della Chiesa di S. Maria della Pietà di Roma. nel T. II. de' suoi Opusc. p. 17.

2 De vII. Angelis Principibus, aut Archangelis, praeter Interpretes Apocalypseos, et SS. Michaelis Syncelli Laudationem in Sanctos Dei Archangelos, Angelosque, ac universas Caelestes virtutes. in Auctar. Combefisii p. 1526. vide Petavium de Angelis p. 128. Martinum Roa in singularibus S. Scripturae T. II. p. 444. Joh. Lud. de la Cerda de excellentia caelestium Spirituum. Paris 1631. 8. Quis enim suadere poterit, ut consulas Grotium ad Matthaei xvIII. 10. Christ. Sandium in problemate paradoxo de Spiritu S. p. 10. et contra Sandium. Schomerum p. 92. et Wittichium p. 156. Dorscheum in Pentadecade p. 516. Schmidium in mysterio Gratiae divinae p. 550. Abr. Hinckelmannum in detect. fundamenti Bohmisni p. 18. contra Fluddum e. vII. microcosmi, et Jac. Boehmium. Ioh. Galleum ad Jamblichum de Mysteriis Aegypt. p. 206. Gerard. Mejerum in paradoxo de Archangelis enthymemate Hamb. 1695. 4. Dan. Pfeffingeri Disquis. de cultu Angelorum. Argent. 1708. 4. Joh. Job. Majorem de natura, et cultu Angelorum. Jenae 1653. 4. Hackspanium de Angelorum, Doemonumque nominibus. In Sylloge p. 2,4. 242. 252

3 vI. Strom. p. 493.

4 in Iv. Apoc.

5 ibid. c. v. vI. et vI.

6 ibid. cap. xvII. V. etiam Apocalypsis I. 1. 4. v. 6. vIII. 2. xv. 1.

7 cap. Iv.

8 cap. xII. 15.

Verum, quum quae in apocryphis occurrunt, auctoritatem licet non habeant, interdum tamen mala non sint, ac nonnullis eorum sententiis utatur Ecclesia, putandum est, eamdem *Vrielis* nomen usurpari, et Christianis in sacro regenerationis lavacro [1], identidem imponi, tolerasse, pari fere modo, quo noluit eosdem libros Apocryphos prorsus deletos; etsi eos in Canonem, sive syllabum sacrorum Codicum communi Ecclesiae judicio receptorum minime recensendos, nec publice legendos, sed tantum, utpote haud satis exploratae originis, ac fidei, vel dubiae auctoritatis, seorsim cudendos praescripsit. Quumque plus III, et IV. Esdrae libro, quos minori charactere, post volumina divina, et Canonica ad calcem Bibliorum reponi permisit, quam ceteris scriptis apocryphis dederit auctoritatis, ita plus etiam *Vrielis* nomini ibidem memorato, et a nonnullis Patribus, vel post Synodum Rom., aliquando usurpato, prae tribus aliis VII. Archangelorum, tribuisse videtur, atque in eorum gratiam tolerasse, ut apud Christianos circumferretur. Ceterum quivis sanus cum Thiersio pronunciaverit [2], *multo tutius esse cum Ecclesia Catholica tres tantum Angelos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem in sui patrocinium advocare, quam* Vrielem *ipsis cum Aldeberto Haeretico adjungere, ejusque opem implorare.*

1 V. Nicol. Serarium in libro Tobiae. pag. 188.

2 de retinenda in Ecclesiae libris voce *Paraclitus*.



§. XII.

Mariae Sepulcri Cimeliorum descriptio continuatur.

Jam vero ad *Mariae* Sepulcri Cemeliorum descriptionem redeamus. Nam, quum ne magnos quidem Reges, Principesque Viros taedeat, quandoque, animi caussa, domesticas copias, et pretiosam supellectilem paullo curiosius inspicere, ac recognoscere, quis nos jure reprehendat, si diutius etiam inter aurum, gemmasque in nostro Templo repertas versari libeat? Itaque duplicem aequalium Auctorum narrationem latine exaratam heic etiam libenter attexam, quum plura maximi pretii in singulis occurrant, quae reperti thesauri divitias, atque opulentiam exactius recenseant, ac iccirco earum varietate Lectorum animos mirifice possint delectare. Ac primum Laurentii Surii Carthusiani referam testimonium, qui in Commentario rerum in Orbe gestarum ab anno MD, ad MDLXXIV, *sub initium anni* MDXLIV. *mense*, inquit, *Februario, Romae in Vaticano, haud procul a Tiberi, quum in Sacello S. Petri fundamenta foderentur, inventa est marmorea arca longitudine pedum octo, et semis, latitudine quinque, et sex altitudine, in qua condita fuit* Maria *Honorii Imper. Conjux, quae virgo obiit, morte abrepta ante nuptias. In ea arca, Corpore absumpto, aliquot tantum dentes supererant, capillique, ac tibiarum ossa duo: praeterea vestis, et pallium, quibus tantum auri fuit intextum, ut ex his combustis, auri pondo* XXXVI. *collecta sint. Erat insuper capsula argentea longa pedem unum, et semissem, latitudine digitorum* XII. *in qua vascula multa e chrystallo, nonnullaque ex achate perpulcre elaborata. Item annuli aurei* XL. *variis gemmis ornati. Erat et smaragdus au-*

ro inclusus, in eoque sculptum caput, quod creditum est, ipsum Honorium referre. Is quingentis aureis, nempe ducatis, aestimatus est. Praeterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta; in quibus una earum, quas hodie Agnus Dei *vocant, per cujus ambitum insculptum erat*

MARIA FLORENTISSIMA

laminaque ex auro, et in ea haec nomina

MICHAEL . GABRIEL . RAPHAEL . VRIEL

graecis litteris. Item veluti racemus ex smaragdis, aliisque gemmis consertus, et discriminale longitudine XII. *digitorum, inscriptum hinc*

DOMINO NOSTRO HONORIO

hinc DOMINA NOSTRA MARIA.

Ad haec inerat Sorex ex chelidonio lapillo, cochleaque, et patera ex chrystallo. Item pila ex auro lusoriae similis, sed quae in duas partes dividi potuit. Innumerae pene aliae inerant gemmae; quarum etsi plurimae vetustate corruptae, nonnullae tamen recentem, admirandamque pulcritudinem retinebant. Et haec omnia Stilico Filiae dedit pro dote.

Heic autem obiter notandum est, Bonardum [1], Rasponium [2], et Benedictum XIV. [3] ex hoc Agno Dei in *Mariae* tumulo reperto, ritus a Pontificibus cereos Agnos, et Sanctorum reliquias, insignioribus Christianae ditionis Principibus dono mittendi, vetustatem deduxisse, contra Sebastianum Munsterum, qui [4] ex inscriptionibus, quae in ejus ambitu notantur, secus sentiendum esse scripsit. Sed quum Gretserus [5], imaginem quae a Surio *Agnus Dei* nuncupatur, auream fuisse, ac

1 Discorso intorno agli Agnus Dei. Romae. 1584. 1621. 1760. 1704.

2 p. 145.

3 de Beat. et Canon. lib. IV. P. I. c. V. et P. II. c. XX. n. II. p. 2.

4 lib. II. Cosmographiae p. 148. editionis Basileensis.

5 de Benedict. lib. II. c. XXXVI.

tantum ovali figura cereis adsimilem contendat, ac profecto ipse Bosius [1] hanc sententiam confirmet, ubi nominat in thesauri ejusdem descriptione, *un tondo d'oro*, come un Agnus Dei, *con lettere attorno*, *che dicono*, Maria domina nostra florentissima, *e dall'altra parte* Stilico vivat, iccirco eruditissimus Steph. Borgia [2], aliis argumentis, post Honoratum de S. Maria [3], et Phil. Dionysium [4], ut porro facit, Agnorum Dei vetustatem probandam esse declarat, ut Card. Valesii opinionem tueatur, qui hunc usum, contraquam sensit Panvinius [5], Sec. IX. assignans, Sec. V. ineunte, exortum putat [6]. Haud enim revera satis constat ex Surii, et Bosii descriptione, utrum Agnus ex cera esset, auro licet inclusus, an verius orbis ex auro elaboratus, Agni imaginem praeseferret; quin imo ex L. Fauni descriptionibus neutrum ex his esse liquet, quum tantum *bullam gemmis intertextam*, cum inscriptione *Maria nostra florentissima*, nuncupaverit, ac disertius *un tondo d'oro*, *come uno Agnus Dei*, *con queste lettere in-*

1 lib. II. c. VII. pag. 43.

2 in praef. ad Aug. Card. Valerii opusculum de bened. Agnorum Dei p. VIII.

3 T. III. Diss. II. super regul. Critices

4 pag. 88.

5 in Baptismate Paschali, et origine consacrandi Agnos Dei cum corollario Io. M. Suaresii. Romae 1656. p. 188.

6 V. Xysti V. Breve ad Pasch. Ciconiam Ducem Venet. ubi de more Pontificum benedicendi, et consecrandi Ceram, quae Agnus Dei vocatur. in T. XVII. Diar. Literat. Ital. Venet. 1714. 4. p. 435. Ioh. Molanum de sacris picturis cap. LXV, et orat. I. de Agnus Dei. Sirmondum. in notis ad Ennodium pag. 73. Latinum Latinium T. II. Epistolar. p. 178. Raynaudum in Opere, cui titulus. Christianus Christi, et Matris Ecclesiae per Baptismum Filius, Cerei Agni a Christo Vicario consecrati symbolica imagine expressus. Gratianopoli 1642. 8. et in T. X. Opp. c. VIII, et XIII. Andream Victorelli ad Ciacconii Vitas Pontific. in Vrbano V. Vicecomitem de Baptismi ritibus c. LI. Ant. Baldassarri de Agnis Dei. Venet. 1714. 8. Augustinum Castano de masime super naturali Agni Dei virtute. Ven. 1669. Paschal. Copeti. delle pernottazioni, che i novelli Battezzati facevano, e dell' antica costumanza di dispensar gli Agnus Dei di Cera benedetta. ne' suoi Discorsi di Liturgia. Roma 1766. Mabillon. in T. II. Mus. Ital. p. 376.

torno Stilico vivat. Ceterum de ritu cereos Agnos, in Martyrum Conditoriis praesertim includendi, post eruditissimam dissertationem Vestrinii *de Agnorum usu* [1], consule Edwardi de Witry dissertationem in Tumulum T. Fl. Clementis Viri Consularis, et Martyris, et in eam Fr. Ant. Zachariae Paralipomena [2].

Reliquum modo est, ut aliis, ne longum faciam, Marliani [3], Joh. Bapt. Costaguti [4], et Pompilii Totti [5] descriptionibus praetermissis, proferam Bullingeri epistolam Vadiano scriptam, quae exstat in *Centuria epistolarum philologicarum* a Goldasto editarum [6]. *Anno Domini* inquit, MDXLIII. *pridie Nonas Februarii a fossoribus, qui fulciendis fundamentis terram effodiunt novae Basilicae S. Petri a Iulio inchoatae, haud longe a mole quadam rotunda, ubi Mausoleum fuisse Honorii Caesaris nonnulli putant, nunc vero in* Sacrarii *usum cessit, repertum est sepulcrum marmoreum. Longum erat pedes* X, *latum* VI, *altum unum, et dimidium. Vas ipsum cujusdam amplitudinis foris quadratum, intus obtusos habebat angulos. Sublato opercula, reperta sunt ossa duorum cadaverum, quorum alterum fuisse Mariae Sponsae Honorii, Filiae Fl. Stilichonis, ex certis inditiis colligitur; alterum quoque Thermantiae ejusdem Honorii sponsae, et ejusdem Stilichonis Filiae fuisse creditur. Quarum utrasque Virgines defunctas Historici tradunt, et regio habitu, simul cum dotibus sponsalibus, conditas esse ex iis ornamentis, quae apud ipsas inventa fuerunt, constat. Erant autem haec cadavera, pallis aureis involuta, ipsaeque calvariae*

1 Saggi dell'Accademia di Cortona. T. vI. Dissert. vII. Roma 1751.

2 T. XXXIX. Syll. Calog. et in Tom. I. Diss. Latin. Fulginiae editarum p. 84. et in T. III. Graevii p. 251.

3 in Top. Vr. Rom. lib. v. c. XXI. p.112.

4 Architet. della Bas. di S. Pietro p.XXI.

5 Ritratto di Roma antica p. 332.

6 Francofurti 1610. 8. p. 232. et apud Martene T. II. de art. Eccl. rit. p. 1033.

aureis cinctae diadematibus. Fila vero palliorum vetustate computruerant; externi vero limbi, ipsaque diademata ex auro ductili constabant. Quare ex iis aurum conservatum est: ossa adhuc cohaerentia simul cum vestibus statim ad attactum, sensumque aeris abierunt in pulverem. Aurum ex vestibus collectum, et purgatum, ponderabat libras circiter LXXX. *In pectore alterius massa racemi specie dependebat, composita ex auro, adamante, smaragdo, atque aliis gemmis. Apposita erant et vasa aliquot perforata, forma clepsidrarum, odoris gratia concinnata. Margaritae grandiusculae* LIII, *sed squallore sic erant confectae, ut digitis dissiparentur. Annuli aurei plures* C. *quibus maximae gemmae per orbem, atque circumferentiam erant insertae, jaspides, carbunculi, adamantes, et reliqua. Cochlea aliquot aurea, calamistra aurea, sitella quaedam argentea mirabilis artificii, vasa aliquot crystallina, vas quoddam sine concha ex achate lapide. Item ornamentum quoddam, panis fere specie, constans ex duabus gemmis, quarum altera cornelius erat, altera topazius, quas connectebat circulus, sive zona aurea variis gemmis distincta, atque ornata. In lapidum superficie utrimque insculpta fuere nomina, hoc fere modo.*

HONORIVS MARIA STILICHO VIVAT

Delata sunt mox omnia in Palatium vicinum ad Pont. Max. ubi nunc asservantur. In altero latere eadem legebantur HONORII AC STILICONIS, *atque etiam haec nomina* THERMANTIA SERENA. *Vspergensis in Chronicis. Stilico Comes erat de perfida, et dolosa gente Wandalorum natus. Idem Socer erat Honorii. Cujus duae Filiae Maria, et Thermantia, altera post alteram, Principi Honorio desponsae sunt. Sed utraeque Virgines obierunt.* Hactenus Bullingerus, cujus descriptionem si cum ceteris supra allatis componas,

multo plura, ac pretiosiora in eodem sepulcro exstitisse, ac Sororem *Thermantiam*, cui post *Mariam*, anno CDVIII, Honorius pari fato nupsit [1], ibidem una cum Imperatrice *Maria* conditam fuisse reperies.

Sed quum tam multa de hujusmodi sepulcro ante oculos posita sint, quid impedit, quin ea etiam subdam, quae Bosius, et Aringhius [2] memoriae prodiderunt; nimirum Paullum III, ad quem integrum thesaurum delatum fuisse vidimus, non solum omne aurum separatim conflari jussisse ad libras XL, ad novi Aedificii usum impensas, sed etiam, gemmis una collectis, Pontificiam Tiaram triplici corona insignitam exornasse? Quod etiam accepimus a Flaminio Vacca, qui ita rem enarrat apud Montfauconium [3], qui ejus Schedas idiomate vernaculo conscriptas, uti jacent in postrema Nardinii [4] editione, latine reddidit. *Postremis Paulli* III. *Papae annis, ut aliis narrantibus accepi, detecta fuit in fundamentis S. Petri Vaticani urna grandior ex marmore granito rubro aegyptio: quae hodie visitur in veteri S. Petri Ecclesia proxime Altare Vultus Sancti. Ibidem jacebat Regina quaedam ceu ramentis aureis vestita. Quum primum autem aeri exposita fuit, et formam, et decus totum amisit. Ibidem deprehensa est gemmarum, et lapillorum copia ingens, queis Paullus* III. *ornandae, conficiendaeque coronae usus est*. Id sane ei pergratum fuisse nemo ambiget, qui decessores suos, ut ait Ciacconius in ejus vita [5], *in apparatu Pontificio superavit, coemptis undique, ac magnis pretiis, adamantis, sapphiris, smaragdis, chrysolithis, jaspidibus, unionibus, et quidquid gem-*

1 Claudianus de laudibus Serenae p. 215. Tillemont Memoires. T. XIII. p. 467.
2 T. I. lib. II. c. IX. num. II.
3 in Diario Italico p. 276.
4 T. IV. p. XXXIV.
5 Ang. M. Quirini Imago optimi, sapientissimique Pontificis expressa in gestis Paulli III. Farnesii. Brixiae 1745. 4.

marum in pretio est. Erat tunc praefectus, harumque rerum curator, magnificus Iohannes Albertinus, qui praesens operi, margaritas aliquas sibi seposuit, aetate nimia labefactatas, ita ut instar coepe, in pelliculas solverentur. Haec, patre meo Ioh. Albertini amicissimo narrante, edidici. Sic observationes suas claudit Flaminius Vacca, pergit Montfauconius. *Si porro ibidem memorata Regina formam a tot seculis sepulta servarat, res est sane nihil minus stupenda, quam quae superius* [1] *de Puella ad Viam Appiam, integro corpore, vividisque coloribus reperta diximus.* Haec autem libenter persequutus sum, quod non inutiliter, nec nulla eorum, qui lecturi essent, voluptate, ab instituto me divertere animadverti, dum veterem usum, in Principum, et nobilium Virorum tumulis, anulos, gemmas, atque omne genus gazam, et jocalia, quibus vivi delectabantur, recondendi, hoc exemplo demonstrabam, aliis praetermissis, quae a pluribus [2] erudite congesta reperiuntur.

Sed heic nonnemo, me in locum sane difficilem, ac salebrosum adductum esse putabit. Quid enim, inquiet, a *Stephano* II. *S. Petronillae* Templum a solo conditum putas, ubi *Mariae* Imperatricis, quae decessit an. cccxcviiI [3],

1 c. ix. p. 157.

2 S. Hieronymus lib. iI. epist. I. S. Ambrosius lib. de Nabuth. Lactantius l. iI. de divin. Instit. c. iv. Gregorius Turon. lib. iv. Hist. c. XLV. XLVI. LII. lib. vI. c. 46. Gesta Francorum c. xxxv. Monachus Engolism. c. xiv. Baldricus lib. i. Chron. Camer. cap. xiI. lib. iiI. cap. xx. Baronius anno DCCCXXI, et MCIC. n. 3. 5. 15. Surius ad ann. MDXLIV. Filesacus lib. I. salect. cap. CCLXXVII. Viri docti ad Suidam, in θανάκη. et Vitruvium. iv. 1. Stephanius ad Saxonem Grammaticum. p. 96. Jac. Thomasius. Programma. LVII. Pet. Mullerus. diss. de jocalibus. Christ. Ehrenf. Seiffertus. Diatriba de numis in defunctorum ore repertis. Dresdae 1712. 8. Will. Iust. Christ. Chrysander. Comment. de Naulo Charontis. Helmst. 1745. Iacob. Gutherus. de jure Manium c. xxiI. quae in Sepulchris cum Corporibus conderentur, et in T. xiI. Thes. Graevii p. 1246. Franc. Danieli. Regali Sepolcri del Duomo di Palermo riconosciuti, e illustrati. Napoli 1784. fol.

3 Tillemont Memoires T. xI. p. 556.

sepulcrum exstitisse constat? Verum, aut ego fallor, nil magis Templum, de quo agimus, Christianis esse accensendum demonstrat, quam hujusce Sepulcri detectio. Quis enim pientissimam Imperatricem in Templo inanibus Diis dicato sepultam fuisse putet? Apage tantam dementiam. At regeres, Templum jam ab omni superstitione expurgatum fuisse, quum eô illatum fuit ejus Cadaver. Quis tamen id sibi persuadeat, quum exploratum cuique sit, Sec. IV. nondum invaluisse usum cadavera in Templis sepeliendi? Praeterea, si re ipsa, ibidem sepulta fuisset, nonne ejus Mausoleum, loco eminenti, ac conspicuo exstitisset? Atqui ibidem dumtaxat in Templi dejectione detectum fuit. Quod ferme omnes, qui ejus inventionem, literis consignarunt, declarasse vidimus. Nonne enim Alpharanus, *in Cappella* diruta *juxta Altare S. Petronillae*; Grimaldus, *quum novae Bas.* fundamenta *jacerentur*; Herculanus, *quum novae fabricae* fundamentum *foderetur*; Faunus, *excavando*; Surius, quum fundamenta *foderentur*; Flaminius Vacca, *in fundamentis S. Petri Vaticani*, Mariae sepulcrum repertum fuisse una voce tradiderunt? Itaque illud unum restat, Templum, in quo repertum est ejus Cadaver, longe post ejus obitum exstructum fuisse, ejusque Mausoleum, vel prope hanc Aedem *Petronillae* sacram situm fuisse, vel ab ipso Stephano II. in Templi constructione, intra ejus ambitum fuisse inclusum, ibique obtectum, ignoratumque exstitisse, donec in Templi eversione detectum fuit.



§. XIII.

De Honorii Imperatoris Sepulcro.

Quod vivus Honorius, Theodosii M. Filius, assequi minime potuit, id mortuus obtinuit, post Vxsorum sibi carissimarum desiderium, atque dissidium, ut in utriusque Sororis, veluti sinum, ac complexum veniret, ac pone exsangues earum exsuvias perpetuo conquiesceret. Etsi enim Alpharanus [1] *Honorii Sepulcrum* designet *juxta parvulam aediculam, itemque Othonem* II, *Placidum, Valentinianum* III. *Imperatores Augustos, ibi humatos* fuisse scripserit, tamen temporis decursu, una cum Vxsorum sepulcro suum quoque in eodem S. *Petronillae* Templo inclusum fuisse, conjiciendum est. Hujusce opinionis auctor est Paullus Diaconus [2], cujus testimonio Severani [3], Aringhii [4], Baronii, Baldinii [5], ac praecipue Grimaldi accedit auctoritas, qui in cod. ms. haec adnotavit. *In hoc S.* Petronillae *Mausolaeo aliquot maximorum Principum sepulcra exstabant, inter quos, ut Onuphrius Panvinius* [6] *lib.* VI. *cap.* IX. *antiquitatum dictae Basilicae, qui* MSS. *in Bibliotheca praefatae Ecclesiae adservatur, scribit, primus omnium Imperatorum Honorius Augustus, Magni Theodosii Imperatoris Filius apud Vrbem Romam vita exemptus,* XVIII. *Kal. Septembris, anno Christi* CDXXIII. *juxta B. Petri Apostoli Atrium, in Mausoleo sepultus est. Ita Paullus Diaconus in appendice Eutropii lib.* XIII. *Ejusdem Honorii Vxorem Mariam Stilico-*

1 ms. n. 120. p. 47. Alfarano descrizione ms. della Bas. Vatic. Appresso a questa Cappelletta a man destra, inanti che se entra detta Cappella, vi è il sepolcro de Ottone II. Imperatore, et de Honorio, et Valentiniano Imp. de marmo, et coperchio de porfido elegantissimo, siccome narra Paulo Diacono in appendice Eutropii lib. XIIII. et Procopio libro I. de bello gotico.

2 in append. Eutropii l. IV.

3 p. 92. 4 p. 268.

5 T. II. Anast. in vita Leo. III. p. 285.

6 T. III. c. IX. p. 80.

nis Filiam sepultam fuisse in eadem Basilica ex eo liquet, quod ejus sepulcrum in nostro tempore ibidem inventum est. Haec Panvinius, qui tamen alibi haec habet [1]. *Constantinus in Porticu Templi Apostolorum Constantinopoli, Honorius in Porticu Templi S. Petri Romae, ejus Vxor intra idem Templum sepulti sunt.* Et sane Paullus Diaconus haec de Honorio tradidit. *Apud Vrbem Romam vita exemptus est, Corpusque ejus juxta B. Petri Apostoli atrium, in Mausoleo sepultum est.* Itaque quod tradit Bullingerus, ut supra vidimus, nonnullos opinatos fuisse, Honorii Mausoleum exstitisse in mole rotunda, quae in *Sacrarii* usum deinde cessit, falsum omnino esse constat. Praeterea illud etiam ex his conficitur, ut quisque noscat, falli Mabillonium [2], qui utrumque sepulcrum *in cryptis Vaticanis* detectum fuisse scribit.

§. XIIII.

De singulari Regum Francorum cultu erga idem Templum.

Huic Templo ditior famae cumulus accessit ex singulari Gallorum pietate in *Petronillam*, ac praesertim ex ipsorum Galliae Regum insigni liberalitate, ac munificentia. Nam iccirco *Cappella Regum Francorum* [3], *Cella Galliae Regis*, *Templum Galliae Regum*, vulgo appellari consuevit. Quae quidem denominationes, loco, ubi hoc Templum stetit, vel post ejus demolitionem adhaeserunt. Totam enim Templi Vaticani aream ad meridiem positam, *Aream Regis Christianissimi*, sua aetate vocatam fuisse monet [4] Bonannius. Hoc idem Templum indicatum fuisse puto a Montfauconio, ubi post descriptionem Aedis rotundae

1 de ritu sepeliendi mortuos.
2 T. I. Mus. Ital. pag. 143.
3 V. diploma Clem. VIII. T. III. B. V. pag. 202.
4 p. 114.

Minervae Medicae, haec adjecit. *In Codice Anonymi cujusdam Architecti, qui penes me est, dicitur in Eccl. olim Vaticana S. Petri*, Capellam Imperatoris, *quae cum veteri toto Templi Vaticani Aedificio, ad hodiernam excitandam Basilicam excisa fuit, ad hujusce Templi similitudinem fuisse constructam, quod itidem alii tradidere.*

Peculiarem Francorum Regum Patronam B. *Petronillam* fuisse, Paullo I. docente, superius audivimus, qui *pro laude, aeternaque memoria Pipini* Templum ipsum in ejusdem *Petronillae* honorem consecrasse testatur. Quid igitur erga eamdem illustres *Pipini* Successores praestitisse putabimus?

Ludovicus XI. anno MCDLXXI, Templum hoc *Petronillae* dicatum, instaurari jussit, et dote amplissima locupletavit. Quod praeter Grimaldum [1] luculentissime testatur Clementis VIII. diploma, ubi legitur [2]. *Deprehendimus ex dictae Basilicae Archivo, in quo libri rationum asservantur, comprobari cl. me. Ludovicum ejus nominis undecimum, Francorum Regem, circa annum Domini millesimum quadringentesimum septuagesimum primum, Cappellam ejusdem* Sanctae Petronillae, *quae tunc ad dexteram Altaris majoris dictae Basilicae partem constructa erat, restaurari fecisse, ac in mille, et ducentis scutis Capitulo ejusdem Basilicae ad eum finem erogatis dotasse*. Et sane Edmundus Martene *epistolam Xysti* IV. *Regi Franciae de detectione Corporis S. Petronillae* inscriptam, ex schedis Mabillonii nobis servavit, quae, etsi desit in Bullario Vaticano, tamen singularem cl. Praesulis Stephani Borgiae, qui eam mihi perhumaniter indicavit, non fugit eruditionem. Itaque quum ex ea non solum Ludovici pietas, et munificentia, ve-

1 fol. 39. ms. 2 T. III. Bull. Vat. p. 201.

rum etiam arcae marmoreae, ubi *Petronillae* Corpus exstabat, descriptio appareat, rursus heic exhibemus [1].

Carissime in Christo Fili salutem. Nuper quum Capella B. Petronillae *in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, munificentia tuae Majestatis exornaretur, arca marmorea, ubi venerabile ejus Corpus reconditum erat, inventa fuit, in cujus fronte haec verba insculpta cernuntur.* Divae Petronillae Filiae dulcissimae, quae a Beatissimo Apostolo Petro erudita esse pie credendum est. *Exstant praeterea ab omnibus ipsius arcae capitibus Delphines quatuor, veluti custodes, et veneratores tam gloriosi sepulcri, de quibus conjecturam fecimus, non esse novam tui Christianissimi Sanguinis, ad hanc Sanctam Dei devotionem. Quod ideo magis etiam Nobis placuit, quia in hac tua venerandi hujus sepulcri exornatione, Majorum tuorum religioni correspondere videris, sicut praeclaris aliis virtutibus etiam eos imitaris. Haec autem Majestati tuae significanda duximus, ut eo magis munificentia, et pietate tua in ipsam Sanctam laeteris, et intelligas nos ob amorem nostrum erga Te, magnam ex hac devotione tua cepisse consolationem. Datum die* 25. *Septembris an.* 1474. *an.* 4. *Pontificatus.*

Atque heic unusquisque videt, *Delphinos* non esse insculptos ea de caussa, qua Aringus [2] a Christianis persaepe in Coemeteriis effictos fuisse censuit, nimirum, ut hoc piscis genere, quod purioribus aquis innatat [3], ac delectatur, significarent, homines rerum terrenarum cupiditate non esse afficiendos. Ibi enim dumtaxat in-

1 in Tom. II. Vet. Scriptor. et Monumentor. amplissimae Collectionis Parisiis 1724. pag. 1470.

2 l. VI. Rom. subt. p. 621. et Mamachius in T. III. Orig. Eccl. p. 94.

3 V. Frid. Lebrecht Goetze de Piscium cultu. Lipsiae 1723. et Joach. Mejerum de claris Fischeris, nec non de Piscinis, Piscibus, et Piscatoribus memorabilia quaedam. Gottingae 1695. 4.

sculpti sunt, pari modo, quo Guigonem VII. *Delphini* insigne stemmati gentilitio addidisse constat [1], quo Comitum Viennensium signum indicaret.

Deinde vero Karolus VIII. Ludovici Filius, Patris pietatem erga *Petronillam*, hereditate veluti acceptam, aemulatus est. Nam duo Sacerdotia ab eo ibidem constituta, uberius dotavit, ac pro Patris expiatione, sacrum quotidie a duobus Sacerdotibus, alternis celebrari mandavit. Quae tamen sacra, fortasse ob imminutos redditus, ad minorem numerum postea redacta fuerunt. Nunc enim docent Bull. Vat. editores [2], tribus tantum vicibus sacrum singulis hebdomadis fieri, ut pridem eumdem Ludovicum praescripsisse constat ex veteri MSS. apud Turrigium [3], ubi haec habentur. *Cappella* S. Petronillae *Virginis a Ludovico* XI. *Francorum Rege, circa annum Domini* MCDLXXI. *instaurata, atque dotata duobus Cappellanis de Iure Patronatus Regum Franciae, cum onere celebrandi tria Missarum sacrificia qualibet hebdomada.*

Quum autem hujusmodi Sacerdotiorum institutionis caussa, non omnibus satis nota, ac explorata, constet ex diplomate *Innocentii* VIII, relato ab iisdem editoribus Bull. Vat., praestat eam Lectoribus aperire, ejusdemque diplomatis verba subjicere, quae sunt hujusmodi [4]. *Ludovicus* XI. *Francorum Rex, dum in humanis ageret, pro implemento cujusdam voti, per cl. me. Carlottam Reginam Franciae ejus Conjugem, ut meritis, et intercessione* S. Petronillae *consequeretur, ut sperabat, liberationem charissimi in Christo Filii nostri Karoli Francorum Regis, illustris ipsorum Conjugum Nati, tunc* Delphini Viennen. *a*

1 In Historia Delphinatus T. I. p. 3.
2 T. III. p. 202.
3 pag. 129.
4 T. II. p. 259.

certa aegritudine corporali, qua detinebatur, emissi, et ob singularem devotionis affectum, quem Conjuges ipsi gerebant ad ipsam S. Petronillam, *Cappellam in ejusdem Sanctae honorem, et sub illius invocatione in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe dudum constructam, multipliciter reformari fecit, et quod in eadem Cappella erigerentur duae perpetuae Cappellaniae, et dotarentur sufficientibus redditibus pro duobus Presbyteris, per quos alternis hebdomadis, vel alias, prout invicem concordarent, una Missa, qualibet die super Altare ejusdem Sanctae Petronillae devote ibidem celebraretur, ordinavit*. Et sane Ludovicus XI. regnare orsus an. MCDLXI, et vita functus anno MCDLXXXIII, unum Karolum VIII. post se superstitem reliquit ex tribus Filiis, quos susceperat e Karola Filia Ludovici Sabaudiae Ducis, quum nullum ex prima Vxsore Margarita, Filia Jacobi I. Scotiae Regis habuisset. Aegritudinem autem, et votum, quae in diplomate memorantur, Bull. Vat. editores non ante annum MCDLXX. contigisse conjiciunt, quod Karolus; decedente Patre, quartumdecimum agebat annum, ac infra idem tempus, regiam Basilicae *S. Petronillae* instaurationem, et Sacerdotiorum institutionem referendam esse arbitrantur.

Neque vero ad haec tantum Karoli Regis progressa pietas est. Jussit idem praeterea, quotannis ibidem pro Parentis sui expiatione anniversarium celebrari, uti liquet ex Turrigio, qui ex quodam Archivi Vaticani MS. haec nobis tradidit [1]. *Cappellano Regis Franciae, vel* S. Petronillae *in Basilica nostra, debent quolibet anno die ultima Augusti, qua fit Anniversarium Regis Galliae, carolenos* 50. *monetae, scut.* 3. *baj.* 75. Hoc autem luculentius edisci-

1 p. 146.

mus e diplomate Clementis VIII, quo praeterea duo haec Sacerdotia Juris Patronatus regii declaravit, et Henrico IV, ejusque Successoribus asseruit, ubi haec occurrunt [1]. *Beneficiati dictae Basilicae teneantur celebrare, prout revera celebrant, singulis annis dicta die ultima mensis Augusti, Anniversarium in expiationem, et refrigerium animae dicti Ludovici Regis, et ea ratione duo Cappellani Sanctae* Petronillae *hujusmodi illis summam septem scutorum monetae pendant*. Quod etiamsi non aeque, ut ab initio, nostra hac aetate praestetur, quum S. Congregationis Concilii decreto plura coaluerint ex antiquis anniversariis, quae *reducta* appellantur, atque per majora jejunia celebrantur, nihilominus horum princeps adhuc est illud Ludovici xI. Galliarum Regis, pro cujus anima die xxx. Maji, vel alio die, si festum S. *Petronillae* transferendum sit, sollemni sacro absoluto, Deo O. M. supplicatur.

Sed, praeter ea, quae supra de Pipino memoravimus, longe antiquiorem Galliae Regum liberalitatem erga Basil. Vatic. ac forte in idem *Petronillae* Templum, fuisse constat ex Martyrologio Vat. quod haec memoriae assignavit. III. *Non. Dec.* [2] *Fiat sollempnis Missa de Spiritu Sancto, pro serenissimo Principe Dño Karolo Illustrissimo Rege Francorum, et pro Filio suo primogenito Karolo, et pro Serenissima Domina Iohanna Vxore ejus, pro eo quod misit huic Sacros. Basilice ducentos florenos, de quibus centum fuerunt emissi in Fabrica de mandato Dñi nostri Pape, et centum in helemosina, sub anno Dñi* M. *trecentesimo* LXVIIII. *mensis Martii die* XXI. Itaque nil mirum, Galliae Reges, quoties in Vrbe versati sunt, hoc Templum tam-

1 T. III. Bull. Vat. p. 202.   2 p. 171.

quam suum, peculiari quodam jure spectasse. Ita enim legimus in Diario Alexandri VI. apud Turrigium [1]. *Die* xvI. *Ianuarii. In mane Rex Franciae equitavit ad Basilicam S. Petri, ubi audita Missa in Cappella* S. Petronillae, *per unum e Cappellanis suis sine cantu celebrata, adscendit ad Palatium Papae ad Cameras novas pro eo paratas, ubi fecit prandium*. Id manifesto etiam liquet ex quodam Ludovici Galliarum, ac Neapolis Regis Christianissimi privilegio, Papiae dato, die xx. Augusti, anno MDiI. ex autographo Tabularii Vaticani descripto, apud eumdem Turrigium [2], ubi haec habentur. *Attento maxime, quod ipse Rex in Basilica S. Petri habet* Cappellam *a praedecessoribus suis Regibus Christianissimis fundatam sub vocabulo* S. Petronillae.

§. XV.

De Gallis illustribus ibidem sepultis.

Incensum Galliae Regum studium erga B. *Petronillam*, quamplures Gallorum nobilissimi Viri certatim imitari studuerunt, quos, quum in Vrbe e vivis decesserint, in ejusdem Templo tumulatos esse, scimus. Ac primum recensendum est *Sepulcrum nobilis cujusdam Galli*, ut docet lemma superpositum marmoreae tabulae sepulcrali, quae apud Dionysium aere delineata [3] occurrit. Turrigius ejusdem inscriptionem, quae modo longaevitate fere attrita, atque oblitterata est, ita retulit [4]. *Hic requiescit Corpus nobilis militis Ilicen. de Francia, qui obiit anno Domini* MCCCXCVI. *Ind.* iI. *die* vI. *mense Februarii*. Verumtamen Jac. Grimaldus [5] hujusmodi epigraphen in

1 pag. 149.
2 pag. 490.
3 Tab. LXVI. p. 168.
4 p. 432.
5 in lib. ms. Instrum.

hunc modum exscripsit. *Hic requiescit Corpus nobilis viri Ilebisebel e Franc..... anno Dom.* MCCCLXXXXIV. *Ind,* II. *mense Februarii*. Atque hanc ex Alpharani Codice fortasse exscripsit, qui tamen nobilem hunc militem *Ilebischel* appellat, quem primitus pone Innocentii VII. sepulcrum tumulatum fuisse narrat, hujusmodi verbis. *Accanto a questo sepolcro de Inocentio* VII, *al pavimento innante il grado dell'Altare, seguita quest'altro sepolcro con questa iscrizione in marmorea tabula quasi exoleta*. Atque Alpharani, et Grimaldi lectioni standum (saltem quod ad annum spectat) Indictio II. suadet. Quarta enim, non secunda anno MCCCXCVI. decurrebat.

Praeterea memorandi sunt duo Cardinales amplissimi, quos nonnulli Scriptores in hoc Templo tumulatos fuisse contendunt. Horum primus, si Onuphrio Panvinio [1] auscultamus, fuit *Riccardus Oliverius de Ango Normannus, Gallus, Archipresbyter S. Petri, Episcopus Portuensis creatus a Callixto* III. *anno* MCDLVI. *Obiit Sutri* XV. *Kal. Sept. anno* MCDLXX. *Corpus Romam translatum, sub Altari* S. Petronillae *sepultum est, ubi adhuc exstat haec inscriptio*

RICCARDVS EPISCOPVS PORTVENSIS
CARD. CONSTANTIENSIS NORMANDIA ORIVNDVS
HOC ALTARE VETVSTISSIMVM
NOVA FACIE ET DOTE NOVA
TESTAMENTO IVSSIT ORNARI
VBI IN PACE REQVIESCIT
MCCCCLX.

Et sane, si revera Card. Constantiensis sub Altari S. Petronillae anno MCDLXX. conditus fuisset, id tantum de

1 T. III. ms. fol. 78.

ejus Templo rotundo, intelligendum esset, ac numquam certe de aliis Altaribus, quae multo post intra Bas. Vat. ejus honori dicata fuerunt. Verum Panvinii sententia ceteris Scriptoribus adversatur.

Hanc eamdem inscriptionem proferunt Fratres Sammarthani [1], quin tamen innuerint, qualenam esset Altare ab eo dotatum, et restauratum. Ceterum Alpharanus, cui Ciacconius [2] subscripsit, de Altari SS. *Processi*, *et Martiniani* accipiendam esse, opinatus est. Ait enim post hujusce Altaris descriptionem [3]. *Riccardus Oliverii de Ango Normannus, Episcopus Portuensis, Card. Constantien, hujus Sacros. Bas. Archipresbyter dignissimus, nimia devotione illectus, e marmore pario pulcherrimo praedictum exolescens Oratorium exornavit, optimeque dotavit, et juxta sibi sepulcrum elegit, in quo denique repositus requiescit.* Quod quidem, verisimilius videtur ex eo, quod idem Pan-

1 in Galliae Christ. Sammarth. T. xI. p. 894.

2 T. iI. col. 995.

3 ms. num. 20. p. 22. Sotto quest'organo fu trasferito l' Altare, et Corpi de S. Processo et Martiniano erecto in quel loco pmo nella Croce della Chiesa vecchia da Pasquale PP. primo sepolti in quello loco detti Corpi Santi Mart. et de altri Martiri, et Pontefici, come dice Mallio fol. 9. restaurato già dalla bo. me. de Riccardo Card. Constantien. l'anno del Sig. 1470., come appare scritto attorno a d. Altare .... Era ancora in d. Cappella una memoria in tabula marmorea, quale ancora vi è un pezzo nel pavimento della Chiesa, dove fu scoperto novamente l'anno 1576. Il titulo è questo che segue

. . . . VS BASILICAE
. . . . . . CONSTANTIEN. QVI
. . . . . . OB SVAS VIRTVTES AC MERI
. . . . VENERANDOQVE SENATVI CARISSIMVS
. . . DE INSIGNI DE PATRIA ET ROMANAE ECCLESIAE
VIXIT ANNOS LXIII. M. VIII. D. I.
OBIIT ANNO SALVTIS
. (sic)
NOMEN RICCARDO PATRIA TOCA FVIT
DOCTIS PRESIDIVM SVBSIDIVMQ. BONIS

vinius alibi [1] sibi repugnans, Altare B. V. a Joto depictae, ubi organum senis columnis porphyreticis suffultum exstabat, ab eodem Riccardo Card. Constantiensi *centum annis ante restitutum*, eòque perperam B. *Petronillae* Corpus *ex ejus Sacello diruto translatum* fuisse scripsit. Nam Templum B. *Petronillae*, cujus exsuviae ad Altare S. Crucifixi translatae fuerunt, nonnisi sub Paullo III. solo aequatum fuisse, paullo infra demonstrabimus. Verum nullus hac de re superest dubitandi locus ex Grimaldi [2] testimonio, quem Turrigius [3] ita scriptum reliquisse tradidit. *Cujus Riccardi Corpus in Sacello Sanctorum Processi, et Martiniani in veteri Basilica sito, et postmodùm in remanentem partem translato conditum fuit, ut stemmata gentilitia in base Statuae Principis Apostolorum antiquae ex aere imaginis, et inscriptio Altari sculpta indicabant.* Quibus et illa addenda sunt, quae ex eodem Turrigio [4] depromsit Dionysius [5]. *Cappella SS. Processi, et Martiniani Mart. a Riccardo Episc. Portuensi Card. Constantien. Archipresbytero Basilicae ornata, ac dotata anno Dom.* MCCCCLXX. *cum onere, ut per duos Capellanos celebrentur singulis annis* 120. *Missae idest per quemlibet* 60. *Missae*.

Alter vero Cardinalis, quem minime dubitandum est, in B. *Petronillae* Templo humatum fuisse, etsi secus senserit Alpharanus [6], est *Iohannes de Villiers*, qui et *de la Grolaje*, seu *Lagrolasius* cognominatur, de quo ita Diarii fragmentum apud Turrigium [7], et Ciacconium [8]. *Die* VI. *Augusti* MCCCCXCIX. *Obiit Iohannes Tit. S. Sabinae Card. D. et delatus, et sepultus in Basilica S. Petri in* Capella S. Pe-

1 T. II. m. p. 138.
2 in Catalogo Archipresb. S. Petri.
3 de Sac. Troph. Rom. p. 151.
4 p. 348.
5 p. 108.
6 ms. p. 31.
7 p. 420. et 558.
8 T. III. col. 168.

tronillae *die* vII. *comitatus a Clero S. Petri, Fratribus Minervae, Aracaeli, S. Augustini, de Populo, Carmelitanis, et S. Marcelli, factis vigiliis ab* xI. *Cardinalibus, inter quos fuerunt Caesarinus, Borgia, Grimanus, et Senensis*. Sepulcralis inscriptio, quam Dionysius [1] *jamdudum intercidisse, aut alicubi latere* affirmavit, in Cryptis Vaticanis in Cubiculo, quod vocant, Agnesinae Columnae, cujus ellogium supra [2] retulimus, adhuc servatur, nosque a mendis expurgatam, quibus eam Turrigius [3], Ciacconius [4], Fratres Sammarthani [5], Bottarius [6], atque idem Dionysius [7] ex primorum exemplari edidere, heic ad Archetypi marmoris fidem rursus accurate exhibemus.

IO. LAGROLASIO . GALLO . S.
DIONYSII . ABBATI . EP̄O LV̄BA
RIEN. PRAES. CAR. SAC̄TISS.
CAR. ALEXAN. ET . SENEN . ET . G....
PERERI' . ROTAE . AVDITOR. EXECV.....
EX TEST. P. AN. D. MD. AETATIS . S. LX\....

1 p. 169.

2 p. 716. *V. Alveri Roma in ogni Stato P.* iI. *p.* 201. *Torrigio nelle Grotte Vat. p.* 431. *et Dionysium pag.* 165. *apud quos pompa, qua fuit elata, ex Diario mss. ita describitur*. Die 29. Aprilis 1578. fuit funus Illustriss. D. Agnesinae Columnae Vxoris D. Honorati Caetani defunctae, ab ejus domo, quae in via sacra sita est, usque ad Bas. S. Petri, circuendo per Plateam S. Iacobi in Burgo. Comitatae fuerunt quamplurimae Societatas Laicorum, et Ordines Religiosorum, Pueri Orphanorum, et S. Spiritus detulerunt funalia 150. et ultra, praeter Candelabra magna, quae per bajulos Sodalitatum ferebantur. Feretrum, ubi Corpus defunctae jacebat, deferebatur per Viros nobiles, ejus familiares, lugubri veste indutos; sequebatur D. Honoratus Cajetanus ejus Vir inter Archiep. Rossanensem a sinistris, et Auditorem Camerae a dextris, et post eum Filii ejus, et Nepotes a dextris Praelatorum, quos officii caussa deduxerunt. Tum multi Cubicularii S. D. N. intimi, ac magna Civium, et Curialium frequentia, et fuit pompa insignis.

3 p. 430.

4 T. iiI. col. 170.

5 T. vII. col. 406.

6 T. iiI. Vitar. Pictor. Vasari p. 202.

7 loc. cit.

Heic tute vides *Titulum S. Sabinae* in Aventino, qui in allato Diarii fragmento, et in aliis exemplaribus ὁλογραμμάτως occurrit, notis dumtaxat initialibus praescriptum fuisse. Quod fortasse in caussa fuit, ut erroris vitandi gratia in apographo Alpharani plane deesset, qui Cardinales enumerans in Basilica Vaticana tumulatos ait [1]. *Ioh. Lagrolasius Gallus Abbas S. Dion. Ep. Lumbarien. Presb. Card. tt.* . . . . . Hujusce Cardinalis marmorea sepulcralis effigies anaglypho opere exsculpta, superstes etiamnum visitur in Cryptis Vaticanis, quam laudatus Dionysius [2] aere expressam, erudito commentario illustravit.

§. XVI.

De celeberrimo Pietatis simulacro a Bonarota insculpto, primo ibidem collocato.

Sed, vel dum Cardinali Lagrolasio vita suppeditabat, ejus nomen, ac laudes in Aede S. *Petronillae* quodammodo resonabant, quam praeclaro ornamento auxit, atque illustravit. Ibi enim, insigne simulacrum Deiparae, exsangue, ac cessans Filii Corpus e Cruce depositum, in sinu, gremioque gestantis, vulgo *Pietatis* nuncupatum, collocavit, quod aere suo, a Michaele Angelo Bonarota, nondum quintum aetatis suae lustrum praetergresso, elegantissime sculpendum curavit.

Id Ciacconius, praeter Turrigium [3], testatum reliquit, ubi Cardinales ab Alexandro VI. renunciatos recensens, haec de Cardinali Lagrolasio memoriae tradidit [4]. *Romae agens, curavit fabricari a Michaele Angelo Bonarota adhuc adolescente, excellentissimam Iconem marmo-*

1 ms. p. 31. Vn Epitaffio in una lapide grande, quale era innante la porta del Cancello dell' Altar maggiore, adesso posto non molto discosto da quel luogo.

2 p. 168.

3 p. 145. 531.

4 T. III. col. 168.

ream D. Mariae, et Filii mortui inter brachia materna jacentis, quam posuit in Cappella regia Franciae, *in D. Petri ad Vaticanum Templo, deinde ob novam fabricam aliò translatam, nunc in Canonicorum choro jacet .... Post obitum in Vaticano, in* Cappella Regum Franciae, *quam picturis, aliisque ornamentis mirum in modum ornaverat, sepultus est*. Quapropter haud injuria Petrus Mariette [1] Ascanium Condivium [2], et Georgium Vasarium [3] incusat, qui Cardinalem Rotomagensem, de eximio hoc simulacro insculpendo, Bonarotae auctorem fuisse, cum Bonannio [4] adfirmarunt. Cardinalis enim *d'Amboise*, *Roanus* vulgo nuncupatus, nonnisi anno MCDXCVIII. inter Patres Cardinales adlectus fuit.

Verum quis credat, non modo Turrigium, ac Bonannium, praeter allatos Scriptores, sed etiam Dominicum Mar. Mannium [5], cui Mariette censura minime incomperta esse debuisset, Benedicti Varchii sententiam in Mich. Ang. Bonarotae Epicedio [6] sequutum esse, qui *Gulielmo Brissonetto Cardinali Roano*, admirandum Bonarotae opus nos debere pronunciavit? Atqui, praeterquamquod nunquam Brissonettus *Roanus* appellatus fuit, ut recte animadvertit Joh. Bottarius [7], dum Bonarota hoc simulacrum sculperet, alia certe cogitare debuit Brissonettus. Quum enim praecipuus Pisani Conciliabuli auctor fuisset, Julius II. anno MDXI. die XXIV. Octobris, eum purpurae insignibus spoliari jussit, quae tantum a Leone X. fuerunt ei restituta.

Quid vero de Gorio [8] dicam, qui dum Bonarotae

1 in Vita Bonarotae ab Ascan. Condivio descripta p. 69. edit. II. Flor.
2 ibid. p. 20.
3 p. 201. T. III. edit. Bottar. ap. Palearinos.
4 p. 115.
5 In observ. ad vitam Condiv. p. 83.
6 p. 24.
7 T. III. ed Palear. p. 201.
8 ad calcem vitae Condiv. p. 128.

vitam a Vasario conscriptam in epitomen redegit, omnia ejusdem errata videtur in se recepisse? Non solum enim Bonarotae sculpturam *Cardinali Roano* deberi, ut fecit etiam Anonymus Scriptor vitarum celebriorum Architectorum [1], sed etiam *in Cella B. M. a febribus in Templo Martis* primitus fuisse collocatam, cum eodem Vasario [2] affirmavit, contra quam fecerat alter aequalis vitae Bonarotae scriptor, Condivius, qui etsi *Pietatem*, uti vidimus, Roano Cardinali tribuit, tamen eam recte [3] *in Aede B. Petronillae, Cappella Regis Franciae*, statim ab initio sitam fuisse scripsit. Ceterum alter hic Vasarii, et Gorii error, ex eo fortasse manare potuit, quod postquam *S. Petronillae* aedes solo dejecta fuit, *Pietatis* simulacrum in Templum *D. N. M. Febrifugiae* translatum fuit, uti loco suo videbimus.

§. XVII.

De aliis Viris illustribus ibidem sepultis.

Neque vero putes, velim, Gallos dumtaxat sepulcri honorem in Aede S. *Petronillae* habuisse. Ibi enim alios quoque illustres Viros tumulatos fuisse scimus. Hujus rei testem habemus Antonium Petri in *Diario Romano* apud Muratorium [4], ubi narrat, Dominicum Sabbam de Muscianis, qui obiit mense Novembri anno MCCCCIV, *sepultum fuisse in S. Petronilla de nocte*. Hujus mentio fit in Necrologio Vat., ubi vel ipsa ejus obitus dies adnotatur. Haec enim habet [5]. *Prid. Id. Novembr. obiit vener. Vir Dñus* Sabbas de Musçianis *frater, et Concanonicus noster, qui reliquit nostre Basilice omnes distributiones suas per*

1 p. 218. 2 T. III. edit. Pal. p. 202. 4 T. XXIV. rer. Ital. col. 975.
3 in edit. II. Flor. p. XX. 5 pag. 160.

eum lucratas in eadem Basilica in .... amsis prox. praeteritis, vel circa, et certas distributiones grossorum adscendentes ad summam, et quantitatem ... florenor. auri, vel circa. Item certas expensas per eum factas in domo cum signo peticti de Portica S. Petri, et Parrochie S. Marie in Transpadine, in qua idem Dñs Sabbas *habitabat, ac etiam certos cofanos, et alias suas cassas donatas per executores pred. Dñi* Sabbe *ad usum* Sacristie *Bas. prelibate, adscendentes ad summam, et quantitatem cum prefatis expensis viginti ducator. auri vel circa.* Item in eodem Antonii Petri Diario memoriae proditum est [3], quod *mensis Septembris die Mercurii* 23. *hora Tertiarum, vel quasi, an.* 1405. *fuit interfectus Capitaneus, qui dicebatur* Mostarda, *et interfecit eum, uti dicebatur, Antonius de Vrsinis, vel familiares sui. Item sepultus fuit in* Capella S. Petronillae, *me Antonio vidente.*

Praeterea constat, ibidem quievisse *Franciscum de Suno*, Bas. Vat. Beneficiarium, cujus epitaphium, quod parenti optimo (uxoratus enim antea fuerat, ut Epiphanium notasse scribit Grimaldus [4]) Filius adolescens posuit, prostat apud eumdem Grimaldum [5], nosque ex Bull. Vat. editoribus [6] heic exhibemus, qui ita habent. *Epitaphium Francisci de Suno Beneficiati S. Petri, sepulti olim in Templo S. Petronillae, juxta Basilicam, sed lapis sepulcralis adhibitus fuit postea in sternendo pavimento.*

Hic enim post Templi dejectionem intra Bas. Vat. sepultus fuit, uti constat ex Alpharano [1], cujus verba a Dionysio [2] relata, sunt hujusmodi. *In novae Basilicae parietem, qui novam Basilicam a vetere intersecat, fuit translatum Sacellum cum Altare S. Luciae Virginis, ex Ecclesiae ruinis avulsum, intra quod idem Virginis brachium, sicuti*

1 ap. Murat. l. c. p. 977. 2 fol. 118. 3 in l. Descend. Canonic. p. 300. 4 T. 1 I. p. 174.

a Beato Gregorio in prima consecratione positum fuerat, hac nova consecratione, cum eadem theca honorifice collocatum est; et ante dictum Altare S. Luciae sepultus fuit in pavimento Basilicae, sicuti marmore cernitur, Franciscus de Suno *Literarum Apostolicarum Scriptor*. Inscriptio haec praeferebat.

D. O. M.
FRANCISCHINO DE SENO
LITTERARVM APOSTOLICARVM SCRIPTORI
ET REGESTI SACRI PALATII MAGISTRO
TERTIVM RESCRIBENDARIO
PRVDENTIA MODESTIA FIDEQVE CLARO
PAVLVS FILIVS IMPVBES
APOSTOLICVS SCRIPTOR
PATRI PIENTISSIMO POSVIT
VIXIT ANN. LIII. MEN. X. DIES VII.
OBIIT XIV. OCTOBRIS ANNO SAL. MCDLXXXIX.

Atque hoc loco transcribere non gravabor, quae occurrunt in libro Benefactorum [3], ubi haec habentur. V. *Idus Mar. an. Dñi* 1482. *Obiit Ven. Vir* Bonus Homo *Conbeneficiatus, qui super domo sua posita in Parochia S. Simeonis de regione Pontis, ducatos quinque de Carlis perpetuo reliquit pro anniversario suo quolibet anno in una die Veneris, Mensis Martii in* Cappella S. Petronillae *celebrando, dividendos inter dominos Canonicos, Beneficiatos, et Clericos prefate Basilice*.

1 cap. VIII. num. 103. *et in MSS. italica*. Seguita la Cappella de S. Lucia V. e M. quale fu trasferita dalle ruine della parte della Chiesa, ma nel transverso di detta Chiesa, et consecrato con le medesime reliquie Il braccio di S. Lucia l'anno 1544. Questa Cappella anticamente era dotata de Cappellano, e sotto questo Altare è il braccio di S. Lucia, quale PP. Gregorio Primo haveva riposto; innanzi a questo Altare fu sepolto un Scrittore Apostolico soprascrizione nel marmo.

2 p. 80.

3 pag. 35.

§. XVII.

De Templi cultu, et privilegiis.

Ex superiorum rerum appositione, satis, opinor, perspicitur, quanto in honore, omni aetate habitum sit hoc Templum, ubi vel ab antiquissimis temporibus duas quotidie lampades colluxisse, memoriae tradidit P. Mallius [1], et ex eo Panvinius [2]. Quotannis vero, insigni apparatu, ac pompa festum *B. Petronillae*, postrema die Maii celebratum fuisse liquet, ex vetustissimo Martyrologio Archivi S. Petri, ubi legitur apud Turrigium [3]. *Die ultima Maii*, *S.* Petronillae *Virginis*. *Habemus Corpus, et magnam Cappellam dotatam*.

Verum prae ceteris, Populi frequentiam, ad *Petronillae* opem in ejus Templo implorandam, luculenter demonstrat Innocentii II. diploma datum apud Lateranum x. Kal. Junii anno MCXXXVIII [4], quo Canonicis Bas. Vat. oblationum partem dimidiam largitus est, quae Altari S. *Petronillae* fiebant, ex veteri Christianorum instituto, cujus exempla quamplurima proferunt Phaebejus [5], et Morettus [6]. Praeterea ad ejusdem Templi cultum *Mansionarios* etiam destinatos fuisse novimus ex Instrumento anni MCXXV. sub Honorio II, in quo legimus apud Turrigium [7]. *Iohannes Mansionarius S. Petronillae*.

Quod vero scripsit Barpth. Plazza [8], Templum Sanctae *Petronillae* Canonicis Vaticanae Basilicae in Chori usum olim venisse, id a nemine memoriae proditum es-

1 in Append. xI. Ord. Rom. T. iI. Mus. Ital. p. 161. et in T. vI. Iunii p. 89.

2 de lampadibus, et luminariis Bas. Vat. c. xxxI. fol. 40. ms.

3 p. 149.

4 T. I. Bull. Vat. p. 46.

5 de anno Iubilaei p. 90.

6 de Presbyterio P. I. sect. IV.

7 p. 149.

8 in Eph. Vat. p. 316.

se comperi, ac proinde falsum omnino esse puto. Sed hoc Plazzae erratum ex eo fortasse ortum est, quod ad aram *SS. Simonis, et Iudae*, ubi prius Templum exstiterat S. *Petronillae*, Paullo V. imperante, Subseliarium temporarium erectum fuerit. Cujus quidem rei quum testem habeam Jac. Grimaldum, non alienum esse arbitror ejusdem locum lectoribus heic subjicere [1].

§. XVIII.

De Templi eversione, ceterisque S. Petronillae translationibus.

Quum novae Basilicae ambitus porrigi latius, atque explicari debuisset, ac S. *Petronillae* Templum designatae Cellae transversae molitioni, impedimento esset, Paulli tertii mandato, dejectum fuit, postea quam octo ferme seculorum intervallo steterat incolume, contra omnivori Temporis edacitatem quam longissime duraturum.

1 De Choro temporaneo in nova Basil. A die XXVIII. Septembris 1605. usque ad 15. Novembris 1609. horae Canonicae sunt in Choro Sixti III. celebratae, festis diebus aliquando ad apsidam vergentem ad occasum. In veteri Basilica, ultima verbi Dei Concio fuit ad Altare Apostolorum Simonis, et Iudae in eorum festo 1605, et Dominica prima Adventus dicti anni prima concio ad apsidam vergentem ad meridiem per quendam Verbi Dei Praedicatorem, Ordinis Sancti Dominici. In quadragesima in dicta Apsida ad meridiem, et in alia ad occasum habitae conciones; Majores Missae diebus festis dictis in locis. *Temporaneus Chorus ad Aram SS. Simonis, et Iudae dispositus est* tabulis ante clusus, et desuper tela ad arcenda frigora opertus ex Caroli Maderni, rei ecclesiasticae ignari inventione. At SS. D. N. Paulus Quintus Pont. Max. tamquam benignissimus Pater, die lunae 27. Iulii 1609. venit ad Basilicam, et Chorum temporaneum vidit, iussitque Basilicanorum salute non tela, sed optimo laqueare operiri, fronte lignea cum suis ostiis picturatis claudi, tabulato sterni, subsellia Sixti III. collocari, et quae ibi necessaria forent exequi mandavit, sicque optimi Principis clementia factum fuit. A die XV. Novembris 1609. usque ad 20. Decembris ejusdem anni in Sacrario divina officia peracta sunt, praeterquam diebus festis. Dominica 4. Adventus 1609. 20. Xmbris primae horae Matutinales in d. Choro temporaneo, ibique postea div. rite sunt celebrata, et commode.

Totum igitur, ut Alpharani [1] verbis utar, B. Petronillae *Templum fuit solo aequatum, atque intra novam Bas. Vat. inclusum, totumque fornicibus pavimentum novae Bas. sustinentibus concameratum, et pro fidelium sepulcris accomodatum, sed in sepulcro in loco dicti Sacelli exstructo, ac concamerato multa ossa Christianorum ex pluribus loculis veteris Bas. et praecipue ea, quae fuerunt eruta ex Oratorio Sanctorum Processi, et Martiniani, et Eccl. Ambrosii, et Sanctorum Sosii, et Apollinaris, quae circa Basilicam ad Aquilonem olim erant, ut supra ostendimus.*

Quo quidem tempore, Corpus ejusdem Virginis, ut Grimaldus [2] testatur, in alterum Templum ei contiguum, quod in *Sacrarii* usum deinde conversum fuit, delatum, ac sub Altari reconditum fuit. Hinc autem amotum, anno MDLXXIV, Gregorii XIII. jussu, ut celebriori exstaret loco, non *sub Organo*, ut praepostere scripsit Panvinius [3], ab Alpharano [4] emendatus, sed contra anterioris Basilicae partem, sub ara Crucifixi, quemadmodum docet diploma Clementis VII [5], et cum eo Grimaldus [6],

1 ms. p. 61. In questo Altare del Crucifisso l'anno 1574. fu depositato il Corpo de S. Petronilla figlia di S. Pietro in pilo de marmo dentro foderato de piombo, per ordine di Sua Beatitudine Gregorio XIII, essendo stato longo tempo in Sacristia dopo la ruina della Chiesa il pilo de marmore con quel titulo antico *S. Petronillae dulcissimae Filiae*. Fu posto presso al Sagramento nel medesimo pavimento nel pred. anno, quando si restaurava. Il Capo di d. S. Petronilla si conserva sopra la Cappella d'Innocenzo VIII. con le altre reliquie devotissime. A man destra, et sinistra di detto Altare del Crocefisso son li sepolcri di doi Architetti della Fabrica nuova di S. Pietro. *et apud Bonannium pag.* 33.

2 in lib. Instr. fol. 47.

3 T. II. ms. p. 158.

4 ms. p. 27.

5 T. III. Bull. Vat. p. 202.

6 loc. cit. fol. 49. *atque in Catalogo reliquiarum*. Sotto Paolo III. fu demolito il detto Tempio per la costruzione della nuova Basilica, per cui fu riposto il d. preziosissimo Corpo nella Sagrestia, dove stette, sino al tempo di Gregorio XIII. e l'anno 1574. per comando del d. Pontefice fu trasportato nell'altare del SS. Crocefisso della vecchia Basilica. In quella occasione fu separato il Capo dal Corpo, perchè si esponesse alla pubblica venerazione. Il d. Capo fu rac-

Vgonius [1], Severanus [2], et Ciampinius, repositum fuit, postquam ex ejus Corpore Caput avvulsum fuit, ut separatim una cum aliis Bas. reliquiis publico cultui prostaret. Idque usque ab anno MDL. statutum fuisse constat ex iis, quae scripsit Joh. Bapt. Paulianus [3]. *In medio postmodum novae Bas. construendae in Cella quadam Apostolorum Corpora, cum parte Corporis B. Petronellae, et Sanctae Crucis*. Sed ipsum Alpharanum hac de re disserentem praestat audire. *Ex adverso*, inquit [4], *hujus Altaris* (S. Martialis) *in facie alterius parastatis dextrae ejusdem minoris fornicis ad meridiem, fuit Altare* [5] *antiquum, nomine ignotum, sed inter hoc, et supradictum S. Martialis Altare, nostris temporibus, in absidula intra parastatam novae Bas. hoc loco fundatam, fuit erectum sepulcrum marmoreum eximium deauratum* [6] *cum statua aenea Paulli* III. *P. O. M.*

chiuso a spese de' pii Fedeli in una Testa, e Busto in rilievo, disegno, e lavoro di Antonio Gentile Faentino, come ivi si legge

OPVS . ANT. GENTILIS. FAENTINI
1589.

Li 10. Gennaro dell'anno 1606. essendo Pontefice Paolo V. fu rimosso, e trasportato con solenne Processione nel nuovo Tempio, e indi collocato nell' Altare dedicato alla medesima Vergine, dove presentemente si venera. L'anno 1643. il Canonico Paolo Bizoni fece fare la base a detto Busto, aggiungendovi altre reliquie della medesima Vergine, e vi è questa Iscrizione

S. PETRONILLAE VIRG. CAPIT. HIC . INCLVSO
BASEM . ARGENTEAM . EX . SVO . LEGATO . ADIVNXIT
PAVLVS . BIZONVS . ROM. OLIM . CANONICOR. DECANVS
PARTEM . FEMORIS . EIVSDEM VIRG. CONTINENTEM
ANNO DNI M. DC. XLIII.

1 p. 30. 2 p. 136.
3 de Iubileo, et Indulgentiis libri III. Romae 1550. 8. p. 233.
4 p. 63. 5 num. 52.
6 num. 53. Item in tempo de Pio V. l'anno 1569. fu cavato dentro la Cappella di S. Martiale antica, dove è adesso il sepolcro di Paolo III..... A dì prime di Sett. l'anno 1574. fu trasferito nella Chiesa nuova un Sepolcro elegantissimo deaurato appresso l'Altar magg. fatto fare dal Card. Alessandro Farnese suo Nepote con questo titolo

PAVLO III. FARNESIO PONT. OPT. MAX.

ab Alexandro Farnesio Romano Episc. Tusculano, postea Hostiensi, S. R. E. Vicecancellario, et hujus Basilicae Archipresbytero ejus Nepote, intra quod in nobilissima concha, ex nigro marmore pretiosissima, ejus Corpus positum fuit, ut supra retulimus. In medium vero hujus minoris navis ad parietem noviter erectum a dicto Paullo III, *qui per transversum intersecat hanc navem, qui paries est inter* XI. *et* XII. *columnarum ordinem, fuit translatum Altare* [1] *cum Corpore B. Petronillae Virginis de priori loco, sive ejus Templo, et super Altare fuit collocatus Crucifixus magnus ligneus, qui erat in Altari SS. Apostolorum Simonis, et Iudae* [2]. *Sed*

L'organo è grandissimo, e bellissimo tutto messo ad oro, et figure, con gli Armi d'Aless. vI. vel Callisto III. Credo sia stato fatto in tempo di d. Pontefici. *De Organorum Artifice haec tradit Necrologium Bas. Vat.* pag. 122. Prid. Kal. Sept. Obiit Magistar Paulus Herrici dicti Wenchen de Civitate Thorum Coloniens. Dioc. de Alamania, qui fabricavit, et composuit *argana nostra* pro salute anime sue, et parentum suorum, et in morte sua reliquit nostre Basilice ducentos florenos auri, ita quod fuit deliberatum per Capitulum, quod pro ejus Anaiversario expendantur floreni auri quinque. que pecunia conversa fuit in reparatione domus *cum signo Organorum*, et domus cum signo montonis. *Altaris vero Consecratio ibidem ita memoratur*. pag. 41. De anno 1548. Consecratio Altaris Sanctorum Martirum *Processi et Martiniani sub Organis*, quorum Corpora in ipso sunt recondita, translata de primo antiquo Oratorio, propter disjectionem posterioris partis Basilice.

1 num. 54.

2 *In Necrologio Vat. p. 176. haec adnotata reperiuntur*. Idib. Xbr. Eodem die de anno M. D. LXXVI. consecratio Altaris ad honorem B. Mariae semper Virg. dicta de Pregnantibus, S. Johannis Baptistae, et S. Jacobi Mai. Apostoli positi juxta parietem novam, qui intersecat Basilicam veterem a nova in mediana navi Basilice, quod respicit e regione Portam Ravinianam cum Reliq. S. Sebastiani. Item Altaris ad honorem *B. Petronille Virg. filiae S. Petri*, S. Johannis Evangeliste, et S. Catarine Virg. et Mart. vocati SSmi Crucifixi in eod. pariete novo positi, sed in minore navi, quod e regione respicit portam Judicii, sub quo ejusd. *B. Petranille Virg.* corpus fuit positum, et Reliq. S. Cristofori. Item consecratio Altaris ad honorem S. Bonif. Mar. Sanctor. Angelorum, et S. Mathei Apostoli positi in angulo mediane Navis Basilice juxta Portam Ravinianam cum Reliq. ejusd. S. Bonifacii Martyris, et aliorum. Item Altaris mortuorum ad honorem Sanctorum Philippi, et Jacobi Apostolorum, et S. Hieronimi Presbiteri et Doct. positi inter dictam Portam Ravinianam, et Argenteam cum Reliquiis SS. Innocentii Thebeor. et xI. Mill. Virg. Item consecratio Altaris ad honorem S. Bar-

juxta hoc Altare hinc, et inde fuere sepulti duo ingeniosissimi, atque praestantissimi novae fabricae hujus sacrosanctae Basilicae Architecti, videlicet Antonius Sangallus, et Laurentius Florentinus.

Demum, Paullo V. imperante, quum eaedem sacrae exsuviae in novum Templum adsportandae essent, III. Idus Januarii MDCVI. hoc etiam Altare excisum est. Quod utique Vignolium [1], aliosque in errorem induxit, ut crederent, sub Paullo V. antiquum *S. Petronillae* Templum in novae Bas. constructionem defecisse, etsi ab eo dumtaxat dejectum fuit Altare *SS. Crucifixi*, quô translatum S. Virginis Corpus fuerat post Templi demolitionem a Paullo III, minime vero a Julio II. mandatam, ut perperam affirmarunt Bull. Vat. editores [2], Martinettus [3], et Chattardus [4]. Ac dehin submota Altaris tabula, quae lateritiae erat structurae, parva pila marmorea, duobus Angelis in facie ornata reperta est, in qua erat capsa plumbea cum inscriptione paullo post afferenda.

Quum autem rite coram testibus recognitum fuisset ejusdem S. Virginis Corpus XVIII. Kal. Februarii anno MDLXXIX, e veteri in novam Basilicam translatum est,

tolomei Apostoli, S. Herasmi Episcopi, et S. Venceslai Mar. Regis Boemior. positi in altero angulo medianae navis Basilice juxta Portam Romanam cum Reliq. SS. Valentini, Alexandri Confess. et Catharinae Virg. Item eodem die consecratio Altaris ad honorem Sanctor. Marci, et Lucae Evangelistar. et S. Ambrosii Episcopi, et Confess. positi in navi Sudarii juxta parietem versus Aquilonem *inter sepulchra Nicolai PP. V., et Pauli II.* cum Reliq. S. Severi Archiep. Raven., S. Sebastiani Mart. et aliorum Mar. quorum Altarium tria fuere translata e Sacellis propriis propter disjectionem posterioris partis Basilice, vid. S. Mariae de Pregnantibus, *S. Petronille Virg.* et S. Marci Evang. reliqua vero tria fuerunt execrata anno Domini M. D. LXXIV. ut elegantius extruerentur, sub quibus eaedem Reliq. foerunt recondite.

1 T. II. edit. Arastas. p. 124.

2 Tom. III. p. 202.

3 Pregi della Bas. Vat. l. II. p. 153.

4 Nuova descrizione del Vatic. T. I. pag. 76.

ac super aram Cellae in ea Templi parte, cui unus e IV. Tholis imminet a Bonarota exstructis, ad Solis occasum, dextera Basilicam ingredientibus collocatum. Deinde Card. Evangelista Pallottus marmoreae arcae, pontificalibus indumentis ornatus benedixit, et Canonicis adjuvantibus, sacra Lipsana clausit, supraque capsam cupressinam, inscriptionem laminae plumbeae insculptam ponendam curavit, quae mirum in modum sententiam nostram confirmat, a *Paullo* I. S. Virginis Corpus, in Templum translatum, Templum vero jampridem exstructum. Eam quoque refert Grimaldus, cujus verba mox dabimus. Ac denique idem Cardinalis pilam suo tegmine marmoreo cooperiri mandavit.

Hoc autem Altare sollemni ritu consecratum est XV. Kal. Octobris MDCXXVIII. a Iohanne Thoma Mallono Antistite Sabinicensi, nullis inibi (quod praecipuo S. Virginis honori datum est) adjunctis aliorum Martyrum reliquiis. Quod discimus a Raphaele Sindonio [1], qui in congerendis recentiorom temporum monumentis accuratus fuit, non ita in antiquioribus indagandis. *Petronillae* historiam admirabili sane arte, et exquisito colorum lenocinio expressit Franc. Barbieri, vulgo Guercinus nuncupatus, magni nominis Pictor, quae nunc Aedium Quirinalium aulam exornat. In ejus locum suffectum est opus vermiculatum ab Equite Christophoro accuratissime expressum, qui deinde, Clementis XI. jussu, ut tradit Furiettus [2], aliis etiam Altarium iconibus sublatis, novas vermiculato opere tabulas, quas nunc admiramur, discipulorum ope collata, superaddere incoepit.

Verum quum harum omnium translationum historiam

1 c. IX. p. 32. 2 de Musivis p. 108.

Grimaldus diligentissime persequutus sit, quippe qui testis oculatus, ac Tabellio rogatus iisdem interfuit, iccirco eamdem descriptam, et recognitam ex Codicem autographo Archivi Vaticani, ac nunquam antea editam subjicio, quam haud ingratam lectoribus futuram puto [1].

1 Quum igitur ob novam fabricam, Templum hoc solo aequatum fuisset, Corpus S. *Petronillae* delatum fuit in *Sacrarium*, et sub Altari reconditum. Quod ut celebriori castaret loco, Gregorius XIII. inde amoveri, et sub Ara SS. Crucifixi, e conspectu anterioris Portae Basilicae, nunc S. Andreae, olim Iudicii nuncupatae, in pariete, qui novam a veteri Basilica dividit, decenter repositum est. Demum Illmus et Rmus D. Card. Cusentinus Archipresbyter, Pauli V. Pont. Max. jussu, sanctum ipsum Corpus in novum Templum illaturus, Aram SS. Crucifixi aperiri mandavit pro parandis, quae forent necessaria translationi. Harc ob rem anno millesimo sexcentesimo sexto, die Martis decima Ianuarii. In mei etc. pñtes etc. personaliter constituti RR. PP. Dñi Paulus Bizonus major Sacrista, Marcus Antonius de Magistris, et Paris Pallottus, Canonici memoratae Basilicae, qui apponentes manus elevationi superioris Mensae ejusdem Altaris, SSñi Crucifixi, de ordine, ut asseruerunt Illñi Cardinalis Archipresbyteri, dissectarunt ipsam aram, quae marmorea mensa longa erat palmis x. semis, lata palmis IIII. cum $\frac{3}{2}$ in cuius fronte hae litterae incisae sunt ✠ CORPVS . S. PETRONILLAE . VIRGINIS . FILIAE . S. PETRI . ✠ Summota dicta tabula post hymnum, *Veni Creator* etc. et orationem de Sancto Spiritu, ac S. Petronillae, iidem RR. DD. Paulus, et Marcus Antonius Can. stolis induti descenderunt intus Altare, quod undique lateritiae erat structurae, et aperuerunt parvum Pilum marmoreum, simili operculo tectum, longum palm. quinq. $\frac{3}{2}$ latum palmo uno $\frac{3}{2}$ alto palm. uno semis cum duobus Angelis in facie. Intus Pilum aderat capsa plumbea longa palmis duobus $\frac{3}{2}$ lata palm. uno uncia una, alta palmo uno $\frac{6}{5}$ cum literis in facie sculptis. CORPVS S. PETRONILLAE . VIRG. FILIAE . S. PETRI POS. TEMPORE DNI . GREGORII . PAPAE XIII. ANNO DNI. MDLXXIIII. Aperta capsa plumbea fuerunt ab omnibus circumstantibus, et testibus infrascriptis, meq. Notario etc. visa ossa sacri Corporis S. *Petronillae* Virginis, praeter Caput, quod in *Sacrario* dictae Basilicae argentea theca clusum asservatur. Quae ossa serico velo tegebantur. His actis eadem Capsa, et Pilum, nil penitus amoto, clausa fuerunt, ibique sub Altari relicta. Et posita arae mensa lapidea, hora jam noctis tertia, quilibet domum petiit. Super quibus etc.

pag. 42. Die Sabbati decima quarta Ianuarii, millesimo sexcentesimo sexto, hora noctis prima. In mei etc. pñtes, et personaliter constituti RR. PP. D. Marcus Antonius de Magistris, Marcellus Phylonardus, et Paris Pallottus Canonici Principis Apostolorum, de ordine Illmi Card. Archipresbyteri, mandarunt aperiri Altare SS. Crucifixi, situm in veteri Basilica, ut superius narratur. Quo facto RR. DD. Matheus Argenteus Beneficiatus, Andreas Amicus, Clericus Benef., et

Neque vero poenitet me, in persequenda, atque illustranda hujusce Templi rotundi descriptione paullo diutius, quam animo praeceperam, immoratum esse. Ne-

Ascanius Torrius, ad curam enimarum Parochus, stolis induti ex ipso Altare elevantes arcam plumbeam, cum Corpore S. Petronillae, incluserunt illam intus capsam cypressinam novam benedictam a d. Illmo Archipresb. dixeruntque Antiphonam. *Veni Sponsa Christi.* ℣. et Orationem. *Exaudi.* Et super thalamo, cum psalmis, et luminibus in Chorum Sixti detulerunt, ubi idem R. D. Marcus Antonius, quatuor in locis, sigillis Illmi Card. Archipresb. eandem Capsam munivit. Stetit ibi nocte ipsa, cantatis Vigiliis eb ipsismet Sacerdotibus nominatis in Instrum. S. Gregorii. In Aurora delatum fuit supra Altare, undo fuerat elevatum, et expositum populi devotioni, ut plenariam consequeretur Indulgentiam, publicatam per Vrbem. Super quibus etc.

pag. 42. Die decima quinta Ianuarii MDCVI. Dominica secunda post Epiph. Illmus et Rmus Dñus Dñs Evangelista Pallottus Card. Cusentinus Archipresbyter, cum interventu Rmi Antonii Victorii ejus Vicarii, totiusque Cleri ejusdem Basilicae, multorumque Praelatorum, populique maximo concursu, post solemnes Vesperas in Choro a Canonico hebdomedario decantatas, servatis caeremoniis, ut in aliis praenarratis translationibus dictum est, processionali pompa Corpus S. Petronillae Virg. ex Altare SS. Crucifixi, e veteri in novam Basilicam transtulit, ac super Aram Sacelli in capite Ecclesiae, cui unus ex quatuor tholis imminet ad occasum Solis, dextere ingrediendo Basilicam, collocavit, cum publicatione plenariae Indulgentiae per R. D. Marcellum Phylonardum Diaconum Canonicum in forma Ecclesiae consueta, solitis verbis. Canonici deferentes Sanctum Corpus hi fuerunt RR. DD.

Paulus Bizonus	Tiberius Mandosius
Marius Alterius	Angelus Cospius
Pomp. de Magistris	Evang. Corbonesius
Mar.A. de Magistris	Mer.Phylonard.Diac.
Tiber. Ricciardellus	Tiber. Cincius Subd.

Super quibus etc.

p. 43. Successive eadem, die decime quinta Januarii, Millesimo sexcentesimo sexto, hora noctis secunda. Illmus, et Rmus Dñus Dñus Evangelista Pallottus Card. Cusentinus, SSñctae Vetcñae Basil. Archipresbyter, cum interventu RR. DD. Canonicorum dictae Basilicae, Pauli Bizoni, Marci Antonii de Magistris, et Paridis Pallotti, accessit ad Secellum, ubi Sanctae Petronillae Corpus positum erat, et precibus Deo fusis induit amictum, stolam, et pluviale album, benedixitque e Pontificali marmoream arcam. Cantores dixerunt hymnum, *Iesu Corona Virginum*, Antiphonam *Veni Sponsa Christi* ℣. *Diffusa est gratia*, et Card. dixit orationem. Deinde aperiri jussit capsas sseri Cōrporis. Quo facto idem ex ossibus prefatae Sanctae Virginis accepit partem foemoris, ut perpetuo in eadem Basil. inter sacras reliquias asservaretur, illamque posuit in Vasculo argenteo, et velo cooperuit, deditque R. D. Paulo Bizono majori Sacristae pñti ibidem, qui eandem in *Sacrarium* deferret. Et his actis, clausit capsas cum sacro Corpore, munivitque sigillis, ut erent prius. Dein epponens menum capsae, adjuvantibus aliis Sacerdotibus, stolis indutis, Sanctae Petronillae Virginis Corpus intra marmoream arcam, in Dei nomine, inclusit. Posita fuit supra cypressinam capsam

fas enim duxi, quae de tam vetusto, tamque sumptuoso aedificio, scitu digniora erant, praetermittere; idque eo magis, quod quum esset structurae, plane ge-

hujusmodi inscriptio lamina plumbea sculpta, et populo inibi praesenti per me Notarium infrascriptum, alta voce lecta hujusmodi sub tenore:

CORPVS . S. PETRONILLAE . VIRGINIS . EX . COEMETERIO . FORIS PORTAM . APPIAM . MILLIARIO . AB . VRBE . SECVNDO . A . PAVLO PRIMO . SVMMO . PONTIFICE . IN . VETVS . TEMPLVM . ROTVNDVM PRIDEM . MAGNIFICE . EXTSRVCTVM . QVOD . VATICANAE . BASILICAE COHAEREBAT . INSIGNI . PROCESSIONIS . POMPA . DELATVM . QVO DEIN . OB . NOVAM . ECCLESIAE . STRVCTVRAM . EVERSO . IN SVPERSTITE . BASILICAE . PARTE . REPOSITVM . EA . COLLABENTE PAVLI . V. PONT. MAX. IVSSV . IN . NOVVM . TEMPLVM . HONORIFICE PERDVCTVM . HAC . SVB . ARA . RITV . SOLLEMNI . COLLOCAVIT EVANGELISTA . PALLOTTVS . TITVLI . S. LAVRENTII . IN . LVCINA CARDINALIS . CONSENTINVS . HVIVS . BASILICAE . ARCHIPRESBYTER ANNO . MDCVI. DIE . XV. IANVARII . DOMINICA . SECVNDA . POST EPIPHANIAM . EIVSDEM . PAVLI . PAPAE . V. ANNO . PRIMO

Tum idem Illmus Card. mandavit claudi Pilum suo tegmine marmoreo, in quo sculptae sunt super hujusmodi litterae. CORPVS . S. PETRONILLAE . VIRG. Clausa arca Card. expectavit, quousque caementarii ponerent tabulam Altaris, eaque posita, se contulit in Sacrarium cum prefatis Canonicis. Super quibus etc.

pag. 44. Eodem die XV. Januarii MDCVI. Deinde, et incontinenti in Sacrario, et Sacello Sancti Joannis Chrisostomi, ubi insigni armario custodiuntur Sacrae Reliquiae dictae Basilicae, coram d. Illmo Archip., ec RR. DD. Pomponio de Magistris Altarista, et Canonico, ac Marco Antonio, et Paride supranominatis, idem R. D. Paulus Bizonus partem foemoris S. Petronillae Virginis manibus propriis collocavit, intra quandem capsulam serico villoso rubro opertam, in qua servatur brachium Sancti Magni Archiepiscopi Tranensis Martyris, hùoi nota in membranis relicta. De Foemore Sanctae *Petronillae* Virginis recepi etc. ex Corpore ipsius, ut publice patet instrumento per acta Iacobi Grimaldi die xv. Jan. 1606. super quibus etc.

p. 74. Elevatio Reliquiarum ex sigillo Altaris Sanctae Petronillae.

Eadem die xxv. Januarii MDCVI. hora noctis 4. Deinde, et Incontinenti R. D. Paullus Bizonus praedictus cum interventu RR. DD. Canonicorum Pomponii de Magistris, Aloysii Raynaldusii, Joannis Baptistae Bandini, Marcelli Phyloaardi, et Paridis Pallotti, aperiri fecit sigillum in medio Mensae marmoreae Altaris S. Petronillae Virginis, et accepit inde vasculum plumbeum cum litteris in bambacino scriptis. Altare SSmi Crucifixi, S. Sebastiani, S. Christophori, et S. Jeronymi. Quod vasculum cum reliquiis posuit in pollubro argenteo, et operuit velo serico, quod ferebat R. D. Ascanius Tonius Parochus ad curam animarum in dicta Basilica. Super quibus ec.

minae alteri *D. N. Mariae Febrifugiae* Templo, quod ei continens erat, ac situm in eodem Circo Neroniano prope Obeliscum, si de eo tacuissem, reclamare quodammodo, et ex communi diuturnae famae possessione dejici sese, ac deturbari, jure quodam suo conqueri posse, mihi visum esset. Quare ejus etiam perennitati consulendum fuit, vindicandumque ex oblivionis tenebris, una cum iis, quae ad aliud Templum pertinent, cum quo, tot seculorum spatio, Indigenarum, atque Advenarum pietati, et admirationi propositum fuit.

Praeterea haec ipsa argumenta, quae Templum *S. Petronillae* nusquam *Apollini* dicatum fuisse evincunt, probant etiam, Templum *B. Mariae a febribus Marti* sacrum esse minime potuisse. Verum priusquam idipsum luculentius confirmetur, ac de altero hoc Templo sermonem instituam, de *duplici Aditu* Templi *S. Petronillae*, quorum unus in *Basilicam Vaticanam*, alter ad *Templum S. Mariae a febribus* transmittebat, nonnulla praefanda mihi esse intelligo. Quae quidem disquisitio multo operosior est, quam cuiquam, prima, ut ajunt, fronte videri fortasse possit, quaeque si feliciter, uti confidimus, vertet, aditum profecto nobis etiam, viamque munibit, ad veram inoffenso pede assequendam originem, nomenque *Templi D. Mariae a febribus* detegendum.



CAPVT IIII.

De aditu Templi S. Petronillae ad Bas. Vat.

Atque ut a priore exordiamur, hic sese exhibet ingredientibus e navi transversa per Portam, quae in medio ejus muro meridionali est, et intrantibus in locum oblongum c, quod proximi aedificii *S. Petronillae* vestibulum videri possit. Totum illud vero spatium occupabat, quod inter Templum *S. Petronillae*, parietesque Basilicae Vaticanae navim transversam in austrum claudentes, procurrebat.

Heic autem fuisse *Basilicam S. Andreae Apostolo* a *Symmacho* dicatam, omnes ferme scriptores tradiderunt, quos, uti in aliis multis, a vero quam longissime abesse, demonstrare aggrediemur. Quod antequam facimus, eorum sententiae recitandae sunt, atque in medium afferendae.

§. I.

Num Basilica S. Andreae a Symmacho erecta ibidem sit statuenda?

Ac primo P. Mallium ajunt, duobus in locis de Templo a *Symmacho* ibidem exstructo verba fecisse. Scripsit enim [1]. *Symmachus Papa fecit Basilicam S. Andreae Apostoli ad S. Petrum*. Ac circa finem cap. 11. [2]. *Infra Palatium Neronis est* Templum Apollinis, *quod nunc vocatur* S. Petronillae, *in quo est reconditum Corpus ejusdem Virginis, ante quod est* Basilica S. Angeli, *quae vocatur* Vaticanum, *mirifico mosibo laqueatum, auro, et vitro. Ideo vero dicitur* Vaticanum, *quia Vates, idest Sacerdotes antiquitus cane-*

1 T. VI. Junii n. 42. p. 41. 2 ibid. num. 25. p. 40.

bant ibi sua officia ante Templum Apollinis, *et ideo tota illa pars dextra Basilicae* B. Petronillae, *qua itur per Porticum Pontificum, et usque ad Portam Argenteam, vocabant* Vaticanum. *Ibique est aliud Templum, quod fuit* Vestiarium Neronis, *quod modo vocatur* S. Andreas. Haec Mallius: quorum quidem magnam partem ex eo delibavit Anonymus de *Mirabilibus Romae*, qui fere iisdem verbis eamdem rem ita narravit [1]. *Infra Palatium Neronianum est Templum* Apollinis, *quod dicitur* S. Petronilla, *in Basilica S. Petri*, ante *quod est Basilica, quae vocatur* Vaticanum, *quia Vates, idest Sacerdotes canebant ibi sua officia ante Templum* Apollinis, *ibique* aliud Templum, *quod fuit* Aerarium Neronis, *ubi nunc est* Ecclesia S. Andreae.

A Mallio, et Anonymo dissentire videtur Maph. Vegius, qui *Vestiarium Neronis* potius agnoscendum putavit, ubi ab iis *Basilica*, quae vocatur *Vaticanum*, designata fuit, etsi deinceps hujusmodi appellationem non probat. Ait enim [2]. *Proinde, nec alium locum huic contiguum*, (nimirum Templo S. Petronillae) *ubi est* Altare S. Andreae *a Symmacho exstructum, magnae semper apud omnes devotionis, et in quo Summos Pontifices consecrari solitos fuisse supra diximus, recte credendum est*, Vestiarium Neronis *exstitisse. Ceterum quia totus locus ipse, qui usque ad Altare S. Michaelis vetustum undique protenditur, Vestibulum fuit* Templum Apollinis, *quod* S. Petronillae *nomen accepit, credibilius videtur a Vestibulo*, Vestiarium *appellatum esse*. Meminit pari modo ejusdem loci, quod *Templum* vocat, Panvinius, qui haec ait [3]. *A dextro vero latere Templa S. Petronillae, ubi ejus Corpus diu quievit*, S. Andreae *a Symmacho Papa factum, ornamentis, et red-*

1 p. 29. in Diar. Italico. 2 lib. IV. n. 127. 3 de vII. Eccl. p. 47.

ditibus auctum, S. Michaelis Archangeli, *et* S. Mariae de Febre, *in quo nunc Canonicorum Sacrarium est*. Idemque alibi [1]. *Paullo ante Templum* S. Petronillae, *et illi contiguum fuit Templum* S. Andreae *a Symmacho Papa factum, magnae semper apud omnes devotionis, in quo Romanos Pontifices sollemnia quaedam in sua Coronatione, vel Consecratione celebrare consuevisse, infra ostendam*. Quae quidem Alpharanus pressius exponit in Codice Albano, ubi ait [2]. *Vestibulum Templi Apollinis, postea Eccl. S. Andreae*. Ac rursus. *A Basilicae parietibus, quae sunt in transversa navi ad meridiem, usque ad* S. Petronillae *Templum, fuit* S. Andreae *Apostoli Ecclesia, quam Symmachus Papa eleganter exornaverat, in qua Romani Pontifices sollemnia quaedam in sua coronatione, et consecratione celebrare consueverant. Hunc locum fuisse* Vestibulum Templi Apollinis, *quod quidem Templum postea S.* Petronillae *nomen accepit, Maph. Vegius ostendit, sed Petrus Mallius dicit fuisse* Vestiarium Neronis *mirifico musivo laqueatum, sed melius quadrare videtur, fuisse* Vestibulum Templi Apollinis *in medio Circi exstructum, ut tunc a Gentilibus fieri solebat. In hujus igitur* Vestibuli *medio erat Altare S.* Andreae *a Symmacho erectum, sub quo dicti S.* Andreae, *et S.* Lucae *Brachia Gregorius M. Constantinopoli translata, magna veneratione recondidit. Totus hic locus oblongus fuit longitudinis palm.* LXXVIII, *ad mensuram latitudinis transversae partis Basilicae*.

Ex his manifesto liquet, quam a vero aberraverint, non minus Mallius, Anonymus, et Vegius, quam Alpharanus, quum nemo non videat, neque *Vestiarium*, aut *Aerarium Neronis*, neque *Vestibulum*, quod commenti

1 T. III. MSS. c. XVII. p. 26.

2 MSS. c. X. p. 59. num. 153.

sunt, Templi *Apollinis* exstare unquam heic potuisse, ubi patuit libera Circi area, multisque dumtaxat post seculis, Templum *S. Petronillae* a fundamentis erectum, ac dicatum stetit. Sed multo magis Vegius, et Panvinius cum Alpharano errarunt, quum Templum *S. Andreae* a *Symmacho* postea erectum, in aditu Aedis Sanctae Petronillae stetisse dixerunt. Quum enim idem Templum Anastasius, quem p. ries de eo loquutum esse, infra observabimus, *Basilicam* passim vocet, id ipsum monere homines debuisset, ne *B. Andreae Apostoli Basilicam* heic quaererent, quam certe ampliore loco sitam esse oportuit, quam quem heic Ichnographia repraesentat. Quod etsi eruditissimus Janningus [1] subodoratus est, idem tamen non iccirco a communi aliorum Scriptorum opinione discessit, qui in hoc aditu, *S. Andreae Basilicam* fuisse scripserunt.

Quamquam et aliae id caussae multo graviores, ut infra ostendam, falsum omnino esse produnt. Ita enim rem habere ex ipsis Mallii, et Anonymi verbis supra allatis, quae ipsi in medium adducunt, deprehendi potest, atque adeo, si quid recte video, debet; qui proinde dum ad ea nos provocant, vereor, ut satis considerate, circumspecteque faciant. Trium enim locorum mentionem Mallius injecit. I. *Templi S. Petronillae*, quod antea *Apollinis* fuisse, falso sibi persuasit. II. *Basilicae S. Angeli*. III. Templi, quod ipse *Vestarium*, seu *Vestiarium Neronis* appellat, in *Ecclesiam S. Andreae*, postea conversum. Quum autem de situ Templi *S. Petronillae* ambigendum minime sit, quidquid superest quaestionis, *S. Angeli Basilicam* spectat, *Templumque S. Andreae*.

1 T. vI. Junii p. 156. num. 385.

Verum, oro, quo pacto clarius indicare Basilicam S. *Angeli* potuit, qui diserte scribit, eam fuisse, *ante Templum S. Petronillae*? Quare, si *ante* illud, nempe in *aditu*, de quo nunc disputamus, erat *Basilica S. Angeli*, fierine potuit, ut ibidem alterum *Templum* exstaret *Andreae Apostolo* dicatum? Quod quidem si Mallius illud idem fuisse ait, quod ab se *Vestiarium Neronis* vocatur, manifestum plane est, aliud hoc, aliud *Basilicam S. Angeli* esse. Quamobrem quis potius non putet, aliud heic innui Templum, *S. Petronillae* Templo finitimum, quod in *Sacrarium* postea conversum est; eoque magis, quod Mallius eadem *Templi* voce utitur, dum Templum *S. Petronillae* indicare vult, aliudque *S. Andreae*, contra quam facit de *S. Angeli* Templo, quod *Basilicam* minus proprie appellat? Hoc enim manifeste demonstrat, *Basilicam S. Angeli*, locum a *Templo S. Andreae* distinctum fuisse. Praeterea quis credat, Mallium, et Anonymum *S. Petronillae* Templum, aliosque locos ei continentes describere voluisse, numquam tamen alterum Templum rotundum ibi contiguum, quod nemo certe inficiabitur, jam tum ibidem exstitisse?

Verum quod magis me perculit, hanc eamdem dubitationem, quam etiam Paullus de Rubeis Vat. Bas. Beneficiarius movit, Ciampinius quum diligenter se fateatur excussisse, neque ab aliorum falsis opinionibus, neque a novis lapsibus satis caute declinavit. Nempe Vir, alioqui eruditissimus, ait [1]. *Quum diligenti attentione praeallegatum Manlii locum ab Alpharano, aliisque Scriptoribus descriptum considerarem, situm observavi ante* Apollinis Templum *illummet fuisse, qui a Mallio describitur pro* Vestario

1 Sect. xI. p. 86.

Neronis. *Nam si attente istius auctoris vocem* ibique *perpendamus, cum dictis de* Apollinis Templo *connectenda sunt, quum* Vestiarium *locus sit, ubi asservantur vestes. In hoc igitur loco, quando Nero, dirus ille Imperator, in Circo aurigabat, ut Suetonius narrat, verisimiliter vestes, aliaque Imperialia deponebat ornamenta, quando nempe pro agitatore apparebat in Circo. Non obstat, quod Mallius locum istum Templum appellet, quum eadem utatur voce in ipso* Apollinis *aedificio, quod principale, et non pars est, ut istud* Vestiarii. *Quamobrem observo, Mallium de vocum electione sollicitum minime esse, ut in hac eademmet narratione animadverti valet, quoniam Neronis Circum,* Palatium *appellat, quum ex historiis Neronem nullum aliud Palatium aedificasse comperiamus, praeter illud, quod sua pretiositate Domus aureae Neronis nomen promeruit. Lapsus est enim Mallius in voce* Basilicae, *quam aedificii parti attribuit, quum proprie* Basilica *regium sit aedificium, et non illius pars, immo Altare, ut mox dicemus. Insuper eumdem locum* Templum *nominat, quum sit* Templi vestibulum .... *Ex hactenus dictis concludi posse videtur, quum omnes Scriptores de Bas. Vat. tractantes, locum istum pro* Ecclesia S. Andreae *designent, non obstare, quod Mallius illam Basilicam S.* Angeli *denominet, quia partem pro toto accepit*. Hactenus Ciampinius.

Sed tot, tamque gravibus mendis ejus verba scatere video, ut nesciam, qua ex parte initium eorum castigandorum, et refellendorum sumam. Vt enim de Templo *Apollinis* ibidem collocato, quem cum ceteris communem habet, errorem praeteream, etsi alibi ab Honorio, atque etiam a Paullo I. mira inconstantia exstructum fuisse scripserit, equidem haud intelligo, qua de caussa *connectenda*

sint cum Templo Apollinis, quae Mallius ait de *Neronis Vestiario*. Siquidem vox *ibique* minime exigit, ut hoc *Vestiarium* in eodem plane loco, ubi *Templum Apollinis*, constituendum sit, sed accipi etiam potest pro loco ex altera parte ei contiguo: quin imo, quum statim addat *aliud Templum, quod fuit Vestiarium Neronis, ubi nunc est Eccl. S. Andreae*, luce clarius est, ibidem de loco plane diverso *a Bas. quae vocatur Vaticanum, ante S. Petronillam* loquutum esse. Perperam igitur Mallium accusat de vocum electione parum sollicitum, quod *Vestiarium Neronis*, perinde ac ipsum *Apollinis* aedificium, *Templum* appellaverit. Nam eadem voce aedem ei plane geminam designavit. Neque iccirco eidem adsentiri ullo pacto possum, Templum a Mallio *Vestiarium* nuncupatum, alterius Templi fuisse partem, quum contra aliud omnino Templum fuerit, nihil habens cum altero sibi propinquo commune, praeter formam, ac situm, in eodem Circo Neroniano. Quamobrem in eo Mallium Vir doctus reprehendit, ubi lapsus certe non est, eumque incastigatum dimisit, ubi ejus de Templo *Apollinis*, et de *Neronis Vestiario*, cui et ipse subscripsit, opinionem refellere debuisset.

Illud quoque Mallio non erat vitio vertendum, quod Neronis Circum, *Palatium* appellarit. Quis enim ignorat, non tam Neroniani hujus Circi, quae supererant vestigia, ab Anastasio, aliisque auctoribus *Neronis Palatium* appellata, sed *Palatia* etiam nominari consuevisse ingentia quaelibet antiquae Vrbis aedificiorum rudera, ut jam supra [1] innuimus?

Hac profecto de re abunde exemplorum suppeditant medii aevi Scriptores. Recte enim observavit Nar-

[1] p. 952.

dinius, qui ait [1]. *Quum rudis antiquitas sueta fuerit* Palatia *appellare rudera ingentium aedificiorum, utpote de* Palatio Trajano, *et* Constantiniano *in regione* VII. *animadverti, facile hinc est, quod* Palatium Antonianum *Thermas Aur. Antonini Caracallae multis abhinc seculis appellatas fuisse, ac proinde nomen Ecclesiae S. Caesarii vulgo in* Palatio, *quae juxta Thermas est, et ipsius Imperatoris* Palatii *opinio potuit derivare*. Praesto sunt alia quoque exempla, quae idem confirment. Nam Basilica S. Crucis in Hierusalem, ubi Constantinus *posuit de ligno S. Crucis*, ab Anastasio [2] *in Palatio Sessoriano*, fuisse dicitur. Ita enim Benedictus Canonicus ait [3]. *Dominica Laetare, Statio ad Hierusalem in Palatio Sessoriano*. Quam quidem denominationem vel inferioribus temporibus retinuisse conjiciendum est ex eo, quod Fregepanii, quibus Lucius II. peculiari diplomate [4] *Circi Maximi* custodiam dederat, item *Septizonium*, et *Amphiteatrum Flavium*, domibus constructis incoluerunt; uti Romanorum Nobiliores, Panvinio teste [5], veteres alias fabricas habitandas sibi vindicarunt, nimirum Vrsini *Molem Adrianam*, et *Theatrum Pompeii* in Campo Florae, Columnenses *Mausoleum Augusti*, et *Thermas Constantinianas*, Comites *Quirinalem*, Sabellii *Theatrum Marcelli*, et *Mausoleum Caeciliae Metellae*, quod deinde in Gentis Cajetanae dominium cessit; quae quidem loca *Palatia* vulgo audiebant. Item Ecclesia S. Marci a S. Marco Pontifice condita, ab Anastasio in ejus vita [6] *juxta Pallacinas* vocatur,

1 lib. VII. c. VI. p. 446.
2 T. I. in vita S. Silvestri §. XII. p. 96.
3 in Ord. XI. p. 121. et 135.
4 ex Panvinii MS. de Gente Fregepanica lib. III. cap. VII. in Bibl. Vat. apud Nerinium in Appendice Monum. de Templo, et Cenobio SS. Bonifacii et Alexii p. 407.
5 ibid. ex Instrum. dat. ann. I. Pontif. Eugenii III. apud Panvinium cap. V. Consule dissertat. eruditissimam Karoli Fea *sulle rovine di Roma* p. 330. et 333. nel T. III. della Storia delle Arti del disegno di Winchelmann.
6 T. I. §. II. p. 109.

quod nimirum posita erat prope Circum Flaminium, cujus reliquias etsi imperitum vulgus *Castellum aureum*, teste Anonymo de *mirabilibus Romae*, nuncuparet, tamen, uti notat Vignolius, ex medii aevi more, *Palacinum* etiam, seu *Palatium* dicebantur, unde *Pallacinae*, seu *Palatinae*. Jac. quoque Grimaldus [1] *Monasterium*, inquit, *S. Laurentii in Palatinis dicebatur propter Circum* (Flaminium scilicet) *quem ignare* Palatium *vocabant*. Hoc idem Monasterium *S. Laurentii in Palatinis*, aut *Pallacini* apud Anastasium [2], et Bull. Vat. editores [3], *S. Laurentii Pallatini* appellatur. Ac licet Grimaldi conjecturae, quam Franciscus Blanchinius [4], Martinellii fultus auctoritate, et Ioh. Christ. Amadutius [5] amplexati sunt, resistant Bull. Vat. editores [6], qui potius, una cum Equite Franc. Victorio [7], hanc nomenclaturam tribui debere existimant *S. Laurentio*, olim *in Piscibus*, nunc *S. Lorenzino in Borgo*, ex Circo Neroniano, non longe dissito, cui *Palatiolum* nomen, tamen res eò semper recidit, quia hoc idem nomen vel huic fundo inditum erat, quod *Neronis Palatium* vocabatur [8].

Scribit enim Grimaldus [9]. *Ita Circum Neronis* Palatium *appellant, et Montem S. Michaelis hac de caussa Palatiolum.* Porro autem *Palatiolum* memorat Bertoldus Constantiensis apud Baronium [10], ubi de Henrico IV. Leonianam Civitatem ingresso, in hunc modum loquitur. *Iuxta S. Petrum, quemdam Monticulum, nomine* Palatiolum, *in Ca-*

1 in lib. ms. de Can. S. Petri c. II.
2 in Leo III. Greg. IV. et Bened. III.
3 T. I. in Leo. IV. et in Leo IX. diplom.
4 T. II. Anast. p. cxxxI. in not. ad Anon. Opusc. de descr. reg. Vrbis.
5 in Praef. ad Monum. Matthejana T. I. p. XLV.
6 T. I. p. 26.
7 in dissertationib. Philol. pag. 85. ubi recenset Templa Laurentio sacra.
8 in lib. Pont. in S. Petr. gest. et a Rom. Can. tit. XVI.
9 loco cit.
10 an. MLXXXIII. num. II.

stellum erexit, eique milites multos, ut impugnarent Romanos, imposuit. Vbi Collis, sive Monticulus a Bertoldo *Palatiolum* appellatus, is esse videtur, in quo urbani Barberinorum Horti sunt, ac praesertim Aedes *SS Michaelis, et Magni*, de cujus origine vide, si lubet, Turrigii opusculum [1], ubi plura hujusce denominationis reperies exempla [2], praeter Jos. Rocchum Vulpium [3], et Franciscum Mariam Gallutium [4]. Haec enim a Leone III, non IV, ut irrepsit in inscriptionem ibidem positam, post obitum quorumdam Gallorum, in praelio pro Ecclesia Romana suscepto, *qui in Crypta juxta Neronis Palatium sepulti sunt*, condita fuit in honorem S. *Michaelis*, ac postea S. *Magni* exsuviis ex Fundana Vrbe allatis ditata.

Praeterea non longe hinc aberat Aedes B. V. sita ad Caesiorum Hortos, uti ex Grimaldo referunt Martinellius, aliique, in *Palazola*, sive in *Palatiolo* dicta, ab Innocentio III, Gregorio IX, Clemente VI, et Leone IV, quem Benedictus Can. [5] eam Bas. Vat. donasse, litteris consignavit. Quid plura? quum eumdem Circum ab Anastasio [6] designatum fuisse vidimus, *secus Palatium Neronianum*, et [7] *in Vaticano Palatii Neroniani*. Alterum enim praeteream exemplum Anonymi de *Mirabilibus Romae*, qui *infra Palatium Neronianum Templum Apollinis* exstitisse, *quod dicitur S. Petronilla*, memoriae tradidit. Quae quidem apertissime demonstrant, Neroniani Circi vesti-

1 Narratione dell'origine dall'antichissima Chiesa de' SS. Michel' Archangelo, e Magno Vesc. e Mart. del R. Cap. di S. Pietro in Vaticano, posta nel Borgo di S. Spirito In Sassia di Roma, aggiontavi la vita di esso S. Magno, cavata da mss. autentici antichi, Romae ann. MDCXXIX.

2 p. 20.

3 Vita di S. Magno Vescovo, e Martire Roma 1732. 8.

4 Il rito di consacrare le Chiese. Roma 1759. 8. p. 62.

5 tit. xI.

6 T. I. §. vI. p. 8. in vita S. Petri.

7 ibid. §. Iv. p. 48. in vita S. Cornelii.

gia, quae adhuc supererant, *Neronis Palatium* fuisse vulgo nuncupata, uti etiam confirmat Anonymus, qui disserens *de Palatiis Romae*, nominat *Palatium Neronis*, *ubi est Agulia S. Petri*, nimirum, ut recte notat editor Montfauconius [3], *Circus ejusdem*.

Quae quum ita sint, nemo opinor Panvinio, Turrigio [4], et Bull. Vat. editoribus adsentietur, qui praeter *Domum suam*, quam Nero, ut cum Suetonio loquar, *a Palatio Exquilias usque fecerat*, aliam quoque in Vaticano juxta Circum, et Hortos suos Aedem excitasse arbitrati sunt, quae *Neronis Palatium* vulgo appellabatur. Haec enim una a Varrone [5], ejusque vitae scriptoribus sub *Palatii* nomine memoratur, decima Vrbis regione, ubi Casa Romuli, primaque Vrbis incunabula, aedesque maximae, et magnificentissimae, ab Imperatoribus immensis sumptibus exstructae.

Verum, ut ad Ciampinium rursus me conferam, ei non invitus concedam, haud satis recte loquutum fuisse Mallium in voce *Basilicae*, quam Templo *S. Angeli* tribuendam duxit. Non enim locus adeo insignis esse potuit, ut tale nomen promereretur. Verumtamen, praeterquamquod hoc de qualibet sacra Aede, sine certa erroris nota dici consuevit, ac Vegium quoque ad Templum significandum idem vocabulum usurpasse demonstrabimus, falsum omnino est, hoc ei nomen non convenire, quod *esset pars*, imo *Altare Basilicae S. Petronillae*. Nihil enim, praeter propinquitatem, commune cum eo habebat, ac porro aliud Templum ab eo separatum erat, in honorem *S. Angeli* consecratum. Quod idem Ciampinius contra suam sen-

1 in Diario Italico p. 284.

2 in Opusc. cit. p. 20.

3 de L. L. l. VIII. c. IX. V. Franc. Bianchini Palazzo de' Cesari. Verona 1738. It. Lat. fol.

tentiam declarat. Vt enim probet, aliud Templum a Mallio *Vestiarium Neronis* appellatum, ac postea in Templum *S. Andreae* conversum, unam eamdemque rem esse cum *S. Angeli* Basilica, quod de *Altari* tantum Apostoli *Andreae*, in eadem *S. Angeli* Basilica excitato intelligi debuerat, statim subjungit. *Non obstat, quod eidem loco duo fuerint attributa nomina, quia in eodem tria aderant Altaria, unde a Sanctorum nominibus, in quorum honorem ipsa Altaria dedicata erant, locus ipse nomen desumpsit*. Itaque fatetur, tria illic Altaria fuisse. Quonam igitur pacto reprehendere Mallium potuit, quod Templum *S. Angeli*, *Basilicae* nomine insigniverit?

§. II.

Altarium Descriptio.

Tria in *aditu* Templi *S. Petronillae* fuisse Altaria constat, non modo ex Vaticanis Ichnographiis Severani, Janningi, Fontanae, et Bonannii, sed etiam ex ea, quam Ciampinius [1] effinxit, alteraque Alpharani. Hic autem refert, in medio loco inter duas Portas num. 153, *Altare S. Andreae* exstitisse *sub Ciborio argenteo a quattuor columnis sustentatum cum sua Confessione*. Equidem haud inficias iverim, Altare S. *Andreae* dicatum ibidem fuisse. Quid inde? Num propterea Templum a Symmacho in ejus honorem constructum, ibidem agnoscendum erit? Verum, nonne potius conjiciendum est, ibidem alterum Altare deinde Apostolo consecratum fuisse, postquam, Templo *S. Petronillae* a Stephano II. erecto, hic idem aditus constructus fuit, ut ita commodus e duobus Templis continentibus, in Basilicam transitus fieret? Quid? putabis

1 p. 86.

ne, aditum ante ipsum S. Petronillae Templum fuisse constructum? Itaque, quum ibi Altare tantum, minime vero Templum *Andreae* dicatum, a Symmacho constructum statuendum sit, ornatus ab Alpharano memoratos, in proxima Basilica eidem Apostolo sacra dumtaxat agnoscendos puto; ubi Gregorium M. *S. Andreae brachium*, et *Caput B. Lucae Evangelistae* condidisse inferius ostendam, etsi Panvinius [1], Alpharanus [2], et Janningus [3], haec sacra pignora in hoc Altari collocata fuisse affirmaverint. Ceterum, quod de Leone IV. ab Anastasio memoratur, potius Altari in hoc aditu erecto, quam Templo rotundo in *Andreae* honorem a Symmacho exstructo, convenire videtur. Narrat enim [4]. *Fecit in Oratorio B.* Andreae *Apostoli, quod* S. Petri cohaeret Ecclesiae, *vestem sericam unam, habentem historiam Aquilarum, et in medio tabulam cum chrysoclavo, in qua depictae Christi, et Discipulorum ejus dextra laevaque imagines fulgent, et ipsius almifici Praesulis*. Item hunc eumdem locum indigitasse videtur Adrianus I. in epistola ad Fulradum, et Maginarium, quae in Bull. Vaticano desideratur. Ibi enim scripsit [5]. *Postulastis a nobis, quatenus Hospitale, intus Vat. Bas., Domini, et Fautoris nostri B. Principis Apostolorum, situm post Oratorium S. Leonis Confessoris, atque Pontificis*, euntibus ad S. Andream, manu dextra, *juris Ven. Bas. existentem, vobis ad tenendum, emissa praeceptione concedere deberemus*. Siquidem, quum Oratorium S. Leonis exstaret num. 14. pronum est arguere, Adrianum de proximiore loco n. 153. verba fecisse, ubi Altare S. *Andreae* situm erat, minime vero de Templo rotundo a Cella S. Leonis longe dissi-

1 T. III. ms. p. 26.
2 pag. 156. 3 ms. p. 43. et 59.
4 T. III. §. XLIX. p. 126.
5 in T. VII. Misc. Baluzii p. 120.

to . Sed haec , si quid video , sententiae nostrae nihil incommodant ; quippe quae Stephano II. conditori Templi S. Petronillae , ac fortasse hujus etiam vestibuli , sunt posteriora . Potuit itaque Adrianus , ut locum Nosocomii clarius designaret , proximum Altare S. *Andreae* , haud ita pridem erectum nominare , ac Leo IV. praeter donaria , quae Templo rotundo a Symmacho erecto contulisse demonstrabimus , nonnulla etiam huic Altari , ejusdem honori dicato , liberaliter impertiri .

Vtrimque in ultimo recessu apsis indicatur cum singulis Altaribus , quorum unum num. 154. designatum , titulum habebat , *S. Angeli* ; aut *Michaelis Archangeli* , quod Severanus [1] *ornatum musivo opere , fornice deaurato , et multae devotionis* fuisse tradit , quodque *mirifice musibo laqueatum , auro , et vitro pellucens* Mallius [2] descripsit . Hoc idem Altare designatum puto ab Antonio Petri , qui in suo Diario haec memoriae consignavit [3]. *Anno* MCCCCXIV. *die Iovis 7. mensis Iunii fuit sepultus D. Meolus noster Beneficiatus in d. Basilica S. Petri , in* Capella S. Angeli *cum maximo honore* . Atque alibi [4] . *Anno* MCCCCXVI. *Die Dominico 15. mensis Martii , hora una noctis , obiit D. Nicolaus Guadagnoli morte subitanea , et fuit sepultus in Bas. S. Petri ante* Capellam S. Angeli , *et dictus D. N. erat Prior Beneficiatorum d. Basilicae S. Petri , et Camerarius exceptorum tunc tempore* .

Oppositum porro Altare num. 155. quamvis anonymum sit apud ceteros , Ciampinius , Alpharani [5] adstipulatu , S. *Vrsulae , et Sociabus* [6] dicatum fuisse narrat . Verum paullo post , sui immemor , et ipse asserit , *ejus*

1 p. 91. 2 p. 314. 4 ibid. p. 1056.
3 T. xxiv. rer. Ital. Murat. p. 1043. 5 ms. p. 59. 6 p. 87.

denominationem ob vetustatem ignotam esse. Ceterum *S. Vrsulae*, dicatum fuisse ; extra omnem dubitationis aleam ponit locus libri Benefactorum, ubi [1] x. Kal. Maii adnotatur, *in Capella S. Andreae, consecratio Altaris S. Vrsule*.

§. III.

Cur totus hic situs S. Angeli in Vaticano, vulgo appellaretur?

Totus hic locus *in Vaticano*, vulgo appellabatur. Sed minime acquiescendum reor superius allatae Mallii sententiae, in quam non tantum Anonymus *de mirabilibus Romae* [2], sed etiam Ciampinius [3], et Janningus [4] pedibus iverunt. *Ineptum* namque *etymon*, ut utar Montfauconii [5] vocabulo, appellandum est illud ab Anonymo allatum, quod tamen eidem Montfauconio latuit, Anonymum a Mallio usurpasse.

Neque vero recipienda est Flaminii Vaccae [6] conjectura, qui *Vaticani* nomen ortum divinatur ex Vatum, et Philosophorum sepultura. Ab eo enim memorata, Poetarum, et Sophorum Capita, ibidem detecta, diu post ortum Vaticani nomen sculpta sunt.

Audiendus igitur potius est A. Gellius, qui e Verrii Flacci opinione discedens, a Festo tradita, cui tamen Panvinius [7] subscripsit, *Vaticanum* scilicet dictum fuisse, *quod Vatum responso, expulsis Hetruscis, P. R. eo potitus sit*, haec habet [8]. *Et agrum Vaticanum, et ejusdem agri Deum praesidem appellatum accepimus a* Vaticiniis, *quae vi, atque instinctu ejus Dei, in eo agro fieri solita essent. Sed praeter hanc caussam, M. Varro in*

1 p. 56.
2 p. 287.
3 p. 28.
4 p. 156.
5 in Diario Italico p. 275.
6 T. IV. Rom. ant. Nardinii p. XXXIII.
7 T. I. ms. cap. I. fol. 95.
8 lib. XVI. c. XVII.

libris divinarum, aliam esse tradit illius nominis rationem. Nam sicut Ajus, *inquit*, *Deus appellatus, araque ei statuta est, quae est infima nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat, ita* Vaticanus *Deus est nominatus, penes quem essent vocis humanae initia. Quoniam Pueri simul, atque parti sunt, eam primum vocem edunt, quae prima in* Vaticano *syllaba est, iccirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis*. Hanc vero Varronis, et Gellii sententiam sequutus est Augustinus [1], qui *Vagitanum*, seu *Vaticanum* appellatum fuisse scribit, *quod hujus nominis, Deus Infantium vagitibus praesidebat*, pari modo, quo *Fabulinus Deus*, cujus meminit Nonius [2], a *fari* incipientibus invocabatur, ut prae ceteris demonstrat Gotthelf Conr. Goldschard [3].

§. IV.

Varia hujusce aditus nomina indicantur.

Quum in hoc aditu, duo praesertim essent Altaria summo in honore habita, opinari fas est, pro lubito illum nunc *S. Angeli*, aut *S. Michaelis*, nunc S. *Andreae* aedem vulgo audisse. Fieri enim facile potuit, ut eidem loco, qui proinde cum Templo rotundo, quod propius adhae-

1 L. IV. de Civitate Dei c. VIII. et XI.

2 in dict. Statilinum XII. 56. Alex. Genial. Dier. VI. 26. Tomasin. de Donariis c. X. Barthol. de Puerper. p. 121. Meurs. de Puerp. c. V. Pollet. Hist. Fori Rom. t. 10. Giral. Synt. Deor. I. p. 49. Stuck de Sacrif. p. 44. Laur. de Natalitic. I. Kipping. Ant. Rom. lib. I. §. 10. c. in Vrb. Rom. Topogr. lib. V. c. XXI. et in T. III. Thes. Graevii pag. 250.

3 De Diis, et Deabus Infantum, olim apud Graecos, et Romanos divino cultu affectis. Dresdae 1751. 4. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 154. Blond. Rom. Triumph. lib. 12. Cerda adv. c. 153. Marlian. Topogr. Vrb. V. 21. Pancirol. Descr. Vrb. Romae in T. III. Thes. Graev. pag. 373. Faunus Ant. Vrb. V. 9. Bulengerus de Orac. c. 128. Aringh. Rom. Subter. II. 3. 9. V. T. XII. Graevii p. 799. et T. I. Thes. Pol. p. 398.

rebat, ipsique Apostolo sacrum erat, confusus est, haec duo promiscue attributa fuerint nomina.

Hoc idem nostra aetate saepe numero usuvenire videmus, quod et Ciampinius [1] animadvertit, ut eadem Ecclesia pluribus titulis nuncupetur, vel a Divo tutelari, vel ab auctore, vel a loco, vel a vicinia, vel ab incolis loci. Audi in hanc rem Jac. Volaterranum in *Diario Romano* apud Muratorium [2], qui ait. *Ecclesia Sancti Martini aedificata fuit, ubi tunc erat Ecclesia dicata B. Silvestro, quae postmodum propter ejusmodi instaurationem, partim primum nomen amisit, partim servavit, et vulgo* S. Martini in Silvestro *est appellata, prout evenit in Ecclesia* S. Gregorii, *quae in* Andrea *est dicta, eo quod in eodem colle, ubi Gregorii nunc est Monasterium, prius Sancti Andreae Sacellum fuerat*. Ita Ecclesia *S. Mariae, et Gregorii in Vallicella* ab aliquibus *Ecclesia nova*, ab aliis vero *S. Philippi Nerii* nominatur; itidemque Ecclesia Sanctae *Mariae Novae*, quae interdum sub hoc nomine, frequentius autem sub illo *S. Franciscae Romanae* nuncupatur; ne quid dicam de Ecclesia S. *Martinae*, quae altero *S. Lucae* nomine gaudet, de *S. Maria in Cosmedin*, quae dicitur etiam *Schola Graeca*, quod ibi Augustinus Rethoricen docuisse fertur, et *Os Veritatis* a marmoreo simulacro, ore exerto, quod ibidem exstat.

Illud vero praecipue adstipulatur huic conjecturae, quod compertum, et exploratum probe sit, in *aditu* Templi S. *Petronillae*, prope Basilicam Vaticanam, Oratorium exstitisse *S. Michaeli Archangelo* dicatum. Quod, ut ceteros omittam, cum Mallii, et Vegii, tum etiam Ant. Petri, et Panvinii multo gravissima auctoritate

1 pag. 87. 2 T. XXIII. rer. Ital. p. 114.

comprobatur. Hic enim Oratorium *S. Michaelis* ita describit [1]. *Ante Templum Sanctae Petronillae*, versus murum Ecclesiae, *fuit Sacellum, seu Aedicula* S. Michaelis Archangeli, *dicta in* Vaticano, *auratis laquearibus ornata, musiveo, vitreoque opere decorata, quae diu ante exolevit; remansit vero totum Altare dictum* S. Michaelis, *quod etiam hodie amplius non exstat*. Quare quis non videt, Severanum [2], Martinellium [3], Ciampinium [4], Furiettum [5], aliosque hallucinatos esse, non solum quod falso sibi persuaserint, Altare *S. Michaelis* in Templo *S. Andreae* exstitisse, quum contra, hujus Altare in hoc Oratorio *S. Michaelis* in *Vaticano* ponendum fuisset; sed etiam quod opinati fuerint, hoc Oratorium fuisse Templum, quod *Symmachus* excitavit, cui tantum convenire, quae ab iis asseruntur, infra demonstrabo. Suum enim in locum rejicienda haec esse duxi, lectorumque fastidio occurrendum.

Ceterum eosdem, ne quid dissimulem, multo levius quidem iis errasse fatendum est, qui nullam S. *Michaelis* Cellam hoc loco agnoverunt, et contra disertam Mallii, Vegii, et Panvinii auctoritatem, cum Templo S. *Michaelis in Saxia* commutarunt. Hos inter numerandus certe est Johannes Stiltingus, qui [6] *in historico Commentario de S. Michaele Archangelo* vetustiores, ac celebriores Vrbis Aedes, ac Cellas ei sacras recenset. Ibi vero nusquam meminit de Vaticano *S. Michaelis* Oratorio, quod item ignotum plane fuisse vidi, non minus Baronio [7], quam Dom. Georgio [8], Nardinio [9], et Devita [10], etsi pariter alias

1 T. III. ms. c. XVIII. p. 27.
2 T. I. p. 316.
3 p. 59.
4 p. 86. Sect. II.
5 de Musiv. p. 73.
6 T. VIII. Sept. p. 70.
7 in Martyr. die VIII. Maii pag. 229. et XXIX. Sept. p. 482.
8 in Adonis Martyr. p. 504.
9 lib. XII. c. XIII.
10 Ant. Benev. T. II. p. 65.

aedes ejus nomini consecratas numeraverint, ac Georgius, praeter jam notas *Molis Hadrianae*, *Fori Piscarii*, et *in Saxia*, alteram indicavit a Baronio omissam *in via Salaria*, in Sacramentario Blanchiniano, et in *Notitia Vrbis* memoratam. Non id tamen Stiltingum latere debuisset; quippe qui non solum de ea edoctus antea esse poterat a Mallio, et Vegio, quorum opera Janningus in lucem emiserat, sed etiam ab Alexandro Donato [1], cujus et ipse verba descripsit, respuens tamen, quae recipere, recipiens quae respuere omnino debuisset. Sic enim ait. *De hac re triplex opinio est. Prima eorum, qui Circum Neronianum, eique appositam volunt* Aedem S. Michaelis in Vaticano. *Quos confutat Baronius, tum quia aedes illa celsitatem non habet, quam eidem tribuunt auctores, tum quia ejus conditorem Leonem* IV. (III.) *Pontificem ex antiquo lapide recognoscit*. Itaque idem Donatus non diffitetur, nonnullos fuisse, qui Aedem *S. Michaelis*, Circo Neroniano inhaerentem agnoscerent.

At heic liceat mihi Donatum interpellare, ubinam hujusmodi opinionem Baronius refellerit? Atqui idem, ubi disserit de Adonis loco, qui aedem commemorat a Bonifacio *in summitate Circi*, S. Michaeli aedificatam, haec tantum subnectit [2]. *Certe haec Basilicae S Michaelis in Ianiculo*, prope Vaticanum *positae aptari minus posse videntur, quandoquidem illa non a Bonifacio, sed a Leone* IV. *erecta fuit*. Vbinam heic Aedes S. *Michaelis* in Circo Neroniano nominatur? At contra, nonne heic ea tantum aperte indicatur, de qua supra nos nonnihil innuimus, quamque, ut idem ait, *Leo* IV. *ob Saracenos devictos, atque fugatos apud Vaticanum erexit*? Sed altera Baronii

1 in Rom. vet. ac rec. lib. I. c. 2. p. 32. 2 p. 482.

verba proferantur, quae nullam aliam aedem in Vaticano, *S. Michaeli* sacram ei notam fuisse, luculentius demonstrent. *Quum nec*, inquit, *alius locus sit Romae Michaelis Arch. memoria celebris, cui praedicta* (Adonis verba) *conveniant, in eam adducor non invitus sententiam, ut opiner, dictam memoriam Michaelis, cujus Ado meminit, fuisse olim sitam in summitate Molis Adrianae*; quae iccirco a Petro Damiano [1] *Mons Sancti Angeli*, et a Luitprando [2] *Ecclesia S. Angeli usque ad Caelos* appellatur. Ac denique, quum itidem affirmaverit, *Ecclesiam S. Michaelis ad radices Ianiculi* positam, Basil. Vatic. propiorem esse, quisnam inficias eat, aedem, de qua nunc scribimus, Baronio plane incompertam fuisse?

Falsum itaque est, Baronium eos confutasse, qui aedem *S. Michaelis* in Circo Neroniano statuerunt. At vero si fecisset, illud tantum probasset, Templum ab Adone commemoratum, diversum ab eo fuisse. Quamquam non hoc solum nomine Donatus deserendus est, sed etiam quod quum ipse non ignoraret, alteram Sancti *Michaelis* aedem in Vaticano a multis statutam fuisse, nihilominus ibidem, aeque ac Baronius, eam tantum agnoverit *SS. Michaelis, et Magni*, quae in diplomate Honorii II. [3] *S. Michaelis Frisonum de Porticu S. Petri de Urbe*, in Diario Antonii Petri [4], quod in Basil. Vat. tabulario adservatur, *S. Michaelis de Porticu S. Petri*, et apud Martinellium [5] *in Saxia in Burgo sita, a Saxonum via* nuncupatur. Id etiam praestitum fuisse vidi a Roccho Vulpio [6], qui agens de *Diaconia S. Angeli in*

1 in vita S. Romualdi c. xxv. in T. II. Opp. p. 196, et in Actis SS. Ord. S. Bened. sec. VI. part. 1. p. 297.

2 De reb. Imper. et Reg. lib. III. c. XII.

3 T. I. Bull. Vat. p. 208.

4 p. 42.

5 p. 359.

6 Vita di S. Sinforosa, e de' suoi Santi figliuoli, e compagni MM. i sagri corpi

Foro Piscium, hanc tantum aedem S. *Michaelis in Vaticano* sitam fuisse agnovit.

Hoc autem Templum, quod ex allatis documentis perspicue patet, *S. Michaeli* praecipue sacrum fuisse, novo ambone a *Iohanne* VI. decoratum scripsit Ciampinius, quod tamen de *B. Andreae Templo rotundo* accipiendum esse, paullo infra demonstrabimus.

§. V.

De ejusdem aditus eversione.

Templum *S. Michaelis Archangeli* eamdem subire sortem debuit, atque Templum *S. Petronillae*, cum quo demum solo aequatum fuit. Ne tamen ejus memoria penitus obsolesceret, ara sub minori tholo ad Boream, eidem Archangelo constituta fuit, prope alteram *S. Petronillae*, quae posteris etiam quodammodo testimonio esset, utramque antiquitus fuisse conjunctam.

Novae hujus arae conditor fuit Vrbanus VIII, qui invictum hunc Principem Angelorum Caelestium, Doemonum potentem, a Graecis *Archistrategum*, a Sofronio *Archisatrapum* nuncupatum [1], praecipuo cultu prosequebatur, uti refert Turrigius in opusculo de *S. Michaele, et Magno* [2], ubi Pontifices ejusdem Archangeli studiosos recenset. Hunc, enim, ut Nazianzenus [3] cuique Ecclesiae

de' quali si vereramo in Roma nell'antichissima Diaconia Cardinalizia di S. Angelo in Pescaria. Roma 1714. 4. pag. 84. Vita di S. Magno Vesc. e M. Roma 1737. 4.

1 Ejus encomium vide apud Surium ex Simeone Metaphraste pag. 312. 322. Hororium Augustod. lib. III. cap. 167. Cathulphum Episc. T. II. Hist. Francor. p. 667. ad Carolum M. Beletum. c. CXXIX. CLVIII. Durandum. lib. VII. cap. XII. et Sarnelli. perchè la S. Chiesa dice di S. Michele *Angelus Archangelus*, la qual cosa non dice degli altri Arcangeli? p. 6. nel lume a' principianti.

1 c. XVIII. p. 74.

2 in Orat. XXII. p. 516. 528. ex cap. II. et III. Apocal. Rocco V. Volpi Vita di S. Magno Vesc. e M. Roma 1032. 8.

Angelos praeesse pro certo habuit, Catholicae Ecclesiae, et Romani Pontificis custodem, atque opitulatorem esse praedicabat. Propterea non solum diem ejus festum selegit ad sollemnem suae coronationis pompam obeundam, sed etiam aureum numisma anno VI. cudendum curavit cum ejusdem Archangeli imagine, et sui ipsius paludamento induti, ante illam flexis genibus supplicantis effigie, tiara humi deposita, ac titulo ad oram addito

TE MANE TE VESPERE [1].

quem etiam circa Horologium Solare in Hortis Quirinalibus inscribi voluit, et in numis frequenter cudi jussit.

Michaelis imaginem, quae tum in ejus ara proposita fuit, e Caesaris Arpinatis archetypo, peritissimus artifex Ioh. Bapt. Calandra, opere vermiculato expresserat. Haec autem temporis injuria intercidit, eique altera suffecta fuit, studio, atque opere Bernardini Reguli, et Francisci Fiani, ex elegantissima tabula Guidonis Rheni, quae nunc in Aede Fratrum Cappuccinorum adservatur. Quare Martinettum [2], et Sindonium [3] hanc imaginem a Caesare Arpinate delineatam, et a Calandra musivo expressam, antiquiorem pro recentiori accipientes, perperam tradidisse vides.

Verum ea, quam Calandra primum elaboraverat, maximi facienda erat; quippe quae omnium prima hujus operis in Templo Vat. majorum nostrorum oculis proposita fuit. Quod notatu dignum, praetermisit tamen Furiettus [4] in opere eruditissimo *de Musivis*. Quum enim Vrbanus VIII, ut a Bonannio [5] accepimus, parietum, marmorumque

1 Scilla Monete Pontificie p. 143. et 266. Rodulphin. Venuti Numismata Rom. Pont. praestantiora. Romae 1744. 4. p. 226.

2 lib. II. p. 152.

3 c. VIII. p. 31.

4 p. 105.

5 p. c. XXI. n. XX.

humiditate, magno bonarum artium detrimento, insignium Pictorum tabulas, coloribus sensim evanescentibus fugientes deficere, tineisque corrosas deperire animadvertisset, de singulis singulorum Altarium iconibus musivo exprimendis consilium coepit, hancque *S. Michaelis* Luciferum coercentis, Joh. Bapt. Calandrae, celebri ejus aetatis musivario commisit. Verum nimius musivi operis laevor, intuentium oculos perstringens, et imaginum delineamenta in superfluo nitore occultans, Pontificis mentem ab incoepto revocavit. Quod tamen a Clemente XI. deinde praestitum esse vidimus, cura Petri Paulli de Christophoris, ad musivi operis artem, quae hujusce Vrbis propria esse videtur, retinendam, archetypis picturis ferme omnibus ad *S. Mariae Angelorum* ad Thermas Diocletianeas translatis.

Porro S. Michaelis Altare Joh. Thomas Mallonus Episcopus Sabinicensis, ut refert Sindonius [1], consecravit XV. Kal. Octob. anno MDCXXVIII, repositis ibidem SS. MM. reliquiis, quae in Altari S. *Mariae de Febribus* pridem inventae fuerant.

Vbi vero primitus Cella, de qua loquuti sumus, ei sacra exstabat, modo visitur Statua marmorea *S. Norberti*. Sed ibi prius eminebat S. *Andreae* simulacrum; id quod factum fortasse puto ob Altaris ejusdem Apostoli, quod in *Michaelis* Templo fuit, memoriam retinendam; non autem, quod ibi Templum fuerit ejusdem honori a Symmacho consecratum, uti sentiunt Sindonius [2], aliique Scriptores.

Deinde idem simulacrum in proximis aedibus Seminarii Vaticani adservatum fuit, quod Cl. Dionysio [3] igno-

1 p. 31. 2 apud Ioh. Piscium p. 63. 3 p. 164. et 187.

tum fuisse comperi, atque illud idem est, quod in Ara, quam Pius II. excitaverat, a Francisco Piccolomineo locatum fuisse vidimus [1], uti constat ex ejus icone apud Ciampinium [2], et Dionysium, quam rursus in aes incidendam curavit Franc. M. Piccolomineus Archiep. Pergensis. Perperam igitur Epiphanius Gizius [3] affirmavit, in veteri Oratorio, quod Symmachus exstruxerat, idem Simulacrum antiquitus exstitisse. Nunc autem *novi Sacrarii* ingressum tuetur, atque exornat.

§. VI.

De Lapidea S. Alexii Peregrinatoris effigie.

Hunc aditum aenea sublimis Ianua excipiebat, per quam erat transitus in Bas. Vat. uti videre est apud Ciampinium [4]. Ante hanc Ianuam imago quaedam, lapide exsculpta visebatur, quae inveteratam de *S. Alexii* Peregrinatoris sepultura *in Templo S. Apostoli Petri* opinionem, graeco Basilii Imp. Porphyrogeniti Synaxario [5] innixam, apud Canonicos Bas. Vat. mirifice confirmavit. Haec enim habet pervetusta membrana in Tabulario Coenobii *SS. Bonifacii, et Alexii* asservata, quae a doctissimo Viro Felice M. Nericio [6] edita est, ac primum magnam partem Turrigius [7] protulerat. *Quum in Bas. SS. Apostolorum Petri, et Paulli, ante januam aeneam, quando itur per praefatam Basilicam in* Sanctam Petronillam, *esset quaedam effigies ad modum scarpsilidis, sculpta scilicet petra, quidam judicantes asserebant illam esse scarpsilidem Beati Alexii. Qua de caussa Canonici dictae Basilicae affirmabant, ibi Corpus Beati Alexii quiescere, et avidi de pretioso thesauro, talem per Vrbem*

1 lib. I. p. 83. 2 Tab. XX. p. 64. 5 ad calcem T. I. Martii Bolland.
3 p. 25. 4 p. 83. 6 p. 205. 7 p. 411.

divulgaverunt rumorem; *se Corpus* S. Alexii *habere*, *et in Bas. Principis Apostolorum illud quiescere*. *Ad haec Summus Pont. Papa Honorius* III. *Pastor discretissimus*, *et veritatis amator ad confutandam omnem ambiguitatem*, *et contrariorum locorum dissolutionem praecepit dictis Canonicis*, *ut pro Corpore S. Alexii diligentissime inquirerent* . . . . *Qui Canonici deaptantes pavimentum Basilicae in loco*, *ubi dicebatur ab eis Corpus manere*, *et diu requirentes*, *non invenerunt*. *Sed adhuc perdurantes in opinione*, *a muro Bas. B. Petri*, *in quo est imago vitreo opere depicta*, *et* a janua aenea ante S. Petronillam, *usque ad locum*, *ubi Cathedra B. Petri reponitur*, *funditus usque ad infima effoderunt*, *devastantes*, *quidquid illic aedificii invenerunt*. *Sed Corpus* B. Alexii *nullatenus invenire valuere* . . . . *Et sic in tali vecordia*, *nimio veritatis examine*, *quamplurimis diebus consumatis*, *et Corpore B. Alexii ab eis non invento*, *quia ibi non erat*, *cognita veritate*, *D. Papa detrahentium linguas despexit*, *et ad primum propositum rediit*.

Quo autem pacto postmodum rei veritas innotuerit, ac SS. Romani hominis pignus in Templo *S. Bonifacii* ad Aventinum, tantum exstare constiterit, si quis scire cupiat, consulat historica monumenta de eodem Templo ab eodem Cl. Nerinio edita, qui rem [1] diserte, atque eleganter enarravit. Frustra enim haec quaereres apud Ioh. Pinium [2], qui etsi de sacris Aedibus Romae, atque alibi in *Alexii* honorem constructis, ejusque cultu egerit, nil tamen de Basiliano Synaxario, deque opinione ibidem tradita effatus est. Forte Ant. Petri hunc situm indigitavit, ubi scriptum reliquit [3]. *An.* MCCCCXI. *die Lunae penultima mensis Iunii*, *quae fuit festum SS. Apostolorum Petri*,

1 T. XXIV. rer. It. Murat. p. 1026. 2 cap. XII. 3 T. IV. Iulii Boll. p. 238.

et Paulli, de nocte, ante tres horas, fuit defunctus Nardus de Catino, et sepultus ante ostium S. Petronillae.

§. VII.

Cetera ad hunc aditum spectantia illustrantur.

Quum huic Templo Basilica Vaticana adhaereret, hinc factum est, ut Anastasius nonnulla ejusdem loca designans, *secus fores*, et *juxta ingressum, qui ducit ad B. Petronillam*, fuisse scripserit. Narrat enim, ut supra vidimus, *Paullum noviter Oraculum in honorem S. Dei Genitricis construxisse, juxta Oraculum B. Leonis Papae, secus fores introitus S. Petronillae*. Et in vita Paschalis, *in eadem*, inquit [1], *sacratissima B. Petri Ecclesia, juxta ingressum, qui ducit ad* B. Petronillam, *Oratorium summae magnitudinis, atque pulchritudinis decoranter construxit .... in quo Corpora BB. MM. Processi, et Martiniani, ad honorem, et gloriam omnipotentis Dei, memorialiter, honorifice recondidit*. Quod item legimus apud Mallium, qui ait [2]. *Ab alia parte juxta Portam aeneam, quae vadit ad* S. Petronillam, *et ad S. Andream, est Oratorium SS. Processi, et Martiniani*. Id ipsum Vegius etiam confirmat hoc modo [3]. *Alio ex latere juxta Portam aeneam, quod ducit* ad Altare S. Petronillae, *est eximium Oratorium, quod ex mosivo egregie fabricatum erexit Paschalis Papa in honorem Processi, et Martiniani*.

Papebrochius [4] quidem ad illa Anastasii verba, *secus fores introitus B. Petronillae*, adnotavit, *praedictum S. Petronillae locum, mutato nomine, deinde dictum Oratorium S. Adriani Papae sub num.* 15. Id tamen, quantum

1 T. II. §. V. p. 323.
2 n. XXIV. p. 40.
3 num. CXXVI. p. 81.
4 T. V. Junii p. 380. in vita S. Paulli ?

equidem sciam, aut nunquam, aut sero factum. Quapropter nemo certe huic Papebrochii conjecturae adsentietur, qui ex Alpharano verum Oratorii Deiparae, a Paullo constructi, Cellae Leonianae, et Oratorii Sanctorum Processi, et Martiniani situm agnoscat. Ait enim Mallii [1], Vegii [2], et Panvinii [3] auctoritate [4]. *In parietibus Basilicae ad Occidentem sequebatur Oratorium* [5], *sive Altaris S. Leonis PP. antiquissimum, in quo erat imago B. M. V. Filium amplexantis, olim magnae devotionis, sub quo Paschalis* II. *SS. Summorum Pontificum Corpora, Leonum* I. II. III. *et* IV. *magno cum honore condiderat . . .*

Iuxta praedictum S. Leonis Oratorium sequebatur Sancti Adriani I. *Oratorium* [6], *in quo B. Petri sedes, sive Cathedra in marmoreo operculo egregie fabrefacto summo cum honore custodiebatur . . .*

Prope dicti Adriani I. *delubrum, et juxta hujus transversae partis parastatam ad Occidentem erat Vrbani* II. *sepulcrum* [7] *eximium quidem, decenterque exornatum.*

Prope vero dicti Vrbani II. *sepulcrum in angulo, et parietibus ad meridiem erat Sacellum* [8] *antiquissimum S. M. in Oratorio nuncupatum, aereis cancellis conclusum, unde etiam S. M. de Cancellis nomen acceperat, quod quidem Paullus P.* I. *exstruxerat, atque eximiis imaginibus, et eleganti musivo exornaverat . . . .*

Et juxta dictum Oratorium, temporis processu, aliud [9] *nobile Sacellum exstructum fuerat ad honorem Dei Genitricis semper V. M. dictae de Praegnantibus, eo quod Mulieres praegnantes illi se enixe commendantes exaudiebantur . . . .*

1 p. 40. 2 p. 82. 3 T. III. ms. p. 10. 4 ms. p. 20. 5 num. 14. 6 n. 15. 7 n. 16. 8 num. 17. 9 num. 18.

Iuxta praedictum Sacellum, in medio parietum transversae Crucis ad meridiem, erat magna Porta [1] *marmorea valvis aeneis exornata, per quam iter erat ad* Ecclesiam S. Andreae [2], *et ad* Ecclesiam S. Petronillae [3], *et* B. M. de Febribus [4], *magna Templa, quae quidem Templa rotunda, et octangularia, erant singula octo sacella habentia, de quibus distinctis capitibus multa inferius explicabimus, quum etiam de Ecclesia, et Monasterio S. Stephani Minoris* [5], *et de Canonica* [6] *Basilicae, quae post praefatum S.* Petronillae *Templum sita erat, verba faciemus.*

Sed inter dictam Portam, et alterum transversae navis angulum in parietibus etiam ad meridiem erat Oratorium [7] *SS. Processi, et Martiniani MM. quod Paschalis P.* I. *erexerat.*

Sed haec ad institutum satis. Nunc e laevo Basilicae *B. Petronillae* latere egrediamur, in alteroque aditu, per quem transitus ad aliud Templum patebat, eidem Basilicae contiguum, parumper immoremur.

1 num. 19. 2 litt. C. 3 litt. D. 4 litt. e. 5 litt. f. 6 litt. g. 7 num. 20.



CAPVT V.

De aditu ex S. Petronillae ad D. N. M. Febrifugiae.

Hic aditus haec duo inter se Templa veluti connectebat, ad ejusque laevam inter Ortum, et Boream intra Aedem *S. Petronillae*, absidula cum Altari erat, cujus nomen longaevitate oblitteratum est.

§. I.

De ara, ubi S. Ioh. Chrysostomi exsuviae colebantur.

Mediam alterius hujusce aditus ambulationem, ara num. 164. *S. Iohanni Chrysostomo* sacra tenebat. Sub hac ejusdem SS. Doctoris exsuviae, maxima Populi, ac praecipue Feminarum frequentia colebantur, quae deinde in proximum Templum translatae sunt, ut infra ostendemus. Qua de re mira consensio est apud Scriptores. Sed post Anonymum Valerii Dorici typis editum, apud quem legimus, *in transitu ad Beatam Mariam de febribus est sepultura S. Crisostomi, quo ante fuit ferreo circumdata, nunc imagine marmorea est erecta*, prae ceteris Alpharanus testis adhibendus. *In medio*, inquit [1], *transitus, qui erat oblongus, per quem ad Templum S. M. de febribus, ut diximus, patebat accessus, ad Orientem erat* Altare [2] S. Johannis Chrysostomi *Archiep. Constantinopolitani, et Ecclesiae Doctoris, os aureum nuncupati, quattuor columnis porphyreticis, nobilique tegmine marmoreo exornatum, sub cujus Altari praefati Ioh. Chrysostomi Corpus Constantinopoli translatum, conditum requiescebat, Mulieribus veneratione habitum. Etenim in ejus Confessione caput intromittentes, Purgatorii poenas, si-*

1 ms. p. 62. 2 num. 164.

ve voces audire, dicere solebant, et ob id Basilicae Sacerdotibus, ut pro animabus Purgatorii sacra facerent, largas eleemosinas largiebantur.

Ac non minus sententiose, quam vere dixisse Attilius Serranus [1] videtur, divinitus putandum esse, id contigisse, ut posset heic *habere sepulcrum, quò vivens e Graecia* [2] flagrantissimo *desiderio trahebatur*. Respuenda autem omnino est eorum sententia, qui apud Barptholemaeum Plazza [3], SS. Praesulis Corpus, una cum *Ignatii* Martyris Antiocheni exsuviis translatum, unaque in Templo *S. Clementis* aliquamdiu stetisse tradiderunt. Etsi enim, ut ingenue fatetur Stiltingus [4], ignotum sit, qua occasione, quove tempore peracta fuerit ejusdem translatio [5], certum tamen est, sacrum hunc thesaurum, (quem Sec. xiiI. plus minus a Latinis, postquam Constantinopoli potiti sunt, Romam translatum esse, probabilior est opinio) statim in Bas. Vatic. collocatum fuisse, ut cum Baronio [6], non solum Martinellius [7], Severanus [8], et Ciampinius [9], sed etiam idem Plazza [10] in alio opere testantur. Quare id de Ignatio M. tantummodo tenendum est, qui ex Antiochia translatus, in *S. Clementis* Basili-

1 de viI. Eccl. p. 27.

2 T. iv. Homil. xxxiI. sup. epist. Paul. ad Romanos.

3 in Ephem. Vat. p. 61.

4 T. iv. Septemb. p. 694.

5 Savilius in ejus Opp. edit. Fronto Ducaeus in ejus Opp. edit. Montfauconius in vita Chrysostomi, nunc primum adornata, et multis aucta, antea ignotis, quae ex xiI. Homiliis Constantinopolitanis nuper repertis excerpta sunt in ejus opp. edit. Adrianus Bailletus, Iohan. Vincartius, Hermantius Cellierius, in ejus vita. Balth. Koepkenius, in Vita B. Joh. dicti Chrysostomi. Halae 1702. 8. Guil. Vollendus, in dissertation. de Jo. Chrysostomo, speciatim de ejus elogio, vita, scriptis, optimis horum editionibus, et veteribus fide dignis vitae illius Scriptoribus. Vitembergae 1710. et 1711. Jo. Henricus Barthius, de Joh. Chrysostomo. Argentorati an. 1716.

6 in Martyr. Rom. ad xxviI. Januar.

7 p. 283. 8 p. 136.

9 c. iv.

10 in Hemerol. d. xxviI. Januar.

ca depositus fuit, ut plures [1] erudite demonstrant, tametsi Philippus Rondininius [2], *ibidem quoque S. Iohannis Chrysostomi Corpus olim quievisse, antequam in Vat. Basil. adsportaretur*, Anonymorum auctorum fide innixus affirmaverit.

Nil vero dicam de SS. Doctoris digito, quem Jeremias Patriarcha, cum Apostoli *Andreae* manu, Gregorio XIII. dono misit, ut a Guilielmo Cupero [3], in *Historia Chronologica Patrum Constantinopolitanorum*, aliisque, memoriae traditum est.

Sed priusquam aliò progrediamur, audi Antonii Petri Diarium, ubi haec narrantur [4]. *Mensis Martii die Mercurii* 21. *anno* 1408. *post Completorium S. Petri, quasi in occasum Solis defunctus est D. Iohannes Nutii Prior Canonicus Basilicae Sanctor. Apostolor. de Vrbe, et sepultus est die Veneris* 23. *suprad. mensis in dicta Basilica, in loco prope* Altari S. Johannis Os aurei, *videlicet in uno pilo, qui inventus est sub terra*.

§. II.

De Lapide Aegyptiaco, qui ibidem servabatur.

Augebat etiam, ut testimonio est idem Alpharanus, cujus ista sunt verba [5], *bujus Altaris devotionem maximam, praeter ejus venerabile Corpus, et Altaris Confessionem, Lapis quidam aegyptiacus, supra quem SS. plurimorum Martyrum Corpora cruciata fuisse, antiqui tradiderunt*.

Porro hic Lapis juxta Guidoneam Portam in locum,

1 de S. Clemente P. et M. ejusque Basil. Romae 1706. 4. c. x. p. 35. 12 p. 337.

2 God. Henschenii de S. Ignatio Theophoro Episc. Antiocheno Comment. in T. 1. Februar. p. 13. Christ. Beyeri Diss. duae de Ignatio veritatis Confessore, et Martyr. Lipsiae 1723. 4.

3 T. 1. Augusti p. 234.

4 apud Muratorium T. xxiv. p. 988.

5 ms. p. 62.

ubi fuerat Altare *S. Tridentii* Martyris, ut docet idem Alpharanus [1], honorifice translatus fuit, quocum duo etiam rotundi lapides ferro ligati, conjuncti sunt, quos pedibus Martyrum, dum in equuleo cruciabantur, Carnifices appendisse tradit Ciampinius [2], ideoque, ut docent Marangonius [3], aliique [4], *Pietre scelerate* vulgo appellabantur. Qui quidem omnes Lapides, ad primam Templi Vaticani parastatam, ut monet Epiphanius Gizius [5], ad dexteram introeuntium, Innocentio X. imperante, translati fuerunt, ac demum in Cryptas Vaticanas, ubi nunc adservantur.

§. III.

De Aulis Sanctimonialium, vulgo le Murate, huic loco adhaerentibus.

In hoc etiam transitu, addit Tib. Alpharanus [6], *hinc inde erant Aulae Sanctimonialium, vulgo dictarum* le Murate di S. Pietro, *quae Deo, noctu, diuque laudes exsolvebant, postea translatae, ut supra expressimus* [7], *juxta S. Gregorii Oratorium, et Basilicae Secretarium, ac inde ad Monasteria nobilissima Vrbis*. Harum autem curae, postquam Paullus II. S. Catherinae Sanctimoniales [8] aliò migrare jussit, commissum fuisse scimus [9], ut lineas omne genus *Sacrarii* Va-

1 ms. p. 37. Dall'altra parte del pilastro nella Nave piccola, appresso a detta Porta Guidonea a man destra nell' introito vi è un Altare antichissimo, adesso chiamato S. Antonio de Padua, ma prima de San Tridemio Martire, secondo riferisce Mallio fol. 25. et in questo loco l'anno 1574. disjecto l'Altare, fu posta una pietra, sopra la quale furo martirizzati molti Martiri, quale stava appresso l'Altare di San Gio. Crisostomo.

2 p. 72. n. 91.

3 Il divoto Pellegrino nell' anno santo 1750. pag. 86.

4 V. Pitiscum in Petra scelerata. Aringhium in Rom. subt. l. II. c. IV. §. VIII. Nardinium l. III. c. IX. Borrichium in Vrb. fac. c. V. §. II.

5 p. 40.

6 ms. p. 62.

7 ms. pag. 34.

8 Torrig. in descript. Eccl. S. Catherin.

9 Piazza Eph. Vat. p. 584. et 690.

ticani supellectiles detergerent. Qua de re eaedem Jesu Christi Ancillae, *Benedictae* nuncupari poterant, ut apud Bayonenses [1] vocabantur Mulieres illae, quae linteamina Eccl. lavabant; solebantque in aliis id genus officiis sese exercere.

Ex earum vicinia, proximiorem Viam, *la Contrata delle Incarcerate*, vulgo nuncupatam fuisse prodit Necrologium Basilicae, ubi ait. vI. *Non. Martii. Eadem die obiit Golata, uxor condam Symeotii Frascaroli, que reliquit nostre Basilicae domum suam, quam inhabitabat, cum signo Mulieris cum Pater noster in manibus, sitam in* Contrata delle Incarcerate, *et in Parrochia Sancte Marie in Traspadina. Expendatur pro ejus Anniversario florenus unus auri*. Atque alibi [2]. xv. *Kal. Maij. Obiit Fr. Sanctus de Reate Dñi nostri Pape Penitentiarius, qui reliquit nostre Basilicae domus suas positas* in Contrata delle Incarcerate.

Haec habui, quae de Templo *S. Petronillae*, deque *utroque Aditu*, per quem transitus ad illud patebat, in medium afferrem. Quae quidem, etsi magnam partem communi sententiae in Scriptorum animis, tamquam altissimis defixae radicibus, ac nonnisi summa vi evellendae, adversantur, satis tamen, nisi mea me fallit opinio, probata, satisque firmis rationum momentis innixa videntur. Nunc, quod instat, in alterum Templum, quod huic continens erat, tandem aliquando ingrediamur.

1 V. Testam. Dominici Bayon. Episc. anni MCCCII. apud Macrum in Hierol.
2 p. 54.

DE TEMPLO ROTVNDO VVLGO MARTIS NVNCVPATO

CAPVT I.

De Templo, quod vulgo Marti inscribebatur.



Vod jam inde ab operis initio proposuimus, ut Templum, quod ante hos non multos annos, PII VI. P. M. jussu, praesentibus nobis, atque spectantibus, solo aequatum est, ad amplioris, longeque praestantioris *Sacrarii* molitionem, illustrandum susciperemus, id nunc, cum Deo juvante, praestandum est. Ac libentissime equidem facio, ut, quae meis ipse oculis haud ita pridem dejici, ac deleri vidi, ex auctorum monumentis, quantum stylo fieri poterit, instaurem, eorumdemque immortalitati quodammodo consulem.

Jam vero, ferme omnes, qui Romanas antiquitates illustrarunt, Templum hoc rotundum, et vetusti aedificii opus esse, et *Marti*, sive alteri cuipiam Ethnicorum Numini, sacrum fuisse judicarunt. Quarum opinionum vanitatem priusquam arguam, ne ab instituto discedam, singulorum sententias, cum fide proponam.

Agmen ducet Albertinus, ubi ait [1]. *Templum Martis in Vaticano, ubi nunc est Oratorium S. Mariae de Febribus*. Itidem Lucius Faunus [2]. *Martis Templum fuisse dicunt in via Triumphali, ubi D. Mariae Febrium est Templum*. His concinunt Giovannolius [3], qui exhibet *Templum Martis ad Circum Neronis, hodie Bas. S. Petri Sacrarium*; necnon Martinellius, qui scripsit [4]. *De Febribus in Vaticano, olim Martis ad dexteram Bas. S. Petri, rotundum, et antiquum. Hic est sacrum Vestiarium dictae Bas., pluribus antiquis monumentis conspicuum*. Georgius Fabricius, et Oct. Pancirolus, ne latum quidem unguem ab hujusmodi opinione sibi discedendum putarunt. Alter enim ait [5]. *Templum Martis in Vaticano, nunc S. M. de Febribus, ad sinistram ingredientium Bas. S. Petri*. Alter vero scripsit [6]. *In Circo Neroniano erat Templum Martis, quod tam in veteris, quam in novae Basilicae constructione, semper extra eam fuit, et usque adhuc pro Sacrario inservit, quum e contra alterum Apollinis in ea fuerit inclusum*. Id ipsum aeque sibi scribendum duxit Laurentius Schraderus [7] apud Andream Schottum [8], ubi haec occurrunt. *S. Mariae de Febribus, olim Martis in Vaticano*. Eidem album calculum adjunxit Janus Jac. Boissardus, qui in *Topographia Vrbis Romae* [9], et apud eumdem Schottum [10] haec habet. *Templo S. Petri adjacet Sacellum, S. Mariae in Febre, quod olim Marti*. Quid vero Andreas Marianus? qui postquam retulit [11],

1 p. 49.
2 l. iv. p. 125.
3 lib. iiI. Rom. Ant. tab. xx.
4 p. 217.
5 in descr. Vrb. Rom. T. iiI. Graev. c. ix. pag. 424.
6 de Thes. abd. p. 519.
7 In Monument. Ital. lib. iI.
8 in Itin. Ital. p. 326.
9 T. I. p. 9. et in Itin. Ital. p. 357.
10 de reb. Ethn. et prof. in sacrum usum conversis c. LII. p. 261.
11 Ruinarum Romae Epigrammata, quibus miranda Vrbis agnoscuntur, nova, et vetera elogiis recensentur. Bononiae 1641. 12. de Sacrario S. Petri p. 112.

Basilicae Sacrarium olim fuisse Templum Martis triumphantis in Circo, ita cecinit

Petre, triumphator tua Mars Sacraria *servat.*
Quis gladium Paulo demat, et arma Petro?

Ac demum, ne L. Maurum [1], Contarenum [2], Vaccondium [3], aliosque enumerem, qui easdem tibias inflarunt, Johannes Marangonius, Petri de Sebastiani [4] sententiae plane adhaerens, nostra hac aetate haec literis consignavit [5]. *S. Maria de Febribus, quod hodie Bas. Vat. Sacrarium est, fuit Templum Martis erectum extra Circum Neronis, et ab eo via triumphalis incipiebat. Qua de re totus hic Campus triumphalis appellabatur; siquidem heic disponebatur triumphus, ac interea in hoc Templo triumphaturus morabatur. Est formae octangularis cum octo Cellis, quarum sex in totidem Sacella conversae sunt, et alta apside coopertum, ornatumque octo albis, altisque columnis. In sacrum usum conversum fuit primis Christianorum temporibus post Constantini aetatem*. En igitur Scriptorum quasi cohortem, quae pro *Martis* Templo hactenus stetit, quamque nos debellandam pro virili aggrediemur.

Nonnulli tamen fuerunt, (quid enim dissimulem?) iique inter antiquiores, quibus non aeque certa haec opinio visa est. Nam Onuphrius Panvinius idem non sine quadam haesitatione affirmavit, ubi ait [8]. *Templum antiquum S. M. de Febribus .... forma est octangula, antiquum aedificium fuit, et, ut quidam tradunt,* Marti *dicatum. Nunc pro Sacrario in usu est Canonicis Vaticanis, in quo omnia*

1 p. 112.
2 p. 86.
3 p. 82.
4 Viaggio sacro, e curioso delle Chiese più principali di Roma. 1683. 12.p.2., e 10.
5 T.111.ma. c. x1x. p.27.

Bas. ornamenta aurea, argentea, et sericea, vestes sacrae, reliquiae, et libri servantur. Habet Altaria tria. Item videri potest Paullus Arringhius, ubi ad eumdem modum, *Martis delubrum*, inquit [1], (*Apollinis* Templo) *proximum erat, neque e recentioribus desunt, qui eo loco exstitisse asserunt, ubi nunc ejusdem Basilicae Sacrarium intuentibus patet*. De hac eadem opinione pariter ampliandum censuit Barpth. Marlianus, qui ait [2]. *Templum Martis, ubi D. Mariae de Febribus in via olim triumphali quidam tradidere, sed auctorem idoneum non adducunt.* Huic adstipulatur Gaspar Alverus, ubi scripsit [3]. *Sacrarium est formae rotundae, ac nonnulli contendunt, Templum Marti sacrum antiquitus fuisse.*

§. I.

Eorum opiniones expenduntur, qui idem Templum Apollini, Soli, Dianae, Matri Deûm, ac Febri dicatum fuisse contendunt.

Neque vero defuerunt, qui etsi allatam sententiam improbarent, tamen Templum *Matri Deûm* sacrum fuisse arbitrati sunt. In quibus, praeter Sindonium [4], Severanus fuisse videtur, qui ita loquitur [5]. *Nonnulli contenderunt*, S. Mariae Febrium *Ecclesiam* Martis *Templum fuisse, et in eodem Triumphantem morari consuevisse, ut ait Pancirolus, donec triumphus pararetur. Verum hoc aliis videtur inverisimile, quia exstructum est, ubi erat Circus Neronis, et poene contiguum Obelisco, quod erat in medio ipsius Circi.*

1 T. I. p. 213.

2 l. v. p. 188. in T. III. Graevii.

3 T. II. p. 205.

4 pag. 150. de Altaribus, et Reliquiis Bas. Vat.

5 par. I. pag. 95.

Ceterum anno 1609. *dum novae Basilicae fundamenta jacerentur, refert Grimaldus, plura ex hac parte reperta fuisse marmora inscripta*

MATRI DEVM MAGNAE IDEAE SACRAE

in quibus insculpta erant sacrificia Taurobolia, et Criobolia nuncupata, quae quidem saxa ab illius aevi Christianis pro contemptu, atque odio disrupta fuerunt, unaque eô loci projecta. Propterea ex hac aequivocatione Matris, *et* Martis, *fortasse introducta erit opinio, quod hoc* Martis *Templum esset. Nunc haec eadem marmora in Villa Burghesiorum conspiciuntur.*

Verum praestabit ipsius Grimaldi verba audire, quae primum a Francisco Blanchinio, praefationi ad Anastasium intexta, nunc iterum a nobis ex Codice autographo diligentius descripta, sic habent. *In loco, ubi nunc est Sacellum Apostolorum Simonis, et Iudae, in absida novi Templi, quae ad meridiem vergit*, Mausoleum S. Petronillae *a Scriptoribus appellatum, quod ob parietum crassitudinem, et firmissimam e lateribus structuram, sumptuosum sane, et insigne opus fuit. Superest adhuc Templum aliud eidem simile, a dicto loco non multum distans, quod pridem* Sanctus Andreas, *postea* Sancta Maria de Febribus *vocatum est, nunc ad* Sacrarii *usum inservit. Id quidem* Marti *sacrum fuisse scribitur. Sed ut Vir doctus, et Vrbis Ecclesiarum antiquitatis indagator studiosissimus Dom. Pompejus Vgonius, dictae Basilicae Clericus Beneficiatus, Orator insignis, non* Marti, *sed potius* Matri, *corrupto vocabulo in* Martem *primitus dicatum fuisse existimat. Idque inter alia potissimum elicit, quod hoc tempore, quum Paulli* V. *P. M. jussu, an-*

terioris faciei angulus versus Campum Sanctum fundaretur, effossae sunt ibi quamplures arae

MATRI DEVM MAGNAE IDEAE SACRAE

sculptae, Taurobolii, et Criobolii sacrificiis, temporibus Constantii, et Maximiani Nobilissim. Caesarum, Gratiani Aug. et Merobaudi Coss. Valentiniani Aug. et Neoterii Coss. et aliae hujuscemodi, quae in spretum acervatim, huc illuc, ac fractae a Christianis olim fuerant. Nunc visuntur in vinea Illmi Card. Burghesii extra Portam Salariam. Quae tamen misere posthac deperiisse, aut certe aliô ablata fuisse putandum est, quum nulla eorum exstet memoria in descriptionibus ejusdem Villae.

Audi nunc, quid de hoc Templo idem Vgonius scriptum reliquit [1]. *La Sacristia, che è oggi di S. Pietro, scrivono alcuni, che fu un Tempio di Apolline.* Hos inter numerandus est Ciacconius, qui *Templum rotundum, quod S. M. de Febribus dicitur, et hodie pro Sacrario, quod Sacristiam vocant, in usu est, olim Apollinis Templum* fuisse affirmavit. Pergit vero Vgonius. *Et l'Oratorio, che è nel Portico, detto oggi S. M. della Febre, un Tempio di Marte. Altri questo di Apolline, e quel di Marte.* Atque heic graviori lapsu, nonnisi de Oratorio Gregoriano *B. V. a Febribus* sacro, Vgonium loqui palam est. Quid enim Templi Vat. Porticus commune habet cum Templo rotundo, quod a nonnullis traditum narrat, fuisse Templum *Apollinis*? Ceterum hujusmodi sententias ita improbavit. *A molti non par verisimile, che tali Tempii fossero fabbricati da' Gentili. Poichè essendo ambedue nel Circo istesso, havrebbono recato grande impedimento ai giochi, che quivi anticamente si faceva-*

1 Stazioni di Roma. p. 101.

no . Di più ancora la sopradetta Sacristia era si addosso all'Obelisco , di cui s'è di sopra parlato , che non solamente havrebbe impedito lo spatio al correre , ma toglieva anco , et occupava la vista di esso Obelisco . Di modo che si conchiude , esser più verisimile , che l'uno , e l'altro di questi luoghi sieno stati fatti da' fondamenti da' nostri Pontefici . Sed contra hanc sententiam , Templum *Matri Deûm* dicatum fuisse scripsit , in *Theatro Vrbis Romae* , quod MSS. adservatur in Biblioth. Barberina [1].

Esto tamen , quod ita Vgonius opinatus sit . Quid inde ? num iccirco Vgonii , Grimaldi , et Severani conjecturae audiendae nobis sunt , Templumque , de quo agimus , pro Templo *Matris Deûm* accipiendum ? Nihil minus . Haec enim dumtaxat indicio sunt , sacra *Matris Magnae* , in Vaticano Colle peragi consuevisse , quod luculentius confirmat Lugdunensis Inscriptio a Dominico de Colonia [2] , et a Philippo a Turre [3] illustrata , Fratresque Arvales ibidem Aedes habuisse , ad Sodalitii sui ritus , et caeremonias obeundas . Quod ipsum diserte item testantur marmoreae tabulae , nuperrime ibidem effossae , et a V. C. Cajetano Marinio in lucem editae , quas nos iterum infra evulgabimus .

Idem profecto sentiendum est de alteris Inscriptionum Collegii Fratrum Arvalium fragmentis a Grimaldo memoratis , quae ab eodem summa fide descripta , partim a Martinellio [4] , partim a Fabretto [5] , et Marangonio [6] in lucem edita , ac deinde universa a Franc. Blanchinio [7] publici juris facta , nos iterum ad calcem operis evulgabimus .

1 Cod. 1057. fol.
2 de Ara Lugdun.
3 T. III. Collect. Opusc. Caloger p.447. et T. III. novi Thesauri Sallengr.
4 de imag. B.V. in Eccl.SS. Dom. et Xysti.
5 pag. 443.
6 c. IX. delle cose gentilesche p. 36.
7 in Praef. edit. Anastas.

Ceterum haec Ciampinius minime animadvertit, qui hujusmodi conjecturis ex toto subscripsit. *Prope Obeliscum*, inquit [1], *Occidentem versus duo aderant rotunda Templa, quorum Obelisco proximius* Matri Deûm, *licet perperam a quibusdam* Marti *attributum, et hoc* Neronis Vestiarium *appellatum. Alterum vero remotius* Apollini, *idest* Soli *dicatum erat. Vtraque cum transitu simul conjuncta, in hisce aedificiis speciali nota digna sunt, non solum, quod in Circi spina erant constructa, verum etiam quod in una eademque parte sita, quum contrarium appareat ex Circo Caracallae a Panvinio* [2] *in suo opere de ludis Circensibus relato, ubi ex una Obelisci parte* Solis *Templum, ex* altera *vero* Matris Deûm *Simulacrum cernitur. Itemque ante* Apollinis *Templum observandum est, fuisse vestibulum, quod* Vaticanum *denominabatur, quia* Vates *scilicet, Idolorum Sacerdotes, ibi sacra peragebant, ideoque tota illa pars Basilicae, quae Meridiem respicit,* Vaticanum *etiam dicta fuit, ut narrat antiquus scriptor Petrus Mallius in sua descriptione veteris Basilicae num.* 1. Huic autem sententiae adeo morcus adhaesit, ut de ea sese minime dubitare profiteatur. Ita enim alibi scripsit [3]. *Templum S.* Petronillae *excipiebat alterum in Orientem, simile superioribus, unde aditus in Templum* Matris Deûm, *postmodum S.* Maria *de* Febribus *nuncupatum*. Ac paullo post [4]. *S. M. de Febribus Templum simile omnino alteri S.* Petronillae *supra descripto erat.... Adhuc integrum, in Basilicae* Sacrarium *conversum cernitur. Duo haec maximae vetustatis Templa conjunctim exstructa, atque per eum aditum, sive transitum, quem descripsimus, connexa, a quo excitata fuerint, ignoratur. Verisimile tamen*

1 de Sacr. Aedif. c. IV. p. 28.
2 pag. 57.
3 sect. XII. n. 162. p. 89.
4 sect. XIII. p. 89.

est, Ethnicorum opus fuisse, qui in medio Circi erigebant Templa, quum haec in medio Circi Caii Neronis exstructa essent, et majorum traditione acceptum sit, unum ex his, illud videlicet S. Petronillae, Apollinis, *sive* Solis *Templum fuisse, alterum vero, nempe* S. Mariae de Febribus, *Templum* Matris Deûm.

Atque hinc fortasse apud nonnullos [1] vel illa adhaesit opinio, aeneam Pineam, quae nunc in Viridario Vaticano adservatur, olim in hoc eodem Templo fuisse collocatam. Sed tamen communior fuisse videtur sententia, eam in Pantheo [2], quod eidem Deae dicatum putabant, exstitisse. Narrat enim P. Mallius. *In Paradiso S. Petri est Cantharium, quod fecit fieri Symmachus Papa, columnis Porphyreticis ornatum. In medio vero hujus Canthari est Pinea aenea, quae fuit coopertorium cum sinino aereo, et deaurato super Statuam Cybeles Matris Deorum, in foramine Pantheon*. Quae quidem ab Anonymo totidem quasi verbis referuntur [3], atque alibi confirmantur, ubi *de Pinea, quae stabat in Roma*, haec habet [4]. *In fastigio Pantheon, id est S. M. Rotundae, stabat pinea aerea, quae nunc est ante Portam S. Petri, quae tota cooperta fuit tabulis aereis, et deauratis, ita quod a longe, quasi mons aureus videbatur, cujus pulcritudo adhuc in parte cernitur*. Ceterum etsi non desint, qui eam una cum aeneis Pavonibus ad Honorii Mausoleum [5], aut ad Pyramidem, vulgo Scipionum [6] spectasse putent, Flaminius Vacca [7] Strobilum

1 Costaguti Architett. di S. Pietro p. xI.

2 Severanus de vet. Eccl. p. 64. Landinus in Comm. ad Dant. Vgonio Stazioni di Roma p. 95.

3 in Diar. Ital. Montfauconii p. 291.

4 ibid. p. 287.

5 Nardini Roma ant. p. 1320.

6 Vlisse Aldrovandi Statue di Roma p. 312. V. Winchelmann Storia dell'Arti del disegno T. II. p. 44. et T. III. p. 410.

7 in Diar. Ital. Montfauc. p. 275. et in Rom. Ant. Nardinii num. 61.

hunc aereum inauratum ingentis amplitudinis, quem Dantes Aligherius Gigantis capiti adsimilavit, iis versibus [1]

La faccia sua mi parea longa, e grossa,
Come la Pina di S. Pietro a Roma,

ad pedem Hadrianeae molis deprehensum fuisse scribit, *quum Ecclesia Transpontina vetus instauraretur, ajuntque Strobilum fastigio Hadrianeae Molis olim impositum fuisse*, quam idem Anonymus [2], *in circuitu cancellis aereis circumseptam* fuisse tradit *cum Pavonibus aureis, et Tauro, ex quibus fuerunt duo, qui sunt in Cantaro Paradisi*.

Quae vero Ciampinius protulit, ex Alpharano sumpta, seu potius surrepta, suppresso ejus nomine videntur, quum haec apud eumdem offenderim [3]. *Sed ingrediamur* B. M. de Febribus *Templum, quod integrum adhuc superest, et ab omnibus cerni potest, quod octangulum, et rotundum est, et octo Sacella etiam habet, et est ejusdem mensurae, et formae, sicut supra de* B. Petronillae Templo *expressimus. Haec duo Templa antiquissima, erant simul, ut supra ostendimus, conjunctim exstructa, simulque connexa. A quo exstructa fuerint*, ignoratur. *Sed sunt, qui referunt, unum horum*, Apollinis *Templum, vel* Solis, *alterum* Martis, *vel* Dianae *fuisse, quae in medio Circi a Gentilibus exstrui solebant. Quod quidem quadrare videtur, quum haec*

1 in Can. xxxI. Inferni.

2 apud Montfaucon. p. 291. V. Panvinium, Ligorium, Marlianum, Turrigium Grotte Vat. p. 158. Donatum in Roma Vet. p. 484. Ciampini de Sacr. Aed. p. 33. Marangoni della Pigna di metallo, ch'era anticamente nell'Atrio della Bas. Vat. c. LXIX. p. 369. *De eadem Pinea haec habet Alpharanus*. In mezo di questo Atrio infra li quattro portichi, innanti che se entra in Chiesa, sub divo, vi è la pigna enea ornata cum pavonibus, et Delphinis deauratis (et griffonibus marmoreis, circum circa infra columnas plumbatis ad sustinendam aquam, qui griffones e vetustate collabentes sublati, positi sunt in pavimento Navis Portae Iudicii anno 1574. versa facie in terra ante Crucifixum) et tecto aenea a Simmaco PP. omnia exstructa, ut Bedas, Anastasius Bibl. et Petrus Diaconus lib. v. Hist. Langobard.

3 ms. c. a11l. p. 62.

duo Templa in medio Circi Caii, et Neronis exstructa videantur; alii vero Templa a Christianis exstructa contendunt. Sed omissa haec relinquamus judicio aliorum, et ad reliqua procedamus. Quae strictius apud eumdem Alpharanum notata comperi in alio Codice Albano, ubi [1] *Templum olim* Martis, *vel* Dianae, *postea* S. Mariae de Febribus appellat. Haec autem nova Alpharani opinio, de *Dianae* Templo, ex eo fortasse manare potuit, quod, nescio quam gravibus rationum momentis, generatim constituit Jac. Gutherius [2], nimirum *Templa rotunda ab antiquis Vestae*, Dianae, *Herculi, vel Mercurio erigi* consuevisse.

Quis autem jure non exibilet Matthaei Palmerii opinionem a Turrigio [3] declaratam, Templum hoc scilicet *Deae Febri* dicatum fuisse, quod deinde *B. M. a Febribus* sacrum fuit, quodque Volaterranus [4] minus proprie *Febris Sacellum* nuncupavit?

§. II.

Caussae, quibus hoc Templum ab Ethnicis minime erectum esse putandum est.

Ex his, quae mox afferemus, nemini ex inanibus Diis hactenus memoratis Templum dicatum fuisse, clarius constabit. Sed primum audias, rogo, quae Ciampinius, haud melioris frugis deinde subnectit. *Vltra superius relata*, inquit [5], *aedificia a nostro Caesare* (Constantino) *constructa, Turrigius in suis Cryptis Vaticanis* [6], *Templum scribit illud rotundum, quod nunc pro* Sacrario *Basilicae Vaticanae inservit, antiquitus* Apollinis *fuisse Templum*,

1 litt. E. in ichnogr.
2 de vet. jure Pontificio l. III. c. II.
3 p. 434.
4 in Vrb. Romae descriptione. Romae 1523. 4. p. 145.
5 c. XVI. p. 139.
6 p. 46. et 47.

postea a Paullo I. *SS. P. in divini cultus honorem consecratum, ut narravimus supra in descriptione ejusdem Vat. Bas. sub num.* 155. *et litt. d. Deinde idem Turrigius* [1] *in dubium revocat, an revera idem Templum illud falso Numini dicatum fuerit, vel aliud eidem proximum. Quomodocumque se res habeat, asserit* [2] *ex ms. quodam in Archivo ejusdem Basilicae asservato, hoc notatum reperiri.* Nunc Sacristia Templum rotundum, fuit a M. Constantino exstructum, in quo B. Gregorius P. primus recondidit Brachium Sancti Andreae Apostoli. *Quidquid de hac veritate sit, aliis illam e tenebris eruendam relinquo.*

Hactenus Ciampinius. Ego vero priusquam hanc provinciam aggrediar, mihi temperare non possum, quin Ciampinium ipsum, quocum toties, operis decursu, contentionis funem ducere coactus sum, iterum castigatum dimittam. Certe, si *speciali nota dignum* fuisse ei visum est, quod *hujusmodi Templa in Circi spina constructa essent, et in una eademque parte sita*, cur, quaeso, in mentem illi venit, Ethnicorum opus ea fuisse, propterea quod *in medio Circi Templa erigere* consueverant? Quid enim Circi spina, nisi murus humilis medio in Circo, a meta ad metam ductus? Quare si ab erigendis Templis in Circi spina veteres abstinebant, ne in medio quidem ea erexisse dicendi sunt; vel si in medio erigebant, quid mirum, ac *speciali nota dignum*, si haec in Circi spina exstructa essent?

Id autem manifestum etiam fit ex omnibus omnium Circorum ichnographiis [3], ac praecipue ex eo, quem

1 p. 179. 2 p. 185.

3 V. Nicol. Calliachium. de Circensibus ludis T. v. Suppl. Poleni p. 473. Ios. Emmanuelem Miniana. de Circi antiquitate, et ejus structura. ibid. p 445. Bulengerum. Tom. II. Opusc. Lugd. 1626. fol.

adhuc superstitem Caracallae, ut vocant, prope Appiam admiramur. Ibi praeter Metas, et Carceres, Aramque Deo Conso sacram, quae sub terra delitescebat, ac propterea appellabatur antrum, seu crypta Consi, nimirum Neptuni, ut Tertulliano, aliisque [1] videtur, ne vestigium quidem ullum Templorum apparet. Quid ni? quum in medio Circi Maximi, quem Panvinius [2] describit, splenderet tantum *Aedicula* Solis, cum ejus, aliorumque Deorum Statuis, Delphinibus, Phalis, sive Turribus rotundis, fastigio referentibus formam Ovorum Castoris, et Pollucis, de quibus speciatim agit Octavius Ferrarius [3], quae dividebant Euripum, et Metas. Haec tamen aut nihil, aut parum certe spectatoribus impedimento esse poterant. Ita ne vero, si ibidem magnae molis Templa statuissent? Siquidem Sacella, sive Aediculae [4], quae sub dio, ac sine parietibus extimis eminebant, inter Obeliscos, Metas, et Deorum Simulacra, ad ipsorum Deorum cultum, et Circorum ornatum, concinne, et commode locabantur, quin spectaculorum adspectum auferrent, quae circa spinam edebantur.

Quae quum ita sint, quanti acuminis fuisset, quum Ciampinius utraque Templa videret, praeter ordinem ab se confictum, *una, eademque parte sita*, postmodum a Christianis aedificata declarare? Quid autem dicam de alio loco, ubi ait, verisimile quidem esse, Tem-

Salmasium. in Commentar. ad Solinum. M. Velserum. ad Sidonium pag. 262. Sirmondum in ejus Opp. p. 402. Bandurium. ad Ant. Cpol p 662. Camillum Sylvestrum. ad Iuven. Sat III. v. 63. Fabrettum. ad Column. Trajanam p. 144. Averanium. diss. XVIII. et Ioh. Christophor. Cramerum. in Vol. V. Actor. Societ. latin. Ienensis p. 291.

1 Fabianus Toernerus de Ara Consi subterranea. Vpsal. 1721. 8.

2 de Ludis Circensibus cum notis Ioh. Pinelli Argoli. Patavii 1600. fol.

3 lI. xv. Electorum.

4 Fil. Venuti in T. II. Dissert. Acad. Etruscae Corton. sopra i Tempietti degli Antichi p. 211.

plum *S. Petronillae*, *Apollini*, sive *Soli* sacrum fuisse, quamvis alibi, uti supra vidimus, nunc ab *Honorio* I, nunc a *Paullo* I. exstructum affirmaverit; eodemque libro, a quo fuerit excitatum, sese ignorasse profiteatur? Illud vero magis me movit, quod refert, Turrigium [1] *Sacrarium Basil. Vatic.*, pro Templo *Apollinis* accepisse, quum Turrigius ipse, locis a Ciampinio indicatis, et a me diligenter excussis, diserte asserat, *Templum Apollinis, proximum Sacrario* fuisse, ac proinde procul dubio statuendum sit, eum ibidem de Templo *S. Petronillae* loquutum fuisse, etsi addat multo inferius [2], *communiorem eruditorum esse opinionem, Templum* Apollinis *exstitisse, aut eodem loco, ubi* Sacrarium *erat, aut paullo procul*.

Sed jam satis operae impensum est, in Ciampinii opinionibus, ne, an somniis? refutandis. Nunc in arenam descendendum est contra *Martis* Templi propugnatores. Quod dum faciemus, una opera, Panvinium, Alpharanum, Vgonium, Severanum, ipsumque Ciampinium, *Apollinis*, *Solis*, *Dianae*, seu *Matris Deûm* Templi assertores refellemus. Quamquam, quae superius a nobis allata sunt, ut probaremus, *Apollinis* Templum in Circi area nunquam exstitisse, ea satis superque per se clamant, idem de Templo *Martis* esse sentiendum. Iis igitur, quae illuc congessimus, in praesentia omissis, heic tantum adjicimus, quae huic loco potissimum convenire visa sunt, quaeque de industria huc reservavimus.

1 p. 46. et 47.   2 p. 179.



§. III.

De veteri Statione Obelisci Vat. pone dejectum Sacrarium.

Quum Vgonius animadvertisset, duo haec Templa, maximo futura ludis Circensibus impedimento, recte pronunciasse audivimus, *Sacrarii Templum adeo Obelisco insedisse, ut non solum spatium quadrigarum cursui necessarium sustulisset, sed etiam ipsius Obelisci adspectum occupasset.* Quod certe a Romanis factum fuisse, nemo sibi persuadeat, qui, teste Plinio [1], eos in Circo statuebant, Solisque Numini consecrabant, ut conspici undecumque possent, omnesque ad sui admirationem excitarent. Id autem in hoc etiam Obelisco praestitisse putandi sunt, qui, ut idem Plinius ait [2], *imitatione ejus, quem fecerat Sesostridis Filius Nuncoreus*, inter Vrbis insigniores numerandus erat. Is certe ex Aegypto [3] *navi, qua nihil admirabilius in mari visum* fuerat, Romam advectus, unus omnibus, quotquot in Vrbe erecti fuerunt, felicior quodammodo, ac fortunatior habendus est, quippe qui mole sua stetit, statque adhuc incolumis, in area medius, contra Templum Vaticanum [4].

Non enim audiendi sunt Joh. Palatius [5], qui Totilam Gothorum Regem, hunc, aliosque evertisse scripsit, et Claudius Molinetius ad VIII. numisma Xysti V, ubi refert, Pontificem hunc decrevisse, illum Cruci consecrare, tunc neglectum, *humi jacentem*, ruderibusque, ac terra pene obrutum, ac delitescentem, ut falso item

1 l. XXXVI. c. VIII. 2 ibid. c. XI.
3 c. XI. l. XVI. V. Kircherum in Obelisco Pamphilio, et T. II. Oedipi P. II. p. 315. et Chaussaeum in epist. de Columna Antonini Pii in Eph. lit. Paris. 1704. T. II. p. 540.
4 Pansa Bibl. Vat. p. 98. Jobert. Scien. des Medaill. p. 21. Venuti Num. Pont. p. 139.
5 in vita Xysti V.

opinati sunt Ciampinius [1], Victorellus [2], Ficoronius [3], Marangonius [4], Venutus [5], auctorque Anonymus vitarum *celebrium Architectorum* [6]. Siquidem a Nicephoro Callixto [7] accepimus, quod Alaricus Gothorum Rex, una cum Athaulpho Vxsoris Fratre, in Vrbis depopulatione anno CDX. *iis solum, in quo Petri tumulus est Templo, quod ingens, et amplum est, parcere jussit, quae caussa fuit, ne Romani funditus interirent. Quum enim eó propter timorem quamplurimi confluxissent, ob reverentiam servati, Vrbem denuo aedificiis restaurarunt*. Item ex Orosio [8] discimus, quod etiam Baronius [9] animadvertit, Alaricum, quum passim Romanae opes diriperentur, sacram omnem supellectilem SS. Petri, et Paulli Basilicis reddi, Christianos ad eas confugientes incolumes, utriusque Templi viciniam intactam esse voluisse. Quare proximus Vat. Bas. Obeliscus, quum alii, arietum impetu, suis e basibus dejecti fuerint, uti ajunt Fontana [10], Mercatus [11], Nardinius [12], Owerbechius [13], Contarenus [14], aliique, pristinum statum servavit, atque in sua basi superstes remansit. Ceterum Petr. Angelius Bargaeus aliam hujus rei caussam, eamque probabiliorem profert, quam ex eo praestat audire. Vbi enim agit de aedificiorum Vrbis ever-

1 p. 90.
2 Degli Obelischi santamente convertiti ad onore di Dio cap. II. p. 291. Dell' Obelisco drizzato nella Piazza di S.Pietro c. XXIII. 200. Considerazioni sopra l'Obelisco, o Guglia di S. Pietro c. XXIX. p. 323. *nel libro* De' Ministerj, e delle Operazioni Angeliche.
3 in par. II. Vestig. Vrb. Rom. p. II.
4 Degli Obelischi, o Guglie consagrati all'Idolatria, poscia dedicati alla Croce, e convertiti in adornamento del prospetto delle Chiese. p. 359.
5 T. II. Rom. rec. p. 106.
6 p 296.
7 lib. XIII. c. 35.
8 l. VII. c. 37.
9 T. V. ad an. 410.
10 Tempio Vat.
11 c. 40.
12 p 1501.
13 p. 181. edit. Rollian.
14 p. 869.

soribus [1], quaerit, cur Pontifices, etsi reliquos Obeliscos evertendos curaverint, Vaticano tantum pepercerint, quem suo loco stantem, ac ne tantulum quidem ulla ex parte laesum omnes viderant? Siquidem minime censendum putabat, ceteros Obeliscos, vel fulmine, vel terraemotu dejectos, quum verticum, et ferramentorum vestigia, quibus eversi sunt, palam exstarent in infimae partis lateribus, quae basim spectabant. Quocirca conjiciendum putavit, quum Pontifices a Christianis Imperatoribus Theatra, et Balineas, omnium flagitiorum sedes, ac latebras, evertendi potestatem impetrassent, id etiam iis Obeliscis contigisse, qui Soli, ac Lunae dicati essent. Sed quum nulla superstitionis vestigia in Obelisco Vaticano residerent, quem Augusto, ac Tiberio ab Caligula dicatum ex ipsa inscriptione constabat, iccirco Pontifices de ejus dejectione minime cogitarunt. *Caesarum itaque nomen fuit*, pergit Bargaeus, *quod illum integrum, atque incolumem servavit, quemadmodum etiam Trajani, et Antonini Columnas cochlides, triumphales Arcus Titi, Domitiani, Severi, Gordianorum, ad quorum eversionem nihil omnino erat, cur Pontifices magnopere incitarentur.*

Porro, quoties iidem Pontifices sese ad Bas. Vat. sollemni pompa conferrent, pone *Obeliscum* transibant. Docet enim Ordo XI. [2] *Intrans per Pontem Adriani ante Templum ejus, et juxta* Obeliscum Neronis, *et ante Memoriam Romuli, et per Porticum ascendens in Vaticanum ad Basilicam S. Petri, ubi est Statio*. Atque alibi [3]. *Intrat per Pontem, et exit per Portam Collinam ante Templum, et Castellum Adriani, proficiscens ante* Obeliscum Neronis, *intrat per Porticum, juxta Sepulchrum Romuli, ascendit ad*

1 Florentiae 1548. et in T. IV. Thes. Graevii p. 1891. 2 p. 116. 3 p. 143.

Vaticanum in Bas. B. Petri Apostoli, ibique cum omni Populo Romano cantat Missam.

Qualis tamen cumque fuerit caussa, cur hic unus ex Vrbis Obeliscis e sua basi nunquam revulsus fuerit, de re dubitari minime potest. Id enim quoque Maph. Vegius diserte testatur, ubi ait [1]. *Si vero ingens illud etiam, et insigne antiquitatis monumentum, quod ex tot, tantisque aliis mirum, adhuc integrum, et incorruptum exstat, attendere velimus, Obeliscum scilicet, quem in Vaticano Circo C. Caligula, consecratis ibi Patris Tiberii, Avique Augusti cineribus, admirandam certe, et stupendam molem erexit, cujus erectio tanti aestimata fuit, ut nave, quae illum ex Aegypto advexit, nihil admirabilius in mari unquam visum fuisse memoretur, nihil quoque abiete, arbore ejus navis, cujus crassitudo quattuor hominum ulnas complectentium implebat.* Quibus Vegii verbis mirifice concinit Albertinius in hunc modum [2]. *Obeliscus Vaticani in Circo Neronis a C. Caesare Caligula positus*... aliis vero jacentibus, solus erectus, *stat super basim ejusdem coloris, altitudo cujus est pedum* LXXII.... *in cujus summitate pila deaurata posita est.* Haec autem excerpsit etiam Marlianus, ubi tradidit. *Vnus solus erectus visitur* [3]. Itemque Panvinius, qui ait [4]. *Vbi nunc Basilica S. Petri est, Circus antiquus fuit, cujus adhuc integer suo loco exstat Obeliscus ab ejusdem Basilicae latere; vulgo* Gulia *vocatur*. Neque secus loquitur Andreas Palladius, inquiens [5]. *Vna, che è ancora in piedi dietro la Chiesa di S. Pietro, di altezza di piedi 72, nella sommità della quale vi sono le ceneri di Giulio Cesare*. Ad-

1 n. 29. p. 66.
2 p. 50.
3 in Topogr. l.v.c. xxI. Vrb. Romae 1544. fol. et in T. III. Thes. Graevii p. 250.
4 T. I. ms. p. 96.
5 L'Antichità di Roma. Ven. 1575. 12. pag. 374.

de Antonium M. Gratianum de *scriptis invita Minerva*, ubi Xysti V. gesta recensens, haec habet [1]. *Caligulae primum Obeliscum, qui etsi* solus integer stabat, *tamen in Vaticani angulo, a tergo Templi, ignobili loco, latebat, in Forum ipsum, Areamque, quae latissima ante Templum est, transtulit*. Huc ètiam praecipue facit ejusdem P. A. Bargaei testimonium, qui alibi ita scriptum reliquit [2]. *Remanebat in Vrbe Obeliscus ruderibus ille quidem, et aedium, quae corruerant, parietinis, et coementis poene obrutus: sed quod miraculi loco haberi debeat, nullam omnino vel barbararum nationum, quae captam Vrbem, et eversam solo aequaverunt, et ceteros Obeliscos humi dejectos confregerunt, vel Romanorum etiam ipsorum injuriam passus, aut aeris, et ingruentium ventorum vi, atque intemperie, ulla ex parte vel exesus, vel comminutus, ut ad aliquem alicujus aetatis usum, et felicitatem conservari videretur. At qua in Vrbis parte remanebat? nempe in Vaticano, atque in ipso Caii, et Neronis Circo... Itaque ille quidem sic delitescebat, ut et scelerum, quae illic commissa fuerant cum plurima, tum immania, recordatione, et memoria quasi lugere, et loci relligionem, et frequentiam perhorrere, ac reformidare quodammodo videretur.... Stabat itaque trabs illa saxea, quamquam in obscuro loco, in Vaticano tamen, visebaturque quotidie ab externis nationibus, non omnino sine Christianae pietatis detrimento. A sacrosanctis enim Altaribus, ac locis piis in sui admirationem omnium oculos convertebat; quorum etiam plerique Caesaris cineres venerabantur, quos in sphaera illa inaurata, quam Obelisco impositam videbant, falso ex vulgi opinione sibi persuaserant.*

1 T. I. p. 216.
2 in Comment. de Obelisco ad Sixt. V. Romae 1586. 4. pag. 70. ac in T. IV. Thes. Graevii p. 1931.

Quod vero Obeliscus *Sacrario* continens esset, id omnes ferme Scriptores, qui de eo pertractarunt, diserte testantur. Non heic eorum indicem attexam, neque tamen nullum, exempli caussa, proferam. Huc igitur, excerpta subjiciam ex opere Philippi Pigafettae inscripto. *Discorso intorno all' Historia della Agulia, et alla ragione del muoverla* [1]. *Sta hora questa Aguglia* dietro la Sacrestia *di quella Chiesa, et quasi la tocca contra Ponente, et a Tramontana, presso casette, et in via fangosa, et ristretta, et non rigguardevole*. His gemina habet Petrus Galesinius [2], ubi sic loquitur. *Situs unde evulsus est, prope attigit* Sacrarium *Bas. S. Petri, quod ad meridiem vergit*. Praeterea id tabulae docent, tum antiquiores Demontiosii [3], et Gamuccii [4], tum quae in spissum Fontanae volumen relatae sunt. His accedit Bonanniana [5], in qua prospectus lateralis antiquae Basilicae, et locus Obelisci ante Xysti V. Pontificatum accurate designatur, ut videre est in hujusce libri fronte, praeter omnium ferme Scriptorum testimonia. Sed ut Mercatum [6], Pancirolum [7], ejusque editores Franc. Posterla, et Franc. Cecconi [8], Panvinium [9], Julian. Pouchard [10], Vgonium [11], Alverum [12], Vaccondium [13], Marangonium [14], Sergardum [15], ceterosque praetermittam, unum heic audire placet. Ciampinium, qui ita scribit [16]. *Praecipuum, et principale Circi signum erat Obeliscus, qui nunc ante Basilicam cernitur, olim situs pro-*

1 Roma 1586. 4.
2 Ordo dedicationis Obelisci, quem Sixtus V. in foro Vaticano ad limina Apostolorum erexit. Romae 1586. 4.
3 p. 10. 4 p. 195. 5 Tab.74. p. 196.
6 p. 365. 7 p. 519.
8 p. 344. Roma Sagra e Moderna 1725.
9 de ludis Circ. in T. IX. Thes. Grae. p. 240.
10 Reflexions sur les Obelisques. dans l'Hist. de l'Acad. des Inscript. T. I. p 239.
11 p. 101. 12 p. 28. 13 p. 82.
14 nel Pellegrino divoto p. 147.
15 Discorso sopra il nuovo ornato della Guglia di S. Pietro. Roma 1723. fol. p. 3. et in nupera ejus Opp. edit. Senensi.
16 p. 28.

pe, ubi nunc Sacrarium. Et rursus alibi [1]. *Ab hujus Sacelli tergo magnus ille Obeliscus jacebat, qui antequam a Constantino Caesar. Caii Neronis demoliretur Circus, in ejus medio olim steterat, cujus in summitate pomum ex aere deauratum erat, in quo Iulii Caesaris cineres fuisse conditas, fama depraedicabat*.

Verum hoc multo ante testatum reliquit Anonymus de *Mirabilibus Romae*, cujus locus talis est [2]. *Infra Palatium Neronianum est Templum Apollinis... Ibique aliud Templum, quod fuit* Aerarium Neronis, *ubi nunc est* Ecclesia S. Andreae, *juxta quod est memoria Caesaris, id est* Agulia, *ubi splendide cinis ejus in suo sarcophago, idest aureo malo requiescit: ut sicut eo vivente, totus Mundus ei subjectus fuit, ita ut eo mortuo, omnia alia defunctorum corpora sibi subjicerentur. Superius vero in gyro mali aurei scriptum est*, tantus erat, quantus et Orbis, sed nunc in modico clauditur antro. *Inferius vero graecis litteris ista carmina sunt descripta*.

Si lapis est unus, dic, qua fuit arte levatus?
Et si sint plures, dic, ubi contigui?

Haec eadem paullo contractius, pluribusque mendis scatentia, occurrunt in libello inscripto, *Mirabilia Vrbis Romae*, usque ab anno MDXXXVII. per Valerium Doricum in lucem edito, ubi legitur. *De Agulea S. Petri. Ibi est memoria Caesaris, ubi splendidus cinis in suo sacrotagio, idest malo ereo requiescit, ut sicut eo vivente totus mundus ei subjectus erat, sic ipso mortuo, omnia corpora mortuorum sibi subjacerent, ubi in giro mali scriptum est*, Cesar tantus erat, quo nullus major in orbe. Sed in modico nunc tam magnus clauditur antro. Intra scriptura stat Cae-

1 n. 171. 2 in Diar. Ital. p. 282.

saris alta columna, regia structura, quantum non exstat in aula; si lapis est unus, qua fuit arte levatus, et si sine plures, dic ubi congeries? Ac rursus Anonymus apud Montfauconium alio loco, cui hunc titulum praefixit [1]. *Item ea, quae sequuntur, sunt de Vaticano, et Agulia in Roma, quorum etiam pars major scripta est supra, sed ibi quidem brevius, heic autem prolixius narratur. Infra Palatium Neronianum est Templum Apollinis, quod dicitur S. Petronilla ..... ibique est aliud Templum, quod fuit Vestarum* (sic) *Neronis, quod nunc vocatur* Sanctus Andreas, *juxta quod est* memoria Caesaris, *idest* Agulia, *ubi splendide civis ejus in suo sarcofago requiescit, ut sicut eo vivente totus Mundus ei subjectus fuit, ita eo mortuo usque in finem seculi. Cujus memoria inferius ornata fuit tabulis aereis, et deauratis litteris latinis decenter depicta; superius vero ad alam, auro, et pretiosis lapidibus, ubi scriptum erat* Caesar tantus eras, quantus et Orbis, sed nunc in modico clauderis antro, *et haec memoria sacrata fuit suo more, sicut adhuc apparet, et legitur.* Eosdem plane versiculos expressit Poeta nescio quis, in iis tamquam exemplar, ac typum, quem sequeretur, agnoscens, in Epicedio Leonis III, et Karoli M. apud Oldoinium [2].

Quod vero Iulii Caesaris cineres, in Obelisci vertice conditi essent, diuturnitas temporis omnibus adeo persuaserat, ut eruditiores etiam deceperit. Nam, ut Petrarcam [3], L. Maurum [4], Sanctum [5], Vgonium [6], Palladium [7], Gamuccium [8], Vaccondium [9], aliosque praeteream, falsam sibi hujus rei persuasionem induisse demonstrat Alpha-

1 ibid. p. 290.
2 T. I. Ciacc. in vita Leo III. col. 577.
3 l. VI. epist. LXXXVIII.
4 p. 113.
5 nelle Maraviglie di Roma p. 113.
6 p. 91.
7 Ant. di Roma.
8 Ant. di Roma p. 195.
9 p. 82.

ranus forte deceptus ex iis, quae in Leonis IX. diplomate occurrunt [1], *via, quae vadit ad Aguliam, a tertio alia via venit ab Agulia, quae vocatur sepulcrum Iulii Caesaris*. Ait enim [2]. *Post hoc Sacellum* (SS. Andreae, et Jac. Maj.) *extra Templi parietes adhuc exstat magnus Obeliscus, qui exstabat in medio Circi Caii Neronis, antequam a Constantino Imperatore destrueretur, in cujus aculei summitate, in aeneo pomo deaurato, Iulii Caesaris Imp. cineres inesse fama est. Hic Obeliscus vulgo dicitur, la* Guglia di San Pietro; quam Andr. Fulvius *Iuliam* vulgo nuncupatam fuisse tradidit, hoc modo [3]. *Fuit Neronis Circus in Vaticano, ubi adhuc erectus visitur Obeliscus, quem imperita multitudo* Juliam S. Petri *vocat*, quemque Ordo xI. vocat *Auguliam*, ubi ait [4]. *Sacri Palatii Ordines hospitantur in domo Auguliae*. Hanc eamdem opinionem in vulgus disseminavit Lud. Demontiosus, inquiens [5]. *Fama est, Iulii Caesaris cineres conditos fuisse pila aenea, quae est in cacumine Obelisci, qui est in Vaticano*. Verum Dom. Fontana, quemadmodum testatur Ant. Ciccarelli [6], omnino falsa haec esse deprehendit. Nam globum aereum in summo Obelisco positum, non conflatum, atque inanem, sed holosphyratum invenit, nullamque in eo commissam animadvertit, per quam Imperatoris cineres immitti in ipsum possent, praeter nonnulla foramina, quibus pertusus fuerat a globis missilibus, in postrema Vrbis direptione, ut conjecit Mercatus [7]; qui praeterea tunc temporis Obeliscum, inferna sui parte, aere spoliatum putat, quo amictum fuisse tradidit Franciscus Petrarca.

1 T. I. Bull. Vat. p. 25.
2 ms. num. 171.
3 lib. IV. Rom. ant. Ven. 1543. 8. p. 155.
4 p. 122.
5 p. 21. in Gallo Romae hospite.
6 in vita Xysti V.
7 p. 244.

Et sane alia de caussa Romani veteres, ut Aegyptiorum exemplum imitarentur, globos aereos in Obeliscorum verticibus collocare solebant, nempe ut indicarent, si Bonannii [1] doctrinam audias, hominum vitam in Obelisco expressam, sensim minui, ejusque finem, instar globi cum Obelisco, cum Caelo esse conjungendum. Quam etiam ob caussam globos imponebant Columnis, miliaria indicantibus, ut scilicet salutari hoc documento viatores omnes tacite quodammodo erudirentur. De quibus, si tanti rem duces, praeter ceteros [2] consulendus est Lucas Holstenius [3].

Verum haec utcumque sint, allata scriptorum loca, (quod ego unum contendo, quaeque ipsorum afferendorum caussa exstitit), satis aperte probant, pone *Sacrarium Bas.*, Obeliscum stetisse. Quid autem plura addamus, quum ab Alpharano [4] memoriae traditum sit, eo tempore, quo eumdem ex antiqua sede evelli, atque in aream Vaticanam Xystus V. transferri mandavit, ut augustissimi Templi Vestibulum non modo ornare, sed etiam venerari, quodammodo videretur, *Sacellum Callixti* III, *et eorum Sepulcra, quae ibi impedimento erant, ad depositionem praefati Obelisci, demolitum fuisse*? Tota enimvero *Sacrarii*, a cujus tergo situs erat, parietis pars dejecta fuit, ut eadem immanis moles, supra ligneam ma-

1 p. 198.

2 Fabrettus de Aquis Diss. t. num. 48. Bergierius de viis Militaribus. Didacus Revillas. diss. sopra la Colonna degli antichi, chiamata *Milliarium aureum*. 4, et Andreas Lamejus. dissert. de Columna Milliari apud Bigomagum ad Rhenum inventa. in T. IV. Hist. et Comment. Acad. Elect. Scientiar. et elegantior. literar. Manhem. 1781. pag. 39.

3 de Milliario aureo, in posthumis ejus notis ad Stephanum Byzantinum. Lugd. Bat. 1692. p. 388.

4 ms. p. 37. Dopo la Cappella, et sepolcro di Callisto III. vi è l'Aguglia di Cesare Augusto, fuore di questo Tempio verso Levante, quale era nel mezzo del Cerchio di Caio, et Nerone.

chinam, tota quanta esset, facilius sterneretur, *ejusque basis*, ut ex Grimaldo habemus apud Sindonium [1], *in ejus demissione ad medium usque Sacrarii pavimentum pervenit*. Id etiam Hieronymus Ferrutius confirmat in supplemento, quod Marliani libris adtexuit, et apud Johannem Pffaumerum in *Mercurio Italico Hospiti fido* [2], cujus verba praestat referre. *Quum Lapis hic*," inquit, *erectus esset prope antiquam Tribunam, quod* Sacrarium *hodie est Basilicae Principis Apostolorum, frangendus fuit paries* Sacrarii *ab utroque latere*, (*ex eoque sepulcrum Callixti* III. *Pont. quod in ea* Sacrarii *parte intrinsecus exstabat, tollendum, atque in Ecclesia reponendum*), *ut dum curvaretur calix Obelisci, sensim retrotraheretur, si probe memini, rotis, seu organis, quo mox paullatim in ipsa declinatione pondus machinae ad terram vergentis tum diminueretur, tum ex quo rectius res procederet, ut penitus scilicet prostrata mole, radix Obelisci leniter in columine reperiretur*. Quare, meo quidem animo, vel ex hoc uno manifestum fit, hujusce Templi constructionem ad Christiana tempora referendam esse. Nunquam enim, ut jam diximus, in area, libero quadrigarum cursui destinata, a Romanis erectum fuisset, multoque minus prope Obeliscum, qui ex omni Circi parte, a quolibet conspiciendus erat.

§. IV.

Num hoc Templum fuerit Vestiarium, aut Aerarium Neronis, an potius Mausoleum Honorii?

Atque haec rationum momenta, alteram Petri Mallii [3], quam Anonymus [4] sequutus est, de *Neronis Aerario*, seu *Vestiario* sententiam, non minus explodendam demon-

1 p. 81. 2 p. 350. 3 c. 11. 4 p. 287.

strant. Ac propterea cum Maph. Vegio [1] statuendum est, in media Circi area, *Neronis Vestiarium* nunquam exstare potuisse.

Rursus cui, quaeso, erit credibile, quod supra [2] a Bullingero audivimus, nonnullos putasse, molem hanc rotundam, *Honorii Mausoleum* fuisse; quum ex allatis monumentis, et scriptorum testimoniis, perspicue constet, in altero Templo rotundo B. *Petronillae*, detectum fuisse?

Quae, ni omnia me fallunt, apertissime suadent, omnes variarum hujusmodi opinionum patronos omnino esse deserendos, quippe qui a veritate toto, ut dicitur caelo aberrarunt. Sed inter ceteros, Marangonium gravissime lapsum agnosces, qui [3] Templum hoc, cum *Marti* sacrum, tum *extra* Circum erectum fuisse pronunciavit, quum tamen Obeliscum, cui Templum ipsum insidebat, in *Circi meditullio* constructum docuerit. Praeterea alia sunt etiam, quae in eo reprehendas, ut quod una cum Pancirolo, in eodem Templo triumphantem morari consuevisse, perperam existimaverit, quodque *octo* albis columnis ornatum illud fuisse scripserit, quas ad Oratorium Gregorianum supra [4] descriptum, spectasse demonstravimus. Ceterum fatendum est, ipsum Marangonium in posteriori opusculo, tamquam palinodiam cecinisse. Ibi enim non modo, quod antea scripserat, de *jacente Obelisco*, retractavit [5], sed etiam ob ejusdem propinquitatem, dejectum *Sacrarium* [6], nusquam *Marti* sacrum, neque Templum S. *Petronillae*, *Apollini* olim dicatum esse potuisse, recte argumentatus est.

1 p. 227. 2 p. 1035. 1041. 5 nel Pellegrino divoto p. 68.
3 c. LII. p. 261. 4 p. 778. 6 ibid. p. 147.

Non negaverim tamen, aliqua esse, quibus nostrae conjecturae in speciem infirmari possent. Esto enim, dices, nusquam hoc Templum Nero, qui Circum ad liberum quadrigarum cursum construxit, *Marti*, vel *Matri Deûm* erigi jusserit, nec ibidem suum *Vestiarium* erexerit? Quid tamen vetat, quominus idem, post Neronis obitum, sive iis, sive alteri cuipiam superstitioso Numini dedicatum fuisse arbitremur? Atqui, Nerone mortuo, Circum Vatic. non amplius ludis Circensibus inserviisse, ex auctorum silentio arguendum est. Quare minus, meo judicio, conjectura aberraverit, si quis dicat, veteres deinceps eodem loco Templa exaedificasse, ut in Vaticano Colle sacrae Sodalitates ad ea peragenda, quae instituti sui erant, commodius coalescerent, nulla deinde habita Obelisci ratione, quem libere conspici, nihil amplius intererat, desitis ibidem pompis Circensibus celebrari. Idque eô magis simile veri videbitur, quod in hujus Templi demolitione, non solum LX, et amplius lateres, Antoninorum aetatis reperti sunt, sed etiam binae tabulae marmoreae Fratrum Arvalium, quae ad Elagabali Principatum pertinent. Quis autem non videt, Vgonii conjecturam mirifice his confirmari, qui Templum hoc *Matri Deûm* dicatum fuisse tradidit, quod, dum meridionalis Basilicae navis fundamenta jacerentur, aliud etiam fragmentum actorum Fratrum Arvalium repertum est cum pluribus aris, in quibus Sacerdotum Mithrae initiationes, criobolio, taurobolioque perfecto, insculptae visebantur?



§. V.

De Ludis Circensibus ab Elagabalo in Circo Vaticano editis.

Etsi nuper allata argumenta majorem profecto vim habent, multoque ceteris probabiliora videntur, nostram tamen sententiam, ni vehementer fallor, nequaquam evertunt. Falsum est enim, Circum Vaticanum, post Neronis interitum, ludis Circensibus non amplius inserviisse; ac proinde ibidem Templa insequutis temporibus erigi potuisse. Siquidem ex Aelio Lampridio habemus, ipsum Elagabalum, ad cujus aetatem reperta marmorum fragmenta referuntur, ibidem Circensium ludorum spectacula edidisse. Ait enim in ejus vita [1]. *Fertur in euripis vino plenis Navales Circenses exhibuisse, pallia de aenanthio fudisse, et Elephantorum quattuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris, quae obsistebant; junxisse etiam Camelos quaternos ad currus in Circo, privato spectaculo*. Qui quidem ludi, minime dubium suboriri potest, an in Circo Neroniano celebrati fuerint, etsi *privati* dicantur. Sic enim eos Lampridius vocavit, ut egregie in hunc locum adnotavit Casaubonus, quod a privatis Elagabali aurigis peragerentur, qui, instar aliorum Imperatorum, Agitatorum, Histrionum, Gladiatorum greges alebat. Quare si Elagabalus, ut Elephantorum, seu Camelorum quadrigas undecumque facilius in Circo agitaret, sepulcra disjecit, quae fortasse [2] erecta fuerant, postquam Circus ludis insolentius inservire coepit, quisnam credat, tantae molis Templum, *Matri Deûm* ibidem ab eo erigi potuisse?

1 p. 490.

2 Baronius ann. LXIV. et ccxI. Argolus in not. ad Panvinium de ludis Circensibus in T. IX. Thes. Graevii p. 741.

Sed illud praeterea animadverti velim, quod Historici tradunt. Herodianus [1] diserte testatur, Elagabalum, *vix in Vrbem pervenit*, tanta superstitione fuisse, ut *Templum maximum, pulcherrimumque Deo* erigeret, *Idolo* nimirum *cognomini suo*. Nam *Elagabalum*, ut docet Aelius Lampridius [2], *in Palatino Monte, juxta Aedes Imperatorias*, nimirum *eo loco, in quo prius Aedes Circi fuit* [3], *consecravit, eique Templum fecit .... studens et Matris Typum, et Vestae Ignem, et Palladium, et Ancilia, et omnia Romanis veneranda in illud transferre Templum, et id agens, ne quis Romae Deus, nisi* Eliogabalus *coleretur; dicens praeterea, Iudaeorum, et Samaritanorum relligiones, et Christianorum devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum*, Eliogabali *Sacerdotium teneret. Nec*, pergit idem Lampridius [4], *Romanas tantum extinguere voluit relligiones, sed per Orbem terrae, unum studens, ut* Eliogabalus Deus *ubique coleretur*.

Age nunc. Si Elagabalus in id totus incubuit, ut cetera Deorum Templa spoliaret, omnemque relligionis cultum ab Vrbe, imo ab universo Orbe praestandum, ad cognomen Idolum perduceret, eritne, qui sibi serio persuadeat, eum de Templo alteri Numini apud Circum Vaticanum excitando cogitasse? Praestat vero ejusdem Idoli descriptionem ab Herodiano audire [5]. *Simulacrum vero nullum graeco, aut Romano more manufactum ad ejus Dei similitudinem, sed lapis est maximus, ab intro rotundus, et sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram, niger lapidi color, quem etiam jactant caelitus decidisse. Eminent*

1 lib. v. cap. v.

2 in ejus vita p. 461.

3 Lamprid. c. 1. Borrich. ant. Vrb. Fac. c. XII. §. 2. Argol. in Panvin. de Lud. Circensib. l. 8. Fannus ant. Vrb. Rom. 11. 21.

4 ibid. p. 465.

5 lib. v. Hist.

in lapide quaedam, formaeque nonnullae visuntur, ac Solis imaginem illam esse confirmant, non humano artificio fabrefactam.

At enim erit fortasse, qui credat, idem Templum anteà ab aliis, puta ab Aelio Adriano, sive Antoninis erectum, ibi jam exstitisse; quum scribat paullo infra idem Lampridius, *Matris etiam Deûm sacra accepit, et tauroboliatus est, ut Typum erigeret, et alia sacra, quae penitus habentur condita. Iactavit autem caput inter praecisos Phanaticos, et genitalia sibi devinxit, et omnia fecit, quae Galli facere solent, ablatumque sanctum Numen in Penetrale Dei sui transtulit.* Heic vero, quod nuper proposui, argumentum recurrit. Si enim Templum, Elagabali principatu ibidem exstitisset, nonne ad Elephantorum, et Camelorum quadrigas libere in Circo omnifariam agitandas, majori, quam dejecta sepulcra, impedimento futurum fuisset? Nec illud primum omnium ab eo diruendum adfirmabimus?

§. VI.

Quid de Inscriptionum fragmentis, ac lateribus in Sacrarii fundamentorum effossione repertis sentiendum?

Praeterea, etsi Lampridius Elagabalum *tauroboliatum* fuisse scripsit, idque duae tabulae marmoreae e *Sacrarii* fundamentis egestae, quae sollemnibus formulis, et precationibus eum in Fratrum Arvalium Collegium cooptatum fuisse docent, plane confirmant, non inde tamen fiet, ut in Circi Neroniani meditullio Templum *Matris Deûm* statuendum sit, potiusquam in altera qualibet parte Vaticani Collis, ubi sacra *Matris Magnae* celebrare consueverant. Nunquam enim certe Kippingio, et mar-

morum Taurinensium illustratoribus [1] adsentiam, haec in Circo Flaminio peracta fuisse, quum non modo ex inscriptione Lugdunensi, sed etiam ex iis, quae in eodem Circo Vaticano detectae sunt, satis abunde constet, ibidem tantummodo hujusmodi caeremonias de more praestitas fuisse.

Neque porro, quae eodem in loco reperta sunt antiquae idololatriae vestigia, probant, haec Templa profano cultui fuisse primitus destinata; quin imo, si quid video, rem longe secus esse, aperte demonstrant. Si enim hujusmodi Templa *Apollini*, et *Matri Deûm* Veteres erexissent, ut ibi *tripodiarent*, *saliare carmen* concinerent, omni demum superstitionis generi, *clusis aedibus* indulgerent, anne in eorum fundamenta tabulas projecissent, quibus, ad stabilem, diuturnamque memoriam suae relligionis ritus, ac caeremonias insculpserant? Quin illas diligentissime adservassent, ac relligione prope quadam prosequuti fuissent. Atqui tamen haec veterum monumentorum frusta, magnam partem mutila, ac detruncata, ab iis tantum, qui Templa aedificarunt, in eorum fundamentis collocari potuere.

Quid ni ergo potius cum Severano [2] colligamus, veteres Christianos, ut omnem superstitionis memoriam, quae juxta sanctiorem Vrbis Basilicam sese audacter ingesserat, penitus delerent, dum haec Templa Christiano cultu dedicanda excitarent, in eorum fundamentis hujusmodi tabulas occuluisse? Mirandum enim minime est, ut recte Blanchinius [3], *si arae ipsae fractae, et acervatim sepultae repertae sint*, quod hoc eos in superstitionis odium de industria fecisse censendum est.

1 Par. I. p. 26. 2 T. I. p. 95. 3 in Anastas. praef.

Et sane nusquam certe in ipsis veterum aedificiorum fundamentis effossum est, quod in propatulo, ac in digniore Templi loco esse debuisset. Verum fere semper signa, numos, anaglypha, inscriptiones, aliaque id genus, e Christianarum aedium, quae supra Ethnicorum Aedificia constructa fuerant, ruinis emersa fuisse constat.

Nil autem moror, quod ibi etiam lateres permulti, Adriani, et Antoninorum aetatis, reperti fuerint, qui apud praestantissimum Cajetanum Marinium adservantur, lucemque praestolantur. Nam vel eos in sacrum usum eadem de caussa Christiani adhibuerunt; vel, quod longe verisimillimum, quum aliis coementis boni illi carerent, priscis hisce monumentorum ruderibus, quae illis ad manus venerant, et heic usi sunt, quemadmodum eos, alias quoque, lapides, et coementa ex muris disjectis, perruptisque, iterum aedificio struendo adhibuisse, et modo etiam fieri, satis constat, uti pluribus allatis exemplis docet Marangonius [1]. Verum hanc laterum congeriem facilius reperire potuerunt in Campo Vaticano, ubi plures antiquitus Figulinas exstitisse scimus. Narrat enim Plinius [2], quod *Vitellius in Principatu suo II° decies condidit patinam, cui faciendae fornax in Campis exaedificata erat*. Ibi autem, uti notat Harduinus, Campos Vaticanos intelligit, de quibus ita Livius etiam loquitur [3]. *Quorum terram Argillam esse ad Fabricam commodissimam videmus*. Ac demum, ne plura congeramus, Juvenalis, et Martialis testimonium praestat proferre quorum primus cecinit [4].

Et Vaticano fragiles de Monte patellas

1 c. x. p. 38.
2 lib. xxxiv. c. xiI.
3 lib. xx.
4 Sat. 6.

Alter vero [1].

In Vaticanis condita musta cadis.

Equidem non ignoro, Viros in antiquitate investiganda peritissimos, Laterum inscriptorum indicio, veterum aedificiorum aetatem explorasse, quos inter Blondus Flavius [2], Octavius Falconerius [3], Fabrettus [4], Ciampinius [5], Ioh. Georg. Estor [6], Brissonius [7], et Alph. Belgradus [8], praecipue numerandi sunt. *Habent* enim, ut recte inquit idem Ciampinius [9], *saxa, aera, lapides, et quaecunque vetusta monumenta quodammodo voces suas, quibus non tam res gestas majorum, quam et originem, aetatemque suam bene advertentibus, absque litteris indicant.* Verum hoc argumentum non aeque ponderosum semper esse debet; ac, quod ad rem nostram spectat, modo allatis rationum momentis omnino everti, nemo non videt. Enimvero, ut caussa omnino caderem, si Lateres Symmachi aevo fabrefacti in aede, quam Adriano, sive Antoninis adscribendam esse contenderem, in apricum prolati essent, contra nil profecto mirum, in Templo a Symmacho constructo lateres Adriani, et Antoninorum aetatem praeferentes, repertos fuisse, qui antea fortasse proximo *Apollinis* Templo inservierant, quoque dejecto ad Confessionem B. Petri erigendam, vel e proximis figulinis integri adhuc supererant. Ac ut tandem rem absolvam, Adriano Templum non esse adsignandum,

1 lib. I. Epigr. XIX.

2 Rom. Inst. l. II. num. XII.

3 in Epist. ad Kar. Dati in T. IV. antiqq. Rom. Graevii, et in T. IV. Romae Nardinii, et de tegulis bipedalibus, et sesquipedalibus Inscript. Vet. p. 511.

4 de Col. Trajani c. VII.

5 de sacr. Aedif. p. 30.

6 in P. III. Opuscul. Sect. I.

7 de altitudine antiquorum aedificiorum, parietum crassitie, et spatio inter aedes vicinas. lib. I. c. I. antiquit. Iuris.

8 de crassitie laterum, quibus veteres in magnis molibus, et substructionibus utebantur. in Tom. IV. Symbol. Gorii Florent. p. 129.

9 Vet. Mon. Par. I. c. VIII. p. 65.

apertissime evincunt ipsa acta Fratrum Arvalium ibidem reperta, quae pertinent ad annos aerae nostrae CCXVIII, et consequentes. Quî enim, amabo, fieri potuit, ut in fundamentis Templi ab eodem constructi, marmora laterent, quae Elagabali nondum nati, ac post unum ferme seculum Imperio potiti [1], stultitiam proderent? Jam vero postquam aperte probavimus, hoc Templum neque Adriano, neque Elagabalo esse adcensendum, non video, cur Symmachus iis lateribus uti non potuit, quibus redivivis usus certe est, quicumque post Adrianum, et Elagabalum Templum ex integro aedificavit. Sed cur hanc laudem Symmacho praeripiamus, cui tot, tantaque testimonia inferius a nobis proferenda, elatis quasi vocibus, debendam profitentur?

Adde illis et hoc, quod Constantini pietas eximia nobis suppeditat. Quum enim honori Principis Apostolorum Basil. Vat. erexit, si jam tum hujusmodi Templa fabulosorum Numinum exstitissent, solo dejicere, aut saltem a profano cultu rite expurgata, ac sacris legitimis expiata, vero Numini dedicare, utique non neglexisset. Verum hoc ab eo minime praestitum fuisse, omnium Scriptorum, ac praecipue Anastasii silentium evincit, qui praeterea Templi hujus originem, nobis, ut infra videbimus, apertissime declarabit.

Haud enim iis subscribendum censeo, qui Anastasium, quum antiquorum Pontificum gesta recenset, credulitatis, levitatis, inscitiae facile incusant. Age, quaeso, cui fidem habebimus, si Anastasio derogamus? Ex

1 V. Virginii Valsechi de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunicia Potestate. V. Dissertat. Florentiae 1711. in 4. et Phil. a Turre de annis Imperat M. Ant. Elagabali Dissertat. nunc primum edit. Venetiis 1741. 4.

quonam fonte veterum Pontificum notitias hauriemus, si hunc, tamquam limosum, ac lutulentum, evitamus? Quot alia, multo graviora negari possent, si tam leviter Anastasii auctoritatem repudiemus? Videant igitur Critici isti intemperantes, ne dum eruditi, ac ingeniosi videri volunt, parum cauti videantur.

Demus tamen, si volunt, contra CC. VV. Papebrochii [1], Holstenii [2], Schelestrati [3], Ciampinii [4], Ant. Dad. Alteserrae [5], et Blanchinii vindicias, quas primum separatim editas, deinde magnam partem, junctim collectas evulgavit Muratorius [6], Anastasii auctoritatem elevari posse [7] circa ea, quae primis Christianae Reip. seculis contigerunt; his tamen nullo certe pacto adsentiendum reor de iis, quae ad Magnum Constantinum pertinent. Nam donaria, quae a pientissimo Augusto, Principibus Apostolorum, aliisque sanctis Romanae Vrbis Propugnatoribus oblata Anastasius refert, atque a Cl. Blanchinio [8] primum, deinde copiosius, atque accuratius a Franc. Ant. Zaccaria in eruditissima Dissertatione de *antiquis S. R. E. Patrimoniis* [9] collecta, atque ordine proposita habemus, Scriptorem produnt, cui vetera donationum instrumenta e Tabulariis praesto erant, quique ad Constantinianae aetatis monumenta suam qualemcumque historiam exigebat.

Quamquam liberalius agam, et in his Anastasium deseram. Verum nonnullius illum esse auctoritatis in illis saltem, quae Sec. vII, aut vIII. pertingunt, nemo

1 in Propilaeo Maii.
2 in Correct. lib. Pontif.
3 in ant. Eccl. illustrata. Rom. 1692. fol.
4 In Examine lib. Pont. Romae 1688. 4.
5 Notae., et Observationes in Anastas. Paris. 1680. fol. et in edit. Anastas. Blanch.
6 Tom. III. Script. rer. Ital. par. I.
7 V. Casimir. Oudin. Dissert. de operibus Anastasii R. E. Bibl. in Commentar. de Script. Eccl. T. I. Lips. 1722. fol.
8 in Praef. Tom. II. Anastas. in vita S. Silvestri.
9 T. II. diss. latin. Fulginiae editarum dissert. 2. p. 76.

unus diffiteatur. Quum autem ex eodem luculenter appareat, S. *Petronillae* Templum, quod ethnicum itidem censebatur, a Stephano II. erectum fuisse, consequens inde est, hoc etiam, de quo disserimus, eodem in Circo collocatum, ac similis plane formae, ad Christianorum esse tempora referendum. Quumque abunde demonstratum sit, Templi S. *Andreae*, quod Symmachus erexit, positum, non esse in *aditu* Templi *S. Petronillae*, ubi tantum Altare S. Andreae sacrum exstabat, agnoscendum, quamvis idem prope Basilicam Vaticanam exstitisse compertum sit, quis aegre sibi persuadeat, hoc esse statuendum, ubi quamplures Templum *Martis*, seu *Matris Deûm* fuisse, hactenus opinati sunt?

§. VII.

Ex utriusque Templi dedicatione Seculo VIII, *ac* XII. *assignata, profana minime illa esse probatur.*

Praeterea, cui mirum non videretur, haec duo Templa, si ab Ethnicis fuissent constructa, tamdiu stetisse, etsi Theodosius minor monumenta veteris superstitionis, ritusque omnes profanos edicto sustulit, quo sanxit anno CDXXVI [1], *cuncta* (Ethnicorum) *Fana, Templa, Delubra, si qua etiam nunc restant integra, praecepto Magistratuum destrui, conlocationeque venerandae Christianae religionis signi expiari*? Atqui probe notum est, quam vehemens, atque incensum fuerit Christianorum studium, quaecumque exstabant Ethnicorum Templa, quaeque primum sub Constantino M., Theodosio, Constantio [2], et Honorio [3], aliisque Imperatoribus occlusa tantum fue-

1 xxv. Ord. Theodos. sub tit. de Paganis, Sacrificiis, et Templis.

2 in Cod. Theod. l. xvI. tit. x. de Pag. Sacr. et Templ. lib. IV.

3 ibid. leg. xvIII.

rant, deinde una cum Idolorum reliquiis funditus etiam usquequaque evertendi, ut ex Gentilium querelis, Imperatorum legibus, Conciliorum decretis, Eusebio [1], Sozomeno [2], Socrate [3], Theodoreto [4], Prospero [5], Augustino [6], Justello [7], et Beveregio [8], ac praecipue ex Ioh. Guil. Hoffmanni *ruina superstitionis paganae* [9], et ex Ioh. Fabricio in *Salutari Luce Evangelii* [10], facile possem demonstrare.

At vero heic aliquis, quasi de transverso occurrens, Gothofredi [11] mihi verba fortasse objiciat; *destruendi vox tam in hac lege, quam in alia Theodosii M. accipi commode potest, pro superstitione sua spoliari, ut videlicet mox expiata Templa in Ecclesias convertantur. Sub Theodosio M.* pergit vir doctus, *Pagani ipsi Templa sua dirui aegre ferentes, ea alios, et publicos in usus saltem mutari volebant, quod ferme argumentum est orationis Libanii pro Templis* [12]. *Vide Augustini epistolam ad Maximum Madurensem. Et vero ea mutata in eos usus ostendit Lex* XIX. Cui tamen multa plane haberem, quae possem reponere. Non solum enim hujusmodi interpretationi refragantur, quae Theodoritus [13] de hac Theodosii lege memoriae consignavit, sed etiam ipsa ejusdem legis verba, quibus Templorum *destructio* satis luculenter ab *expiatione* distinguitur.

Verum Gothofredo, ejusque sectatoribus subscribam; ac propterea, quum alia quoque Ethnicorum Templa nunquam deleta fuisse constet, Theodosii Junioris legem pro Illyrico Orientali, minime vero pro Vrbe conditam

1 lib. IV. 2 vIl. 15. 3 v. 16.
4 v. 37. 5 de promissionib. p. 102.
6 epist. ad Max.
7 ad Can. Afric. 58. et 84.
8 ad Can. LXII. p. 707.
9 Witteb. 1738. 4.
10 ibid. 1738. 4. p. 275. seqq.
11 Comment. in Leg. Theod. Iun. p. 296. Tom. vI.
12 p. 26. 13 lib. v. c. 37.

fuisse concedam; eo magis, quod ut legem Constantis evulgatam anno CCCXLII. [1], *de non evertendis Templis extra muros Vrbis Romae*, alteramque Honorii *de Templis non evertendis*, latam anno CCCXCIX. [2], aliamque de *publicorum operum ornamentis non evertendis* [3], quodammodo instauraret, haud ignorem, Gregorium M. [4] *de non evertendis, sed consecrandis, et expiandis aqua benedicta, ac per Martyrum reliquias Gentilium Templis*, decretum condidisse, de quo plura apud Baronium [5], et Joh. Georgium Keyslerium [6], quidquid contra magni Pontificis osoribus visum fuerit. Quid inde? Num iccirco Templa, de quibus disputamus, ab Ethnicis erecta, deinde primum (quae duo sunt antiquiores epochae ad eorum expiationem assignatae) a Paullo I. *Apollinis* Templum *B. Petronillae* dedicatum, alterum vero *Martis*, Sec. XII. *B. M. Febrium* consecratum fuisse judicabimus? Minime vero. Quaeso enim, quonam pacto Christiani veteres Theodosianae legi obtemperâssent, si tantum in VIII, ac XII. seculo, hujusmodi Templa a profana superstitione purgassent? Rursus, quis unquam sibi persuadeat, pone sanctiorem Vrbis locum, qualis certe habebatur Petri Confessio, vel post ipsius Gregorii decretum, tam sero relligiosissimos Viros ad expianda *Apollinis*, *Martis*, vel *Matris Deûm* Templa animum inducere voluisse?

1 Cod. Theod. T. VI. p. 287.
2 ibid. p. 280.
3 ibid. p. 261.
4 lib. IX. ep. LXXI.
5 in Martyr. Rom. 13. Maii.
6 in Antiquitatib. Septemtrion. p. 293.



§. VIII.

Num rotunda Templorum figura, quin ea Christianis accenseantur, dubitare sinat?

Sed turbat heic iterum nonnemo, qui ex rotunda nostrorum Templorum structura conjici posse contendit, eadem Ethnicis omnino esse tribuenda. Nam etsi Templa vetusta apud Aegyptios, Graecos, et Romanos plerumque quadrata fuisse constet, tamen etiam rotunda habuisse scimus. Siquidem Athenaeus [1] in navi immensae magnitudinis a Ptolemaeo Philopatore Aegypti Rege constructa, Templum rotundum *Veneri* dicatum exstitisse narrat. Praeterea Delubra *Solis*, et *Serapeum* apud Aegyptios rotunda fuisse, docet Kircherus [2], qui Pantheum quoque Aegyptiorum Thebis, et Heliopoli describit [3]. Sic et apud Persas Templa ignis, cujusmodi Πυρεῖον rotundi imaginem exhibet Thomas Hyde [4], itemque Pocockius [5], et Daniel la Roque [6] Templum Heliopolitanum ejusdem formae commemorant. Quod vero ad Graecos spectat, Pausanias senas aedes orbiculares indigitat. Prima enim exstabat propter Athenarum Prytaneum [7]; altera Epidauri pone aedem Aesculapii [8], ac utraque Θόλος appellabatur; tertia Spartae, ubi Iovis, ac Veneris simulacra servabantur [9]; quarta Elide [10], quinta Mantineae, quae ἑστία κοινή vulgo dicebatur [11], instar Rhodien-

1 Deipnos. lib. v. c. IX. p. 205.

2 T. II. Oedip. Aegypt. P. II. p. 329. V. Amm. Marcellin. lib. XXII. c. 15. et 16. Cangium ad Zonar. p. 52. Fabricium lib. II. Bibl., Graec. cap. I. §. 7. et doctissimum de Magistris in Dissertat. V. Apologiae Danielis edit. p. 568.

3 ibid. T. I. p. 12.

4 de veteri religione Persarum p. 354.

5 in sua vita. p. 92.

6 Voyag. dans la Syrie Par. 1609. T. I. p. 135.

7 lib. I. c. v. p. 12.

8 lib. II. c. XXVII. p. 173.

9 lib. III. c. XIV. p. 237.

10 lib. v. c. XX. p. 429.

11 lib. VIII. c. IX. p. 616.

sis [1], et Caunensis in Caria [2]. Sexta denique Miniae Thesaurus, Horcomene [3]. Adde Vitruvium [4], qui memorat aedem rotundam, *Tholum* nuncupatam, ac Delpho exstructam.

Nam Ethnici, ut Dio Cassius [5], et Philander [6] adnotarunt, *aut Caeli naturam imitati, inprimis rotundis sunt delectati*, aut ex figura Orbis in rotunditatem circumacti hujusmodi figuram, nonnullis praesertim Divis, placere arbitrabantur, ut de Numa Pompilio tradidit Festus, *qui rotundam aedem Vestae consecrasse videtur, quod eamdem esse Terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque pilae forma esse, ut sui simili Templo Dea coleretur.* Ac propterea Christiani veteres, quemadmodum ait Panvinius [7], atque alibi [8], Alpharano subscribente [9], confirmavit, *sacras aedes, non ad Templorum Gentilium formam quadratas, vel rotundas, ne Ethnicos aemulari viderentur, sed oblongas, Basilicarum more, exstruebant, easque non Templa, sed Basilicas vocare caeperunt.*

Et sane, veterum Christianorum Templa generatim oblonga primum fuisse constat, ita ut mysticam Ecclesiae *Navim* referrent, ut Clemens [10], et Canones Poenitentiales S. Gregorii Thaumaturgi a Gulielmo Beveregio in lucem editi [11], aliique tradiderunt, quorum auctoritates in unum collegit Hier. Aleander junior [12] in explicatione gemmae annularis, cui *Navis*, Ecclesiae Symbolum erat insculptum, ut videre est etiam apud Cl.

1 Constant. Porphyr. Exc. Polyb. l. xxviii. pag. 138.
2 Appian. de Bello Mithrid. p. 185.
3 ibid. lib. ix. c. xxxviii. p. 386.
4 lib. vii. in Praef.
5 T. I. lib. LIII. p. 271.
6 in explic. lib. iv. Vitruvii c. vii.
7 T. ii. ms. c. x. p. 108.
8 T. iii. ms. c. l. p. 2.
9 ms. p. 14.
10 lib. ii. Const. Apost. c. LVII.
11 inter Can. Eccl. Graec.
12 Romae apud Corbelletum 1626. 8.

Stephanum Chamillard [1], Mamachium [2], qui ejus iconem exhibuit, et Steph. Borgia, qui luculentissimo commentario de *Cruce Veliterna* [3] ectypum gemmae annularis eodem Symbolo insignitae praefixit, ac egregie illustravit [4]. Typum enim Ecclesiae veteres in *Navi* agnoscebant, quod Petri Navim, [5] (*cujus Dominus ipse est Deus Pater, gubernator Christus, proretae Pontifices, Nautae Presbyteri, dispensatores Diaconi, Nautologi Catechistae, epibatae, id est vectores, vel qui vehuntur, tota reliqua multitudo Laicorum*), aut Noemi arcam, quae [6], *et in altum, seculi ita natat, ut pereunte Mundo, omnes, quos suscipit, servet illaesos*, repraesentabat, ut docet idem eruditissimus Mamachius, qui [7], Aringhii [8], Boldetti [9], Lamii [10], Fogginii [11], Gorii [12], Maffeii [13], aliorumque opinionem sequutus est.

Verum hujusmodi Templorum forma, quae et antiquior, et communior certe fuit, quemadmodum Allatius [14], Suicerus, et Sarnellius prae ceteris demonstrant in *Basilicographia* [15], interjecto tempore, ac praecipue *post Crucem Constantino ostensam*, ut placet Musantio [16], in *Crucis* etiam figuram conversa fuit. Itaque Templa in *Crucis* formam aedificata, *σαυρωτὰ*, vel *τρὶχωρα*, trichora, trium nempe arearum, vocabantur, ut habemus ex S. Gregorio Nisseno [17], qui fuse, atque eleganter sacram hujusmodi Aedem ab se aedifi-

1 Observation. per iter Italicum. Paris. 1711. 4.
2 T. I. Orig. Christ. p. 115. et p. 261.
3 Romae 1781. 4.
4 p. 213.
5 Const. Apost. loc. cit.
6 V. Ambros. Serm. xl. de Mirabilib.
7 T. I. p. 261. T. III. p. 98. 99. et 100. T. v. p. 293. 294.
8 lib. v. c. ix. p. 475.
9 lib. II. c. xiv. p. 502. et lib. II. c. III. p. 346. c. iv. p. 362.
10 de Erudit. Apost. c. iv. pag. 61. et 94.
11 de Rom. D. Petri itinere exerc. xx. pag. 485.
12 T. I. Inscr. Etrusc. p. 68.
13 T. v. Osserv. Letter. Veron. p. 23.
14 de Templ. recent. Graecor.
15 p. 15. et seq.
16 p. 392. edit. Rom.
17 ep. vII. edit. Caraccioli.

7 G

catam describit. Quae tamen forma, indiscriminatim apud Graecos, et Latinos quadrata, et oblonga, fuit usurpata, uti prolatis exemplis, probat Mabillonius [1], ac recte observavit Stephanus Borgia [2]; etsi vulgus Graecanicam Crucem imperite, a Latina longe diversam esse putet, quippe qui primam aequilateram, alteram inferno brachio longius productam, marte suo, constituat. Quocirca a veteris disciplinae amatoribus, qui sibi persuaserunt, priscas Ecclesias, vel *Navis*, vel *Crucis* formam tantummodo habuisse, recentiorum Architectorum usus improbatur, qui Templa sphaericae, orbiculatae, octangularis figurae aedificare maluerunt, ut videre est apud Catalanum [3], et Marangonium [4].

Verum, ut dici solet, rem ad vivum resecabo, atque his etiam difficultatibus satisfaciam, e quibus tamen me facile expediam. Etsi enim nostrorum Templorum erectio Constantino tribueretur, tamen eorum figura a *Navi*, et *Cruce* longe dissimilis, quin ea Christianorum opus censeremus, nos minime removeret. Quae nunquam certe, uti Laderchius [5] facere non dubitavit, Nardinio subscribam, qui [6] generatim affirmavit, *Ecclesias sphaerico schemate a Basilicis diversas eo seculo construi non consuevisse, nec absque locis distinctis, si non pro quinque hominum classibus, saltem pro Clero*. Ipso enim Constantino imperante, plura occurrunt Templa *octachora*, quae Valesius ex inscriptione apud Gruterum [7] eadem esse, atque *octagena* recte docuit, itemque τρουλλωτά, sive κυμβαλικα, ac rotunda, κυλινδρωτά, θολωτά, et κυκλοειδῆ, nimirum rotun-

1 in T. IV. Act. SS. Ord. S. Benedicti p. 341. 459. 461. 466.
2 in Comm. de Cruce Vaticana p. 9.
3 T. I. Pont. Rom.
4 c. XLII. p. 203.
5 c. XI. pag. 60.
6 l. IV. v. IV. p. 464.
7 pag. 1166.

da ad arcus, sive spherae, vel cylindri, vel circuli figuram. Siquidem ab Eusebio [1], Sozomeno [2], et Valafrido Strabone [3] discimus, pientissimum Imperatorem in Monte Golgotha, super Servatoris nostri Sepulcrum, *rotundam* Ecclesiam, cujus ortographiam videre est apud Adamnanum de Locis Sanctis [4], et Mamachium [5], quidquid contra Marangonio [6] visum fuerit, fabricasse. Alterum vero Templi *octogoni* exemplum habemus apud Nicephorum Callixtum [7], quod idem Imperator Antiochiae erexit, titulo *Dominica aurea*, donatum. Quod item tradidit Eusebius [8], ubi ait. *Basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem, figurae quidem octaedri constitutam*. Praeterea celebris est Basilica ab Anastasio in Agathonis [9], et Leonis II. [10] vita memorata, quae a *rotunda* ejus forma, *Trullus* appellabatur, quamque *Ecclesiam intra Palatium Imperatoris Constantinopoli* a Constantino *erectam* fuisse, docet Vignolius [11]. Istiusmodi etiam fuit Templum Nazianzi a Gregorio, Gregorii Nazianzeni Parente, eodem seculo aedificatum, ut constat ex oratione, quam Filius in Patris funere recitavit, ubi illud ita quasi depingit [12]. *Octo aequilateris rectis in se occurrit, et columnarum, ac porticuum elegantia per laquearia in altum adsurgit.*

Cautius itaque Nardinio, Marangonius [13] loquutus est, qui ex veteri Christianorum more, ea tantum Templa aedificata esse pronunciavit, quae Constantinus in Vrbe construxit, quaeque Ciampinius breviter descripsit ad

1 in vita Const. lib. III. cap. 38. edit. Cantabr.

2 lib. II. c. I. p. 44. edit. Cant.

3 in Bibl. PP. T. xv. p. 183.

4 in T. IV. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 458.

5 T. II. Orig. Christ. p. 65.

6 cap. XLII. p. 203.

7 Hist. Eccl. lib. VII. c. XLIX.

8 lib. III. cap. I.

9 T. I. §. XI. p. 278.

10 ibid. §. II. p. 288.

11 T. I. p. 386. in Indice rer., et Gloss.

12 Orat. xx. de laud. Patris p. 313.

13 c. XLII. p. 203.

calcem operis de *Vicecancellario Eccl. Rom.* [1], ac fusius illustravit in *Synopsi historica de S. Aedificiis a Constantino M. constructis*. Ceterum, etsi hanc etiam litem susciperem, magnorum sane Virorum auctoritate fultus, vel in ipsa Vrbe Templa *orbicularis* figurae a Constantino erecta, demonstrare facile possem.

Tradit enim Nicephorus [2], Helenam Augustam ejus Matrem, *extra Vrbem Romanam sepultam in Templo rotundo, marmorea urna depositam*. Quod ipsum de eadem Basilica *rotundo schemate concamerato desuper fabricata* non solum Baronius [3] accepit, sed etiam Aringhius [4], ubi Helenae Mausoleum *sphaericae formae aedificium* idem esse, ac *Templum rotundum a Nicephoro, probatissimo auctore indicatum*, una cum Bosio affirmavit. Ab hac item sententia non abierunt Godefridus Henschenius in *Commentario praevio de SS. Marcellini, et Petri cultu, Ecclesiis, actis* [5] et Iohannes Pinius *de gloria posthuma S. Helenae* [6], nec non Ciampinius [7], et Vignolius [8]. Contra tamen Laderchius in dissertatione de *Sacris Basilicis* eorumdem Martyrum [9], vehementer adnisus est, Basilicam Constantinianam *SS. Marcellini, et Petri inter duas Lauros via Lavicana* ab Helenae *Mausoleo* distinctam fuisse contendens. Nam ea tantum de caussa *Mausoleum* pro *Basilica* a Bosio, et Aringhio acceptum putat, quod S. *Tiburtii* Basilicam, cujus rudera conspiciebant, a *Marcellini*, et *Petri* Basilica sejunctam statuerunt; atque iccirco, unam

1 Romae 1697. 4. p. 154.
2 lib. vIII. Hist. Eccl. c. xxxI.
3 T. IX. an. 826. et in Mart. Rom. die II. Iunii.
4 T. II. lib. IV. c. XIV. p. 47.
5 die II. Iunii p. 173.
6 T. III. Augusti p. 599.
7 c. vIII. p. 123. de S. Aedif.
8 T. I. in S. Silv. vita §. III. pag. 100. ibid. in Honorio. §. IV. p. 246. et T. II. in S. Hadriano §. L. p. 200.
9 Romae 1705. 4. c. vI. p. 23. et seq.

tantum Basilicam, tribus Martyribus fuisse communem sibi suadentes, Mausolei parietinas, ipsam SS. MM. Basilicam fuisse excogitarunt. Quid vero Magistro Alcuino Laderchius reposuisset, si quis *notitiam Ecclesiarum Vrbis Romae*, ex MS. Salisburgensi nuper in lucem editam [1], ei obtulisset? Ibi enim ita legitur. *Ad Helena via Campania multi Martyres pausant; in Aquilone parte Ecclesiae Helenae, primus Tiburtius Martyr, postea intrabis in speluncam, ibi pausant Sancti Martyres, Petrus Presbyter, et Marcellinus Martyr. Postea in interiore antro Gorgonius Martyr, et multi alii. Et in uno loco in interiore spelunca* XL. *Martyres, et in altero* XXX. *Martyres, et in tertio* IV. *coronatos, et Sancta Helena in sua rotunda*. Profecto Laderchius contra tanti Viri auctoritatem, qui seculo IX. superstitem etiamtum Basilicam inspexit, atque descripsit, caussa cecidisset. Quis enim cum Iusto Fontaninio [2], Ios. Rodulphi Wetstenii [3] opinioni non adversetur, qui verbis Agobardi Lugdunensis prave deceptus, Templa in honorem Sanctorum felicibus Ecclesiae temporibus nusquam inaugurata fuisse contendit?

Quid vero dicam de Templo *rotundo S. Constantiae* extra Portam Viminalem, via Nomentana? Hoc enim Nardinius [4], Olaus Borrichius [5], aliique a Constantino in Baptisterii usum aedificatum; Andreas Fulvius [6], Luc. Faunus [7], Marlianus [8], Io. Henricus a Pflaumern [9], Henschenius [10], primitus Baccho sacrum, et a Constantino, su-

1 Tom. II. Part. II. in Append. III. pag. 597.

2 Comment. di S. Colomba cap. XXVI. Roma 1726.

3 in notis ad Dialogum Origenis κατὰ Μαρκιωνιστῶν.

4 l. IV. c. IV. p. 464.

5 de ant. Vrb. Rom. facie c. VII.

6 lib. I. c. XII.

7 lib. I. c. X.

8 lib. VII. c. XV.

9 p. 313. in Mercurio Italico.

10 T. III. Februar. p. 67.

perstitionis labe dumtaxat expiatum, in Filiae suae Mausoleum conversum putant. Contra vero Aringhius [1], et Mabillonius [2], quibus etiam Laderchius [3] plane subscripsit, in solum Mausolei usum a fundamentis erectum; ac demum Ciampinius [4] a prima ejus origine Baptisterium, postmodum etiam Filiae Const. Mausoleum fuisse pugnarunt. Sed tamen hujusmodi aedificium inter sacras Vrbis aedes jam inde a Sec. IX. certe numerabatur, quum in *notitia Ecclesiarum Vrbis* Alcuino inscripta, haec de eodem occurrant [5]. *Iuxta viam Nomentanam .... Basilica Agnes ... Ibi quoque singulari Ecclesia Constantia Constantini Filia requiescit*. Quae quidem mirifice concinunt ejusdem actis, etsi ea mendi arguat Laderchius [6], e MS. Cod. Vallicell. ab Aringhio [7] relatis, ubi legimus. *Corpus in pretioso labro porphyretico sepultum est, et ibidem ipsa a Patre, et Fratribus Ecclesia columnis, et musivo de lapidibus decorata, in ejus honorem fabricata est*. Nil vero obest, quod haec Templa *Mausolei* nomine usitatius appellata fuerint. Idem enim Aedi *S. Petronillae* frequentius contigisse vidimus, quam Templum fuisse, nemo inficiabitur.

Sed quum nostrorum Templorum originem ne ipsi quidem *Constantino* assignandam putem, hujusmodi quaestionem, quae nostra parum, aut nihil interest, plane omittam, ultroque cedam, si lubet, aedem S. *Constantiae* ab Alex. IV. anno MCCLVI. primo rite expiatam fuisse. Ac propterea, etsi Baptisteria Concilium Pontigonense [8] appellaverit *Ecclesias Baptismales*, *Baptisterii Basilicam San-*

1 T. II. lib. IV. c. XXV. p. 156.
2 In T. I. Itin. Ital. p. 84.
3 c. XI. p. 61.
4 de S. Aedif. c. X. p. 32.
5 loc. cit. p. 599.
6 cap. XI. p. 60.
7 T. II. l. IV. c. 25.
8 ad ann. DCCCLXXVI. can. II.

ctus Ambrosius [1], Gregorius Turonensis [2] *Templa Baptisterii*, Flodoardus [3] *Baptismales Titulos*, nihil aeque dicam de *Baptisterio Lateranensi*, de quo vide sis Anastasium [4], Ciampinium [5], Rasponium [6], et eruditissimam Dissertationem Cl. Ant. M. Lupi de *Baptisteriis*, quae e literariis F. A. Zaccaria gazis recens in lucem emissa fuit.

Verum nollem, injecta *Baptisterii* mentio, nonnemini suspicionem excitaret, Templum, cujus originem indagamus, a Constantino excitatum fuisse, ne suum Vaticanae Bas. *Baptisterium* deesset, quod in Caelii Montis dorso, pone aedes Lateranas, sumptuosissimo opere exstruxerat. Id enim nonnullis suadere fortasse posset nedum Templi forma, sacro Fonti aptissima, quae [7], rotunda, octangularis, exagona plerumque erat, verum etiam ejus positus e parte meridionali, sejunctim a Basilica, quod item in Baptisteriis erigendis sollemne erat [8]; etsi tamen quandoque alibi etiam posita fuisse, quamplures Scriptores animadverterint [9]. Ac Templum, si non ex integro aedificatum, saltem, depulsa superstitione,

1 episť. xx. ad Marcellinam.

2 lib. II. Hist. Francorum.

3 apud Duchesnium lib. II. cap. XIX. hist. Rhemensis.

4 in vita Silv. T. I. §. XIII. p. 88.

5 cap. III. p. 26.

6 lib. III. c. I. p. 208. et seq.

7 V. Martenium, loc. cit. n. IX. Ciampinium. Vet. Monum. Part. I. Tab. VIII. Par. III. Tab. III. num. 31. et Tab. XXXV. Trombellium. T. V. de Baptismo diss. XIII. p. 64. Oliverium. Battisterio della Chiesa Pesarese p. 20. aliosque.

8 V. Mabillon. in It. Ital. Mazochium, de Cath. Eccl. Neap. c. III. n. 23. Bertolium, Ant. Aquil. n. 581. Costedonium. dissert. Intorno alla Chiesa di Torcello T. XLIII. Racc. Caloger. Blanconium. S. Sepolcro p. 100. Trombellium. loc. cit. atque Oliverium. loc. cit. p. 17.

9 Chardon. histoire des Sacrements. Paris. 1745. Mabillonius. Anal. T. IV. Martenius. l. I. c. I. art. 2. p. 8. Remondinius. Stor. di Nola lib. II. cap. 9. Allegranza. dell'antico Fonte Battesim. di Chiavenna. T. XIV. nov. Syll. Caloger. p. 118. Altan. Baptismale Hieroglyphicum. Patav. 1749. et in lib. de Calendariis Veter. 1753. 8. Wirdtein. Comment. historico-lit. de Baptister. Mogunt. 4. Mayerus. in Museo Ministri Eccl. p. 1. Ioh. Henr. Wedderkampus. de Baptist. Veter. Helmst. 1703. 8.

in hunc usum conversum, nonnemo arbitretur, ut de altero Templo rotundo, quod Florentiae ipsi horrifico, et nefando *Marti* dicatum [1], vulgus praedicabat, factum legimus. Verum hujusmodi persuasio facile ex animo diffluet, si Prudentium [2], Baronium [3], Aringum [4], Panvinium [5], Bonannium, ac praesertim Alpharanum consulamus, qui num. 30. *Oratorium S. Iohannis ad fontes* a Symmacho exstructam, ac num. 31. *Baptismi fontem a Damaso P. vasibus exornatum designat*. Quapropter, hisce omissis, in viam redeamus.

Nunc de Templis agimus, sequiori certe aetate constructis. Iam enim vidimus Templum plane geminum, quod vulgo *Apollinis* dicebatur, a *Steph.* II. circa Sec. VIII. medietatem a fundamentis aedificatum. Quid vero mirum, si jam tum Stephanus Templum formae rotundae S. *Petronillae* dicandum e solo condere non dubitavit? Quota enim in Vrbe Templa *rotunda* jampridem a Christianis in sacrum usum conversa habebantur? Nonne Simplicius anno CDLXVIII. plus minus, Anastasio teste [6], *dedicavit Basilicam S. Stephani* (rotundi) *in Vrbe Roma in Caelio Monte*? Nonne Felix IV, ut idem Anastasius [7] tradidit, *fecit Basilicam SS. Cosmae, et Damiani Martyrum in Vrbe Roma in loco, qui appellatur Via sacra, juxta Templum Vrbis*

1 Croniche di Messer Gio. Villani l. 1. cap. XL. Ven. 1537. Discorsi di Vinc. Borghini 1583. nel Tratt. dell'origine di Firenze p. 145. Richa Chiese di Fir. P. IV. Gio. Bat. Clem. Nelli. Piante, ed alzati interiori, ed esteriori dell'insigne Chiesa di S. M. del Fiore. Manni Principj della Religione Cristiana in Firenze 1764. 4. Ant. Franciscus Gori de mitrato Christi Capite. Florentiae 1549. Maffei. Veron. Illustr. P. III. c. III. p. 64. Lami Antichità di Firenze. Lez. III. p.58. et Lez. V. p. 127. et 135. Mabillon. It. Ital. pag. 171. Paciaudi Antiq. Christ. diss. 1. c. 1. p. 14. Olivieri Battist. Pesar. p.18. Winchelmann Storia dell'arte T. III. p. 99.

2 Hymn. XVIII.

3 ad an. 384.

4 lib. VI. c. IV. n. XX.

5 p. 119.

6 T. I. §. I. p. 160.

7 T. I. §. II. p. 195.

Romae? Quod ipsum luculenter etiam Ioh. Diaconus confirmavit in vita S. *Gregorii* M., ubi de eodem Felice scribens, inquit. *Basilicam SS. Cosmae, et Damiani MM. via sacra juxta Templum Romuli, sicut hactenus cernitur, venustissime fabricavit*; ac demum aliorum etiam scriptorum testimoniis aperte demonstrant Franc. Ant. Poma [1], et Bernardinus Mezzadri [2]. Rursus nonne eidem Pontifici, alterius Delubri ad radices Montis Palatini, Romulo, ac Remo olim sacri, instauratio, quod Mart. *Theodoro*, omni superstitione, impioque cultu sublato, nuncupatum fuit, a Turrigio [3], qui ejusdem Templi historiam descripsit, gravibus sane argumentis tribuitur? Atqui dubitari minime potest, Bonifacium IV, sec. VII. ineunte, consensu Phocae Augusti, qui novae Aedi fundos adtribuit, *Pantheon* consecrasse, atque, ut Bedae verbis utar, *eliminata omni spurcitia, fecisse Ecclesiam Sanctae Dei Genitricis, atque omnium Martyrum Christi*, ut prae ceteris ostendit doctissimus Petrus Lazerus in peculiari dissertatione, de hujus Templi consecratione [4]. Ac demum Bosius, testis oculatus affirmavit, suis etiam temporibus nonnullorum Templorum, quae supra Martyrum memorias fuerant aedificata, ruinas exstitisse, longe similioris figurae Gentilium Templis, quam Christianorum Basilicis.

Quae quidem exempla, si minus omnia valere possunt pro Templo, de quo disputamus, quod ineunte sec. VI. erectum fuisse contendimus, profecto tamen va-

1 La Basilica de' SS. Cosmo, e Damiano proposta agli occhi de' Fedeli nella sua antichità, privilegj, e Indulgenze. Roma 1724. 8. p. 2.

2 de' SS. MM. Cosma, et Damiano, et eorum Basilica in Vrbe Romae 1747. 4. pag. 48. V. Acta Lipsiensia Eruditorum. ann. 1756. p. 522.

3 Storia del Martirio di S. Teodoro seguito nella Città di Amasia. Rom. 1645. 8.

4 Romae 1749. 8.

5 Rom. Subt. p. 323. 325. 489.

lere possunt, ac porro valent pro altero, quod *Stephanus* erexit; qui praeterea ex contiguo hoc Templo, quod ibi tamdiu aedificatum videbat, ad geminam ejus constructionem excitari fortasse potuit.

Neque vero mihi quis, urgens, ac nihil remittens objiciat, *Stephanum* II. primo tantum ex hoc nostro exemplum petere potuisse Templi *rotundi* in Vrbe a fundamentis aedificati, quum cetera profana tantum superstitione purgata, atque ad sacrum usum conversa fuerint; et contra Templi, quod *Marti* sacrum ferebatur, conditorem, ante se neminem habuisse, qui de novo Templum *sphaericae* figurae in Vrbe erexisset. Nam praeterquamquod, si altercandi mihi esset libido, id falsum esse demonstrare possem, prolatis exemplis Mausolei, *Helenae*, *et Constantiae*, nec non *Baptisterii Lateranensis*; vel omnino dedecebat, *sphaerico* schemate a Christianis Templa educi, itaque nusquam profana hujusmodi Templa Deo consecrare; sed potius evertere, ac nova, juxta Christianorum praescripta, aedificare Pontifices debuissent; vel si veteri disciplinae repugnare minime arbitrati sunt, rotundas Aedes in sacrum usum convertere, nulla esse jam caussa potuit, cur etiam ab iis a solo excitandis sese abstinerent, uti profecto plures in Ecclesiis Orientalibus, ipsa Constantini, et Theodosii [1] aetate, de novo conditas fuisse, non ignorabant.

Quapropter potuit, qui demum cumque fuit auctor nostri hujusce Templi, vel in Vrbe *rotundum* Templum a fundamentis erigere post Constantini, Simplicii, ac Felicis exempla, multoque magis id *Stephanus* praestare

1 V. Bandurii Imperium Orientale, sive Antiquitates Cpolitanae T. I. Part. III. I. III. Parisiis 1711. de Templo Rotundo tecto, Conchis ius tructo Ioh. Bapt. dicato.

potuit ad eorum, ac Bonifacii IV. imitationem. Illud enim de Templorum forma, quam pro temporum, ac locorum varietate diversam fuisse constat, usurpandum esse puto, quod Walafridus Strabo de promiscuo eorum positu ad ortum, et ad occasum Solis, ac quandoque etiam ad Aquilonem, versus meridiem, egregie scriptum reliquit. *Cognoscimus*, inquit [1], *non errasse illos, vel errare, qui Templis noviter Deo constructis, vel ab Idolorum squallore mundatis, propter aliquam loci opportunitatem in diversas plagas Altaria statuerint, quia non est locus, ubi non sit Deus. Verissima enim relatione didicimus, in Ecclesia, quam apud Aeliam Constantinus Imperator cum Matre Helena super sepulcrum Domini mirae magnitudinis in* rotunditate *constituit, itemque Romae in Templo, quod ab antiquis Pantheon dictum, a S. Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium SS. consecratum est; in Ecclesia quoque S. Principis Apostolorum, non tantum ad Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. Haec quum secundum voluntatem, vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus. Non magnopere curabant illius temporis justi, quam in partem orationis loca converterent, dum tantum videretur, ubi eliminatae sunt Doemonum sordes, ibi Deum creatorem omnium, qui ubique est, coli, et adorari. Sed tamen usus frequentior, et rationi vicinior habet in Orientem orantes converti, et pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui.*

Videor, ni longe mea me ratio fugit, quae a quoquam objici possent, ea aut occupasse, aut refutasse. Quapropter, quum haec omnia rationum momenta nos amplius dubitare non sinant, quin hoc aedificium, quam-

1 T. xv. Bibl. PP. cap. iv. de reb. Eccl. pag. 183.

vis vetustissimum, atque operis perquam magnifici, ad Christiana tempora sit referendum, quumque illud nihilominus Bas. Vat. a *Constantino* minime adjunctum fuisse constet, reliquum est, ut videamus, an potius, uti Costagutum opinatum fuisse demonstravimus [1], et Chattardo [2] placet, qui omnium postremus haec loca Bas. Vat. continentia illustravit, a *Paullo* I. constructum fuerit? Qua in re adeo implexa extricanda, neminem habeo, qui adjutrices mihi manus protendat. Siquidem Barptholemaeus Marlianus, qui in hujus rei disquisitione ceteros ante se superavit, nec ipse rem perfecit, quum contentus fuerit, communem de *Martis* Templo opinionem respuere, quin aliam manifestaret. Quod aeque cum aliis supra memoratis, Bonannius [3], et Janningus [4] fecerunt, quorum postremus in Fontanae sententiam a nobis expositam concedens, *haec duo Aedificia verosimiliter a Pontificibus Basilicae Constantinianae adjuncta fuisse*, generatim pronunciat, omnesque antiquiorum Scriptorum opiniones improbavit. Verum ne in hac, quam nactus sum, sparta exornanda, minus esse diligens videar, omnes ingenii, atque industriae nervos contendam, veramque hujusce Templi originem patefacere conabor.

1 p. 958.
2 T. I. p. 227.
3 p. 30.
4 p. 156. T. VI. Iunii.



CAPVT II.

De Templo rotundo a Symmacho in B. Andreae honorem erecto .

Postquam communem eruditorum sententiam rejecimus de situ *Andreanae Basilicae* a *Symmacho* exstructae , ibique Templum *S. Michaeli Archangelo* sacrum fuisse , in eoque *Altare* dumtaxat *B. Andreae* dicatum exstitisse ostendimus , aequum nunc est , ut quo loco eadem Basilica reipsa erecta fuerit , demonstremus . Quod libentissime quidem suscipimus , non solum ut fabulosi Numinis nomen , quod tam diuturnum sanctissimo Apostolo bellum indixit , deque eo quodammodo apud ignarum vulgus triumphare etiamnum visum est , penitus deleamus , sed etiam , ut situs tam celebris Basilicae , de qua frequens in antiquis Scriptoribus mentio fit , tandem aliquando decernatur , ac germanus scriptoribus ipsis , qui de ea pertractarunt , sensus , veluti postliminio , restituatur .

§. I.

De singulari cultu Andreae Apostoli , ubique gentium , ac praesertim apud Romanos .

Quum BB. Apostolus *Andreas* , a Graecis πρωτόκλητος , seu *primo vocatus* appellari consueverit , quemadmodum tradit Papebrochius in Ephemeridibus Graeco-moscis [1] , tum a nobis *Proto-Apostolus* , seu *primo Apostolus* electus dici jure potest . Hunc certe in Ecclesia universa inter primos Caelitum SS. , publico , et celebri cultu per omnes aetates honoratum fuisse , ex vetustissimis Kalendariis , Sacramentariis , et Martyrologiis ostendit Sollerius in erudi-

1 T. I. Maii p. LII.

tissima adnotatione in Vsuardum [1]. Quod ipsum luculenter etiam patet ex festorum indiculo, qui occurrit inter statuta Bonifacii apud Dacherium [2], ubi inter festa, quae tunc temporis celebrabantur, illud *S. Andreae* recensetur. Ibi enim notatur. *Presbyteri diebus Dominicis populo festa celebranda annuntient, Natalis Domini, Circumcisionis Domini, Epiphaniae, Purificationis Mariae, Paschatis Domini, Ascensionis Domini, Natalis Ioh. Baptistae, Passionis Petri, et Paulli, Assumtionis S. Mariae, Nativitatis S. Mariae, et Passionis S. Andreae.*

Porro vetustissimum ejus festum exhibent, Kalendarium Carthaginiense, Missale Gothicum a Jos. Thomasio editum, idemque notatur in Pontificali Egberti Eboracensis Archiep. cum pervigilio III. Kal. Decembris celebrando. Pridie ejus festi, duo sacra adsignantur in libro Sacramentorum S. Gregorii a Menardo in lucem edito, in Codice Eccl. Turonensis annorum circiter DCCC, itemque in Kalendario Frontonis, unum scilicet de vigilia, alterum de S. Saturnino. Sic in pervetusto Codice Monasterii S. Theoderici quattuor sacra praescribuntur, unum de Saturnino [3], alterum de SS. Saturnino, et Chrysanto, tertium de vigilia S. Andreae, quartum de octava S. Clementis.

Post primas ejusdem festi Vesperas apud Suessionenses sollemnis pompa peragebatur ad Altare S. *Andreae*. Pompae addebant sollemnes vigilias Canonici Turonenses S. Martini [4]. Eidem festo octavam adsignant Ordo Gelasianus, Codex regius annorum CM. Gellonensis ejus-

1 pag. 710.

2 T. IX Spicilegii.

3 Passio S. Saturnini ex ms. apud Surium d. 29. Novemb. p. 650. Eadem ex complur. Codd. MSS. in Theod. Ruinart. Act. primor. MM. p. 129.

4 in Rituali apud Martene T. III. de ant. Eccl. rit. p. 555.

dem aetatis, Missale Bituricense, aliique libri rituales. Consuetudines Monasterii S. Paulli haec habent, *per octavam ejusdem Apostoli, nihil de ea agitur, sed omnia feriata*. Ne quid enim ex Adventus officio detraheretur, praeter diem Natalem S. *Andreae*, et diem octavam, nihil aliud in hoc Monasterio fiebat. Ecclesiae vero Turonensis Ordinarium praescribit, si hoc festum in diem Dominicam incurreret, ejus octavam feria vI. praecedenti, propter festum S. Nicolai, praevio officio celebrandam, ac Sabbatho eadem de caussa, si in feriam iI. incideret.

In ejus festo, quoties occurreret in Quadragesima, quae natalem Domini praecedebat, nonnihil de jejunii severitate remittebatur. Hujusce usus luculentum exhibet testimonium Petrus Damiani, ubi agens de Ordine Eremitarum Fontis Avellani haec habet [1]. *Ecce enim de duabus illis Quadragesimis, quae vel Natalem Domini, vel sanctum Pascha praecedunt, licet ego taceam, vos tamen scitis, quia nonnulli heic sunt, qui absque diebus Dominicis duplex illud quadragesimale spatium totum jejunando transcurrere soleant, exceptis his tribus sollemnitatibus, S. videlicet* Andreae, *vel S. Benedicti, et Annuntiationis Dominicae*.

Haec alibi. Verum erat sane, quod nos, qui Romae nati, atque educati sumus, de beatissimi Apostoli gloria, et honore, inprimis solliciti essemus; quippe qui B. *Petri* sanguine veluti regenerati, Fratris Filii haberi quodammodo, et vocari debemus, eumque tamquam Patruum amantissimum, colere, atque observare, ac velut praesentissimum Patronum, et Sospitatorem venerari. Nam, ut ejus officium a Gregorio M., ut Joh. Belethus contendit, adornatum, aliaque, quamvis locupletis-

1 Opusc. xiv, et apud Martenium T. iv. p. 327. de ant. Eccl. rit.

sima, singularis Romanorum Civium in eum pietatis argumenta praeteream, prodit Benedictus Canonicus, ejus Festi pervigilium, inter sollemniora habitum fuisse, ubi ait [1]. *Missam cantat Pontifex ibi, ubi fit Statio. In vigilia S. Petri, et in vigilia S. Laurentii, et in vigilia S. Mariae, et in* vigilia S. Andreae, *et in vigilia natalis Domini hoc officium fit ad Matutinum, sicut in vigilia S. Ioh. Bapt. praediximus*. Praeterea discimus ex alio ejusdem Canonici loco [2], qui item a Petro Mallio [3] confirmatur, ex veteri charta apud Archivum Vaticanum, unam e vII. *Stationibus nocturnalibus*, ad *S.* Petri, diei festo *S. Andreae* assignatam. Adde, quae idem Mallius [4] tradidit *de consuetudinibus Confessionis*, qui inter ea, *quae D. Papa de consuetudine recepturus est ab illis, qui emunt Confessionem B. Petri*, recenset *solidos sex in sex stationibus, in unaquaque sex, et sex solidos in festivitate S.* Andreae, *et duas aquaricias olei pro festo ejusdem*.

Quamquam, quid haec, si cum ceteris, quae festo ejus die fieri consueverant, conferantur? Rursus Benedictum Canonicum audiamus, qui haec edisserit [5], a Panvinio [6] item exscripta. *In festivitate S. Andreae debet esse D. Papa cum omnibus Scholis, ante* S. Andream in Vaticano, *ubi honorifice, sicut in Festivitate B. Petri, vesperum, et vigilias celebrare, Matutinum vero ad Fratrem ejus facere, idest ad Altare S. Petri. Mane canitur Missa super Altare* B. Andreae, *ut omnis Populus cum benedictione laetus recedat. Praefectus cum adjutorio decimae illuminat, Ecclesiam, et facit prandium Curiae. Deo gratias*. Quos

1 T. II. Mus. Ital. p. 149.
2 ibid. In additionib. ex Cod. Vallicelliano Ord. xI. p. 153.
3 Caps. II. fasc. 255. et Tom. II. Mus. Ital. p. 158.
4 ibid. p. 162.
5 in Ord. xI. n. LXXVI. p. 152.
6 T. III. ms. p. 179.

quidem ritus diu obtinuisse constat; etsi in Ord. XIV. qui Cajetano inscribitur, apud Mabillonium [1], et Gattico, in additione facta, Johanne XXII. Pont., haec occurrant [2]. *In festo S. Andreae, et praedicatur, et Romae habebat antiquitus vesperos Papales, et Matutinum, licet hodie non sic servetur*. Ibidem vero alio loco adnotatur [3]. *In Festo S. Andreae non fit Consistorium*.

Itaque Sacrum, praeter vesperam, et vigilias, sollemni ritu Pontifex celebrabat *super Altare B. Andreae in Vaticano*, quod nonnisi Templum ibidem a *Symmacho* aedificatum esse potuit, ut SS. Apostolus in Aede, quam cum Germano Fratre communem habebat, communi etiam gloria immortaliter frueretur. Porro Andreas Saussayus in spisso volumine, ubi Aras, Templaque in ejus honorem ubicumque gentium excitata enumeravit, de hac etiam *Symmachi* Basilica mentionem facit, *prope Beati Petri Templum*.

Verum Barpth. Plazza [4], qui Templa in honorem Beati *Andreae*, Romae praesertim condita, recenset, hanc Basilicam a *Symmacho* aedificatam minime nominat, etsi praeter *novem* Ecclesias, quas adhuc ejus nomini consecratas exstare tradit, alias *quinque* eidem sacras antiquitus exstitisse scripserit. Quod pariter omisit in altero opere, quod *sacrum Emerologium* inscripsit, ubi tamen [5], testem adhibens Martinellium, praeter IX. Ecclesias, de quibus ibi etiam meminit, alias XXV. olim exstitisse narrat eidem Apostolo dicatas, quod fortasse Caelitum Sanctorum nemini Romae, excepto *Andrea*, contigisse animadvertit.

1 c. XCIX. p. 381. 2 p. 388.
3 ex Cod. 4737. p. 87.
4 in Sanctuario p. 416.
5 T. II. p. 511.

§. II.

De situ Basilicae Andreae Apost. a Symmacho erectae.

B. Andreae Basilicam, Vaticanae continentem, a Symmacho fuisse aedificatam, nemo unquam in controversiam vocavit. Quisque enim novit, id satis disertis verbis ab Anastasio testatum fuisse, in ejusdem Pontificis vita, ubi ait [1]. *Hic fecit multas Basilicas; Basilicam S. Andreae Apostoli apud B. Petrum*. Quod ipsum pluries etiam, uti postea observabimus, confirmat. Verumtamen hanc Basilicam illam ipsam fuisse, quae in *Sacrarii* usum postea conversa est, quamque ante hos non multos annos solo aequari vidimus, nemo, quantum equidem sciam, praeter Grimaldum, Martinellium, et Vignolium, quorum loca infra afferemus, adhuc certo affirmavit. Itaque, ne lectoribus hariolari videar, qui rem ceteris Scriptoribus hactenus inexploratam, longaque inquisitione frustra indagatam, hosce Triumviros dumtaxat assequutos esse putem, gravissima, eademque plurima rationum momenta exponam, viamque veluti commonstrabo, quae me ad hujus rei indaginem, et assequutionem, eorum sententiae plane conformem deduxit.

Itaque, quum animadvertissem, apud omnes recentiorum temporum Scriptores Templum, quod pro *Sacrario* adhuc fuit, *S. Mariae a Febribus* titulo venire, ante omnia diligenter inquirendum duxi, ad quam aetatem referenda esset insignis ejusdem Virginis imago, a qua Templo nomen impositum est. Sic enim statuebam. Si haec effigies remotissimam antiquitatem non redoleret,

1 T. I. §. VI. p. 176. edition. Vignol. et in ejus vita e vetust. Codice Veronensi apud Murator. T. III. rer. Ital. Par. II. pag. 45. et in I. B. Sollerii de S. Symmacho P. Sylloge historica. Tom. IV. Iul. pag 634.

neutiquam opinandum esse, huc ab ipsis Templi primordiis invectam, ac proinde hoc Superorum alteri cuiquam, in prima origine dicatum fuisse. Quae dum mecum animo reputans, antiquas hujus rei memorias excutiebam, comperi, eam imaginem ab omnibus ferme Scriptoribus, seculo xII. plus minus assignari. Hoc autem jam tum mihi persuasit, quum a fundamentis erectum Templum fuit, ignoto nunc quidem nobis Caelicolae fuisse consecratum. Ejus enim forma, Sec. xII. longe antiquiorem prodebat aetatem.

Quaenam vero primi nominis abolendi caussae fuissent, quum viderem, certo statui minime posse, conjecturis indulgendum esse censui. Quas ipsas ex auctoribus, qui eodem circiter seculo floruerant, in primis eruendas, colligendasque esse, statim agnovi; quae si deessent, tum vero de veritate assequenda, penitus animo despondendum esse. Accidit autem sane percommode, ut ad manus haberem *Petri Mallii historiam de Basilica antiqua Vaticana*, quam is Alexandro III. inscripsit, et primum Paullus de Angelis [1], deinde auctius, et accuratius Cl. Janningus [2] publici juris fecit. Quam quum diligenter excuterem, certa spe ductus, me voti compotem factum iri, circa II. capitis finem, haec reperi, quae quum alibi carptim, atque membratim a me ipso prolata sint, nunc, uti se habent, integra, ac continentia, referenda esse arbitror. Sic igitur scribit [3]. *Infra Palatium vero Neronis est Templum Apollinis, quod nunc vocatur S. Petronilla, in qua est reconditum Corpus ejusdem Virginis, ante quod est Basilica S. Angeli, quae vocatur Vaticanum, mirifico musibo laqueata, auro, et vitro. Ideo*

1 V. p. 269. 2 T. vI. Iunii p. 37. 3 ibid. n. 25. p. 40.

vero dicitur Vaticanum, *quia Vates, id est, Sacerdotes antiquitus canebant ibi sua officia, ante Templum Apollinis, et ideo tota illa pars dextra Basilicae B. Petri, quae vadit per Porticum Pontificum, et usque ad Portam argenteam, vocatur Vaticanum. Ibique est aliud Templum, quod fuit Vestiarium Neronis, quod modo vocatur* S. Andreas, *in cujus Altare B. Gregorius Papa, ut a majoribus nostris accepimus, recondidit brachium S. Andreae Apostoli, et B. Lucae Evangelistae, quae cum magna devotione detulit Constantinopoli.*

Quae quidem quum semel, atque iterum attente considerassem, in ea sententia magis, magisque confir matus sum, Templum, quod *S. Petronillae* contiguum erat, *S. Andreae* sacrum fuisse, contra quam Ciampinio [1] visum est, qui ex ipsis Mallii verbis, Templum *S. Andreae* ab eo memoratum, idem esse, ac *S. Angeli* Basilicam putavit. Verum quum hoc a veritate alienum esse, satis jam supra [2] probavimus, ea tantum heic addenda sunt, quae me adducunt, ut credam, Mallii verba huic prorsus Templo convenire.

Et sane, si *S. Angeli* Basilica, una eademque, atque *S. Andreae* Templum fuisset, cur, quaeso, Mallius, quum innuit, *ante Templum S. Petronillae fuisse Basilicam Sancti Angeli*, non item *Andreae* nomen adjunxit, vel potius absolute S. *Andreae* Basilicam nominavit, uti porro debuisset, si *ante Templum S. Petronillae, S. Andreae* Basilica exstitisset, ubi tantum ara *S. Michaeli* sacra foret, quemadmodum Ciampinius, dum haec duo aperte inter se repugnantia conciliare studet, argumentatur? Quare si Mallius *S. Angeli* Basil. a Templo S. *Andreae*, non modo nomine tenus, sed re secrevit, fatendum sane est,

1 c. IV. §. IX. p. 86. 2 p. 1074.

loco etiam, unam ab altero diversam agnovisse. Quod clarius etiam patebit, imo extra omnem dubitationis aleam, meo quidem judicio, ponetur, ex eo quod, ubi Mallius ait, fuisse *Basilicam S. Angeli*, ibidem etiam fuisse refert, locum *Vaticanum* appellatum, quia Vates inibi canebant *ante Templum Apollinis*; qui locus proinde a Mallio pro ejusdem Templi vestibulo acceptus videtur. Vbi vero ait, fuisse *Templum S. Andreae*, *Neronis Vestiarium* ibidem fuisse declarat. Consequens enim inde est, quod si *Templum S. Andreae* idem fuisset, quod *Basilica S. Angeli*, *Vestiarium* quoque *Neronis* idem esse debuisset, quod *Vaticanum*, seu *Vestibulum* Templi *Apollinis*. Quod nimis aperte, non tam veritati, quam ipsius Mallii sententiae adversari, nemo non videt. Quare minime dubitari potest, quin Mallius de Templo *S. Petronillae* contermino loquutus sit, quum *S. Andreae* Templum nominavit. Praeterea ex hoc altero Mallii loco res comprobatur [1]. *Iuxta Portam aeneam, quae vadit ad S. Petronillam, et ad S. Andream, est Oratorium SS. Processi, et Martiniani*, a Paschali I. excitatum, quod in tab. Alpharani n. 20. designatur. Nonne enim, si Mallius, ubi ceteri, *Andreae* Templum agnovisset, ex Oratorio SS. MM. ad Portam aeneam lectorem manuducens, hunc primum *ad S. Andream*, ac deinde ad *S. Petronillam* ducere debuisset?

Id ipsum mirifice confirmavit Anonymus de *Mirabilibus Romae*, quem sequenti seculo XIII. floruisse scimus. Hic equidem, fateor, sese prodit antiquitatis imperitum, resque identidem ex vulgi opinione describit. Quum tamen illo aevo monumenta, ut recte animadvertit Montfauconius [2], *priscum nomen vel apud Populares retinerent, non*

1 n. 24. p. 40.

2 in Diar. Ital. p. 252.

parum inde lucis mutuabitur, quicumque Romanis antiquitatibus indagandis operam impendat. Is igitur, postquam eadem Mallii verba exscripsit, (qua ex re patet, quam presse Mallii sententiae adhaeserit), in *S. Andreae* Templum veluti digitum intendens, locum, ubi stabat, multo, quam a Mallio factum est, clarius etiam, ut jam vidimus, designavit. Sed juvat, iterum ejus verba audire. *Infra Palatium*, inquit [1], *Neronianum est Templum Apollinis, quod dicitur* S. Petronilla *in Basilica S. Petri*, ante *quod est Basilica, quae vocatur* Vaticanum, *quia Vates, id est Sacerdotes canebant ibi sua officia ante Templum Apollinis, ibique* aliud Templum, *quod fuit* Aerarium Neronis, *ubi nunc est Ecclesia* S. Andreae, *juxta quod est memoria Caesaris, id est Agulia*. Item in antiquiori ejusdem Anonymi editione, Montfauconio ignota, per Valerium Doricum adornata, legitur. *Ante Templum Apollinis fuit Castrum Neronis, ubi nunc est Ecclesia* Sancti Andreae. Quaeso, quodnam aliud Templum heic describitur, praeter *Sacrarium*? Quum enim inficiari nemo possit, *Obeliscum Sacrario* proximum fuisse, manifestum est, Ecclesiam *S. Andreae, prope memoriam Caesaris*, seu *non longe a sepultura Iulii Caesaris*, ut loquitur pervetustus Codex infra afferendus, fuisse Templum, *S. M. Febrifugiae* nomine deinde insignitum, ac denique in *Sacrarii* usum conversum, a Basil. quae *Vaticanum* dicebatur, *ante Templum Apollinis*, nimirum ab aditu Templi S. Petronillae, plane diversum. Quidni? Num, ut in diversa sententia, de ceteris Scriptoribus pronuntiandum esse, supra animadvertimus, aede *B. M. a Febribus* excepta, omnia loca, B. *Petronillae* Templo contigua, ab Anonymo descripta esse censebimus?

1 ibid.

Neque vero magis consentanea esse possunt tam Anonymi, quam Mallii verba, quum uterque asserat, Templum, quod ipsi pro *Neronis Vestiario* accipiebant, *Sancti Andreae* nomine venire. Nihil enim refert, quod in Anonymo, *Aerarium* pro *Vestarium*, seu *Vestiarium* offendatur, quum ibidem librarii mendum pro certo irrepsisse putem; ac praeterea, etsi *Aerarium*, aut *Castrum* legendum esset, id diversam Scriptoris sententiam de Templi nomine, non de situ manifestaret. Quod vero, etsi uterque hoc Templum sua aetate *S. Andreae* sacrum fuisse noverat, ignoravit tamen, a quo Templum revera conditum fuerit, ac proinde primitus a Nerone constructum conjectaverint, hujus rei caussam in ejusdem Templi antiquitatem, jam tum remotissimam, arbitror esse conferendam. Ac mirum profecto est, quod tum Mallius, tum Anonymus, quibus ceteroqui verum hujusce Templi nomen debemus, etsi hoc ab Ethnicis antiquitus constructum opinati sunt, nihilominus secus, ac ceteri scriptores, non *Marti*, vel *Matri Deûm*, sacrum illud ab initio fuisse, sed potius *Neronis Vestiarium*, Circi usibus inserviens existimaverint.

Quid, quod multo post tempore, hoc est, Sec. xv, id ipsum *B. Andreae* nomen, loco, ubi tum *Neronis Vestiarium* exstitisse putabant, etiamnum haerebat? Quum enim Maph. Vegii opusculum *de rebus antiquis memorabilibus Bas. Vaticanae*, pariter a Janningo [1] in lucem editum pervolutarem, veluti sponte, sese mihi ejus verba superius allata obtulerunt. Ceterum ex iis patet, Templum, quod *Vestiarium Neronis* nuncupabatur, ac *S. Andreae* nomen vulgo tum retinebat, aditum fuisse Templi *S. Petronillae*,

1 L. iv. n. 127.

Vegium pronunciasse. Quae quum mecum animo cogitarem, non videbam tamen, quid inde damni conflare in me ejusdem posset opinio, contra Mallii, et Anonymi sententiam. Nam quid demum consequeretur, nisi errasse Vegium, quum Templum a Symmacho erectum in Vestibulo S. Petronillae statuerit, ubi tantum Altare *S. Andreae* sacrum exstitit, etsi a *Symmacho Basilicam*, sive *Ecclesiam*, *S. Andreae* erectam fuisse, non vero *Altare* solum Anastasius testetur?

Sed multo ante Vegium, verum hujus Basilicae locum incompertum fuisse colligimus, ex veteri Kalendario ms. apud Turrigium [1], ubi haec habebantur. *Die* XXX. *Novembris S. Andreae Apostoli. Habemus Cappellam, et Caput, et de gamba, cum tibia ejus, et habebamus Oratorium. Nunc est dirutum.* Ex quibus sane intelligimus, quum Oratorium *S. Andreae* a *Symmacho* juxta Petri Basilicam excitatum fuisse, neminem latuerit, de vero ejus loco adeo nihil illis temporibus suboluisse, ut jam dirutum haberetur, quippe quod in aditu Templi *S. Petronillae* jamdiu exciso, dumtaxat exstitisse, pro certo habebant.

§. III.
De cultu ejusdem Templi.

Quum satis, ni fallor, probatum sit, hoc loco *S. Andreae* Basilicam, *Symmachi* jussu, a solo fuisse excitatam, illud nunc reliquum esse video, ut quot, quantisque ea donis a Romanis Pontificibus cumulata, quantaque reverentia, jam inde ab initio habita sit, inspiciamus. Quod quum praestabimus, illud etiam efficiemus, ut lectorum, si qui futuri sint, nimis fortasse morosi, atque

1 L. IV. n. 127. 2 p. 231.

difficiles, qui de rei veritate etiamnum dubitent, offensionibus occurramus.

Ac, ut a *Symmacho* Templi conditore, ut par est, initium ducam, is, Anastasio teste [1], *fecit ciborium ex argento purissimo in Confessione, pensans libras* CXX, *arcus argenteos* III. *pensantes libras* IX. Et sane mirandum jure esse, animadverterunt Binius, Labbaeus [2], et Ciacconius, sub Rege barbaro, sub quo Vrbs ipsa quodammodo captiva misere teneri videbatur, tot, ac tanta, quanta certe sunt, quae ab Anastasio de *Symmacho* memorantur, praestari potuisse; quamquam idem Pontifex pastorali munificentiae in redimendis captivis, alendisque CCXX. Africanis Episcopis in Sardiniam a Trasamundo Wandalorum Rege delegatis, non defuerit.

Post *Symmachum*, en tibi aliorum Pontificum elenchum ex eodem Anastasio, qui *B. Andreae* Templum donariis quantivis pretii certatim ditarunt. *Honorius* [3] *fecit ad B.* Andream *Apostolum, juxta eamdem Ecclesiam B. Petri Apostoli, ante Confessionem ejus, tabulam argenteam, quae pensat libras* LXXIII. Hujusmodi tabulas, quarum tamen varium fuisse usum Lazarus Boquillotius [4] demonstrat, saepenumero a Romanis Pontificibus oblatas, in Anastasio memorari video. Idemque sacrorum anathematum genus, jussu Theobaldi Abbatis S. Liberatoris [5], et Hilmeradi Episcopi Helenensis [6] constructum occurrit, praeter Tabulas argenteas, quas Georgius [7] recenset. Joh. VI. [8]

1 T. I. §. vI. p. 176.
2 T. III. Anastas. edit. Blanch. p. 220.
3 T. I. §. II. p. 244.
4 Traitè historique de la Liturgie sacrè chap. v. a Paris 1701.
5 Muratorii Antiqq. medii aevi T. IV. pag. 168.
6 In Appendice Marcae Hispanicae. Parisiis 1668.
7 de Sacro Ministerio. in Liturgia Rom. Pont. T. I. disquisit. c. XXIX.
8 T. I. §. III. p. 316.

fecit in Basilica S. Andreae *Apostoli, quae ponitur, infra Ecclesiam B. Petri Principis Apostolorum, ambonem noviter.* Gregorius III. [1] *fecit autem et tectum noviter simul, et cameram S.* Andreae *Apostoli ad S. Petrum Apostolum, quam et depinxit, et fecit ibi imaginem auream B.* Andreae *cum gemmis pensantem libras* VIII, *et intra confessionem vestivit argento, quam deauravit auro purissimo.* Idemque Gregorius [2] *fecit vestes ad Altaria, in Ecclesia scilicet D. Salvatoris, S. Dei Genitricis, SSque Apostolorum Petri, et Paulli, atque* Andreae, *et ceterorum SS. in diversis Ecclesiis.* S. Zacharias [3] *fecit vestem, super Altare B.* Andreae *Apostoli, ad B. Petrum, nimis opimam.* Stephanus III. [4] *fecit tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad Altare, ubi imagines in frontispicio constitutae sunt, unum quidem in Basilica B. Petri Apostoli, et alium in Basilica B. Paulli, et alium ad B.* Andream *Apostolum.* Adrianus [5] *in Ecclesia B.* Andreae *Apostoli sita juxta eamdem B. Petri Apostoli Eccl. Ciborium noviter ex argento mundissimo ipse ter BB. Pontifex fecit, quod pensat libras* CXXXV. Leo III. [6] *fecit autem et in Basilica B.* Andreae *ad B. Petrum Apostolum rugas argenteas pensantes libras* LXXX. Praeterea [7] *super Altare B.* Andreae *fecit vestem chrysoclavam cum margaritis, sed et presbyterium ex marmoribus sculptis ornavit. Fecit autem* [8] *idem BB. Pontifex in Basilica* B. Andreae, *ubi supra, regnum ex auro purissimo cum gemmis pretiosis ornatum, pensans libras* II. *et uncias* V. Hoc amplius, *fecit* [9] *ad B.* Andream *Apostolum ciborium ex argento purissimo pensans libras* CCC. *et* V. *Isdem vero* [10] *praesagus*

1 T. II. §. XI. p. 52. 2 ibid. §. XVI. p. 56.
3 ibid. §. XXVIII. p. 84.
4 ibid. §. XXVIII. p. 156.
5 ibid. §. XLVI. p. 196.
6 ib. §. VI. p. 241. 7 ib. §. XXXV. p. 261.
8 ibid. §. LV. p. 274.
9 ibid. §. LXV. p. 378.
10 ibid. §. LXVIII. p. 282.

Antistes, *ubi supra*, *ad* B. Andream *Apostolum investivit Altare majus ex argento purissimo deaurato*, *miro decore ornatum*, *quod pensat undique libras* CXXXV. *cantharas ex argento purissimo* XII. *pensantes simul libras* LII. *canistros* XII. *ex argento pensantes libras* LXXVIII. Nec satis. *In Ecclesia* [1] B. Andreae *Apostoli*, *quae ponitur ad B. Petrum Apostolum*, *fecit coronam ex argento pensantem libras* LVIII. Quid praeterea? etiam. Nam *et in Oratorio S.* Andreae [2], *ubi supra*, obtulit *vela duo holoserica*, *ornata ut supra*. *Gradus vero* [3], *per quos ingressus est in Ecclesiam B. Petri Apostoli a* S. Andrea *Apostolo*, *qui vetustate consumpti erant*, *a novo refecit*. Qui quidem gradus primum constructi fuerant in Templi erectione a *Symmacho* [4], *qui et cantharum posuit pro ascendentibus ad B. Andream*, ubi tamen potius *descendentibus*, cum Vignolio legendum esse, quis non adsentiat, si per eosdem gradus in Bas. Vat. multo altiorem ingressum fuisse animadvertat? Ac demum idem Leo III. [5] *fecit super Altare* B. Andreae, *ubi supra*, *vestem albam holosericam rosatam cum tabula de chrysoclavo*, *habentem historiam dominicae resurrectionis*, *et in circuitu listam de chrysoclavo*. Quid vero Leo IV? *Obtulit* [6] *in Oratorio* B. Andreae, *quod ponitur in dicta Basilica B. Petri Apostoli*, *vela modica de fundato tria*. Idem Pontifex [7] *fecit in Oratorio* S. Andreae *Apostoli ad S. Petrum vela majora de fundato duo*, *et alia minora quinque ornata in circuitu de blattin*. Praeterea *fecit* [8] *et in Eccl.* B. Andreae *Apostoli ciborium super ex marmore*, *necnon et calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem ciborio*, *numero duodecim*, *pen-*

1 T. II. §. LXXI. p. 284.
2 ibid. §. LXXXIII. p. 256.
3 ibid. §. XC. p. 302.
4 T. I. §. VIII. p. 177.
5 T. II. §. CI. p. 308.
6 T. III. §. IX. p. 71.
7 T. III. §. XX. p. 75.
8 ibid. §. LV. p. 102.

san. . . libras . . . . Fecit etiam ibi ipsum Campanile, et posuit campanam cum malleo aereo, et cruce exaurato. Qui etiam[1] *Porticum, quae S.* Andreae *cohaeret Ecclesiae, quum cerneretur casura, in melius noviter restauravit.*

Quae vero fuerit hujusce Templi tam magnifice, splendideque exornati dignitas, quae majestas, nihil me attinet dicere, quum satis superque ex hac sola Anastasii locorum recensione intelligi possit; quae praeter Paullini, Prudentii, Salviani, Victoris Vitensis, Optati Millevitani testimonia, manifeste declarat, plenis calathis, pretiosa donaria Templis constantissime oblata. Verum, quod multo pluris interest, de hoc *Symmachi* Templo, quod in *Sacrarium* postea conversum fuit, eumdem Scriptorem loquutum esse, minime dubitandum est. Quum enim ab eodem istiusmodi Templum, *infra* Ecclesiam B. Petri, *juxta* B. Petri Ecclesiam, *ad* B. Petrum, *apud* B. Petrum designetur, constetque aliundè, hoc non ibi exstitisse, ubi ceteri illud collocarunt, quum in eo loco Templum *S. Michaeli Archangelo* sacrum fuisse demonstravimus, consequens est, fuisse ipsum alteri *S. Petronillae* contiguum, quocum fere semper ab Anastasio conjungitur, et nominatur. Quid enim? dices Anastasium, Templum S. Petronillae, ejusque aditum toties nominasse; nunquam vero alterum Templum rotundum ei plane geminum?

Quapropter nemo non videt, minus recte a Janningo[2], qui, etsi uberrimam ex Anastasio messem collegerit, multos tamen mihi Spicilegii manipulos reliquit, hanc locorum congeriem Templo *S. Michaelis Archangeli*, pro hoc altero *S. Andreae* Templo ab se accepto, attri-

1 ibid. §. LXXXV.

2 T. VI. Junii p. 93.

butam. Quid vero dicam de Ciampinio [1], qui cum Janningo paria sentiens, haud obscure prodidit, penitus sese ignorasse, quod Janningi eruditionem non omnino fugit? Nam disserens de hac *S. Andreae* Basilica, dumtaxat adnotavit, *Iohannem* VI. *hac in eadem Ecclesia ambonem noviter fecisse*. Siquidem nulla ratio erat, cur Johannis *ambonem*, ceteris longe praestantioribus aliorum Pontificum ornamentis praeferret, ac solummodo nominaret.

Etsi vero allata Anastasii loca ad Templum hoc nostrum referenda esse contendo, non idem de aliis duobus sentiendum esse arbitror, ubi *Monasterium S. Andreae* nominatur *juxta Basilicam Apostolorum*. Ea sic habent [2]. *Sed* (Leo III.) *et in* Monasterio S. Andreae, *quod ponitur juxta Basilicam Apostolorum, instar fecit canistrum ex argento pensantem libras* II. Ac in vita Stephani V. [3] *In Oratorio S. Thomae, sito in* Monasterio S. Andreae *Apostoli, juxta Basilicam Apostolorum, fecit vestem unam*. Hoc enim *Monasterium*, quod etiam *Monasterium regionis Bibareticae* appellatum fuisse docent Martinellius [4], et Lubinus [5], situm erat *juxta Basilicam* XII. *Apostolorum*, nimirum prope Basilicam Apostolorum *Philippi, et Iacobi*, sub Quirinali positam, a Pelagio I. Pont. inchoatam, et a Johanne III. absolutam, de qua consule, si vacat, Martinellium [6], et Bonaventuram Malvasiam [7], qui eam peculiari opusculo illustravit. Sed ejus situm in quodam lapide in Monasterio S. Silvestri de Capite [8] in Campo Martio, olim exstante, descriptum, nobis Grimaldus etiam

1 p. 93.
2 T. II. §. LXXVII. p. 291.
3 T. III. §. XIV. p. 272.
4 p. 16. et 336.
5 p. 330.
6 p. 64. et seq.
7 Compendio Historico della Ven. Bas. de' SS. XII. Apostoli. Roma 1665. 8.
8 Giacchetti Historia della Ven. Chiesa, et Monastero di S. Silvestro de Cap.:e. Roma 1629. p. 63.

indigitat. Ait enim [1]. *Monasterium S. Andreae, juxta Basilicam Apostolorum, hanc esse puto Ecclesiam S. Andreae, juxta Columnam Antoninam, solo aequatam sub Paullo* III. *erecta perpetua Cappellania ex redditibus ejus in Ecclesia Sanctae Mariae in via*. Haec autem vidit etiam eruditissimus Vignolius in vita Iohannis VI. [2], cui tamen Anastasii verba de vita Stephani V. [3], ad *S. Andreae* Ecclesiam pone Basilicam xII. Apostolorum omnino pertinentia fucum fecerant; ac propterea palinodiam cecinit, quod ea in *Symmachi* vita [4] de Ecclesia *S. Andreae* Apostoli, quae Vat. Bas. proxima erat, interpretatus est.

Sed, ut aliarum quoque rationum vi, ac pondere nostram sententiam magis, magisque roboremus, age, experiamur, an item ex eodem Anastasio erui possit, ubinam *Symmachus B. Andreae* Templum excitaverit? Atqui idem locus in vita *Stephani* II, qui nobis veram S. *Petronillae* Templi originem patefecit, gemini hujus Templi ortum liquido declarabit. En tibi illum [5]. *Fecit et juxta Basilicam B. Petri Apostoli, et ab alia parte B.* Andreae *Apostoli, in loco, qui Mosileos appellatur, Basilicam in honorem S. Petronillae*. Quibus perlectis, statim vix est, ut revocari in dubium possit, utrum amplius *B. Andreae* Templum, in Templi *S. Petronillae* vestibulo agnoscendum sit, an potius in altero Templo rotundo, quod, quum e regione esset, ab altera parte Templi S. *Petronillae* exstabat. Quid ita? quod scilicet, si Templum *S. Andreae* in *aditu* Aedis *S. Petronillae* exstitisset, nunquam certe Anastasius *B. Petronillae* Templum *ab altera parte B. Andreae Apostoli* positum fuisse pronunciasset. Sed ne ullus

1 c. 1I. de Canon. S. Petri ms.
T. I. §. 11I. p. 316.
3 T. 11I. p. 272.
4 T. I. p. 176.
5 T. 1I. Anast. edit. Fabrotti p. 124.

relinqui videatur dubitationi locus, quin ad hunc plane modum Anastasium intelligendum esse, pro certo habeamus, altera ejusdem Scriptoris verba heic lubet expendere in vita *Paulli* I. Pontificis, quae sunt hujusmodi [1]. *Oraculum in S. Dei Genitricis honorem construxit, juxta Oraculum B. Leonis Papae, secus fores introitus S. Petronillae, atque B. Andreae Apostoli*. Cur autem, ut situm tam illustris Cellae, titulo *S. M. in Oratorio*, aut de *Cancellis* decoratae demonstraret, adjunxit, *secus fores B. Andreae Apostoli*? Ecquis non videt, si Templum *S. Andreae* Apostoli, in aditu *S. Petronillae* exstitisset, primum hanc aedem, in quam e Basilica Vat. foribus introitus fuisset, ac deinde alteram *S. Petronillae* nominandam? Quare, ne otiose, aut praepostere ab Anastasio hujusmodi verba adjuncta fuisse opinemur, fatendum est, Templum *B. Andreae*, quum proximum esset alteri *S. Petronillae*, ab eodem nominatum fuisse, ut clarius Oratorii, quod Paullus erexerat, situm describeret, illudque aeque contiguum uni, atque alteri Templo fuisse intelligeremus. Quamquam, si cui forte haec minus arriderent, absque ullo sententiae meae dispendio, possem annuere, ibidem Anastasium de *Vestibulo* Templi S. Petronillae, ubi Altare *S. Andreae* sacrum fuisse concessimus, loquutum fuisse; quum ibi Oratorium nominet a Paullo I. conditum, qui Stephano II. successit, a quo idem *Vestibulum*, una cum ipso S. Petronillae Templo, erectum fuisse conjicimus.

Huc etiam referenda sunt Freheriani Codicis verba, quae superius [2] attulimus ex Fabrotto, ubi legitur in vita Paulli [3]. *In Mausoleo, juxta Ecclesiam B.* Andreae *Apostoli, quod praefatus BB. Stephanus Papa ejus Germanus*,

1 T. I. p. 150. 2 p. 272. 3 T. II. p. 248.

dum adhuc superstes erat, Ecclesiam in honorem ipsius Sanctae Christi Martyris Petronillae, picturae miro decore illustravit. Nam si Mausoleum *B. Petronillae* erectum fuit *juxta* Ecclesiam *B. Andreae Apostoli*, nonne argui potest, heic de altero Templo, ei contiguo, sermonem fieri?

Praeterea Templi hujus meminisse Anastasium videmus, non tam in *Symmachi* ejus conditoris vita, quam in aliis Honorii I, Johannis VI, et Zachariae, priusquam a *Stephano* II. Aedes B. *Petronillae* aedificaretur. Quod, quum satis probet, Templum S. *Andreae*, Sec. vI. ineunte, excitatum, longe ante illud S. *Petronillae*, quod Sec. vIII. exstructum fuit, exstitisse, illud etiam declarat, hoc neutiquam pro illo esse accipiendum, quod exstare dicebatur in aditu Templi S. *Petronillae*, quodque una, vel ipsum *Stephanum* II, aut alterum deinde Pontificem condidisse, putandum est; sed pro eo tantum, de quo disputamus. Vix enim, aut ne vix quidem credibile profecto est, *Altare*, quod in *Templo S. Michaelis Archangeli*, in honorem B. *Andreae* erectum, non negamus, tam remotae fuisse antiquitatis, ut ipso *B. Petronillae* Templo vetustius dicatur, ac Vestibulum, priusquam ipsum Templum, constructum sit; quod quidem nulla alia de caussa erectum videtur, quam ut ex Aede S. *Petronillae* in Vaticanam Basilicam aditus pateret.

Haec multo verius ad Templum nostrum accomodabis; quod praeterea Anastasius, quoties deinde nominat, toties fere, et alterius contigui S. *Petronillae* mentionem facit. Nam in Leone III, ubi ait [1], *super Altare B.* Andreae, *fecit vestem chrysoclavam*, continuo addit, *et in Altare B.* Petronillae *fecit vestem holosericam*. Et rursus

1 T. II. p. 261.

in eadem vita [1]. *In Bas. B.* Andreae *fecit regnum ex auro purissimo* .... illico adjecit, *nec non et super Altare B.* Petronillae *fecit regnum aureum cum gemmis pretiosissimis*. Ac demum, ne nimius sim, in eadem vita, inquit [2]. *Super Altare B.* Andreae *fecit vestem albam holosericam*, ac paullo post subdit, *verum etiam et super Altare B.* Petronillae *fecit vestem albam holosericam*.

Ex quibus non inepte conjeceris, utriusque Templi similitudinem, ac propinquitatem, Anastasio in mentem venisse, quoties alterutrum nominaret; hincque propemodum inductum fuisse, ut, dum de altero scriberet, alterum etiam memoraret, ne ea, vel in sua historia, quodammodo dissociarentur. Praeterquamquod nequaquam putandi sunt Pontifices, iisdem donariis ornare voluisse Altare S. *Andreae* in *aditu* Basilicae S. *Petronillae*, atque ipsam tanto augustiorem ejusdem S. Virginis Basilicam; quod alioqui probabilius est, eos praestare voluisse erga *B. Andreae* Basilicam ei adnexam, ut quum forma externa, duo haec Templa simillima essent, tum etiam iisdem ornamentis interius collucerent.

Ad haec accedit, quod legimus in eodem Anastasio [3], *in Ecclesia* B. Andreae *Apostoli* Leonem IV. fecisse *ipsum Campanile, et posuisse campanam cum malleo aereo, et cruce exaurato*. Quis autem credat, Leoni in mentem venisse, Turrim Campanariam exstruere, prope *Aditum* Templi S. *Petronillae*? Quare dicendus est, hanc erexisse prope nostram S. *Andreae* Basilicam, uti suo loco demonstrabimus, quum de *Gallo aeneo* supra eamdem posito, disseremus. Praeterea ex Anastasio audivimus [4],

1 ibid. p. 274.
2 ibid. p. 308.
3 T. III. p. 102.
4 ibid. p. 223.

eumdem Leonem, *Porticum*, *quae* S. Andreae *cohaeret Ecclesiae, quum cerneretur casura, in melius noviter restaurasse*. Atqui Templum S. *Michaelis* laeva, B. *Petronillae* Templo, cujus erat *Vestibulum*, dextra Bas. Vaticanae adhaerebat, in quam inde aditum patuisse vidimus. Propterea, quonam pacto hujusmodi Anastasii verba de *Altari* S. Andreae, quod in Templo S. *Michaelis* exstabat, accipienda sint, equidem plane non intelligo.

Hanc autem Porticum, quae ab Anastasio designatur, revera *B. Andreae* Templo cohaerentem fuisse, dubitare non sinit Alcuinus, aut quicumque fuerit auctor, certe antiquissimus, *Notitiae Ecclesiarum Vrbis*, quae ejus operibus assuta est, ubi ita scribitur [1]. *Pro intrante in* Porticu *S. Andreae, occurrit tibi in sinistra manu Altare S. Laurenti, deinde S. Viti, deinde S. Cassiani, deinde ipsius* Andreae *in* medio rotundae, *et sic S. Thomae, et sic S. Apollinaris, novissime S. Xysti*. Qui quidem locus, quum non solum *Porticum* Ecclesiae *S. Andreae* adnexam fuisse testetur, sed, quod magis est, hanc ipsam Ecclesiam *rotundam* fuisse doceat, mirifice, si verum amamus, nostram opinionem confirmat, Templumque *S. Andreae* a *Symmacho* excitatum, in dejecto *Sacrario* statuendum esse, apertissime declarat.

Denique, si vel ipsa nomina expendamus, quibus *B. Andreae* Templum Anastasius indigitat, liquidum sane erit, de nostro tantum Templo loquutum fuisse. Nihil enim refert, quod aliquando *Altaris* nomine illud donavit, quum ita vel ipsa *Templa* saepe numero fuisse indicata, pluribus jam supra demonstraverim. Sed tamen multo frequentius *Ecclesiam*, *Basilicam*, *Oratorium* appel-

1 T. II. in App. III. par. II. p. 598.

lat, quod certe nusquam fecisset, si unum in aditu Templi *S. Petronillae Altare* nominare voluisset. Et illud quî fieri potuit, ut *Turris Campanaria*, atque etiam *Porticus* S. Michaelis Templo adhaererent?

Praeterea eritne cuipiam credibile, ut rursus heic moneam, toties Anastasium de *S. Petronillae* Templo, nusquam de contiguo altero mentionem fecisse? Id tamen profecto dicendum foret, si detur Templum *B. Andreae* a Symmacho exstructum, in aditu Templi *S. Petronillae* esse statuendum. Ostendant igitur, si qui contra sentiunt, quo nomine dejectum *Sacrarium*, quod certe ab antiquissimis temporibus stetit, apud Anastasium veniat; tum quod volent, efficiant. Quis autem sibi persuadeat, Pontifices tantam auri, argenti, gemmarumque vim in Templum *S. Petronillae*, atque in ejus aditum, ubi tantum *Andreae* Templum agnoscunt, congessisse; nullum vero ornamentum in proximum ei Templum unquam contulisse, quod Anastasius memoria dignum putaverit, ac proinde silentio omnino praeterire debuerit, verumque ejus nomen, toto historiae suae cursu, occultare? Quum enim multo post Symmachi aetatem, *B. M. a febribus* dicatum fuisse constet, ut loco suo aperte demonstrabimus, palam est, alteri cuidam Caeliti sacrum ab initio fuisse. At quum semper Anastasius solum *Andreae* nomen in medium proferat, id argumento est, Templum, de quo disputamus, *B. Andreae* revera nuncupatum fuisse. Sed diutius, quam antea constitueram, in Anastasii verbis perpendendis immoratus sum, ex quibus nostra sententia de situ Templi *S. Andreae* apprime confirmatur. Nunc ad alia, quae non minorem profecto vim, et pondus afferent ad eamdem comprobandam, progrediamur.

§. IV.

De Conciliis in eodem Templo celebratis.

Basilicam *S. Andreae* nequaquam in Templi *S. Petronillae* Vestibulo agnoscendam, ex eo etiam argui potest, quod in *Consistorio B. Andreae Apostoli*, Concilium Romanum [1] III, anno salutis DXXXI. post Consulatum Lampadii, et Orestis VV. CC, die VII. Iduum Decembrium, *praesidente Venerabili Viro Papa Bonifacio* II. *residentibus* IV. Episcopis, XXXIX. Presbyteris, *adstantibus* IV. Diaconibus, et Tribuno Archidiacono, celebratum fuisse, compertum est. Quod quum loci capacitatem demonstret, *quis inficiabitur*, ut Bull. Vat. editores [2] pronuntiant, *Consistorium B. Andreae, celebre quondam fuisse Oratorium ad Basilicam S. Petri*? Ego vero addam, quis inficiari poterit, haec illud etiam apertissime declarare, Ecclesiam *S. Andreae*, cum angustiori *S. Michaelis Archangeli*, in *aditu* Templi *S. Petronillae* perperam fuisse commutatam? Siquidem constat, nullum aliud praeter hoc, pone Vaticanam Basilicam, Templum fuisse *S. Andreae* sacrum. Itaque perspicuum est, *Consistorium B. Andreae*, uti notat Holstenius [3], et cum eo Pagius [4], Norisius [5], et Blanchinius [6], *habitum ad S. Petrum in Vaticano*, in Templo, de quo agimus, celebratum fuisse.

Quis autem cum Ciampinio [7], qui falso hoc Concilium Bonifacio III. tribuit, Ianningo [8], et Bull. Vat. editoribus, sibi persuadeat, *aditum* Templi *S. Petronillae*,

1 Tom. II. Concil. Hard. col. 1111. Act. I. et II.
2 T. I. p. 2.
3 in Coll. Rom. V. M. Part. I. p. 1. et p. 250. Par. II.
4 ad ann. 532.
5 Hist. Pelag. lib. II. cap. XXII.
6 in T. III. Anastas. p. 256.
7 p. 87. et 89.
8 p. 87.

a Bonifacio II. selectum fuisse, ut Concilium eôdem cogeret? Etsi enim unum ex iis, cum Holstenio [1], Garnerio [2], et P. Bianchi [3] fuisse concedam, quae ex Clero Romano, atque ex Episcopis, qui forte in Vrbe aderant aliis de caussis, identidem constabant, tamen praeclarum, atque insigne fuisse, nemo diffitebitur, non minus ob rerum ibidem gestarum gravitatem, quam ob ritus Rom. Eccl. proprios in Synodis celebrandis, qui tum maxime enituerunt, ut cum Holstenio apposite adnotavit eruditissimus Petrus Lazerus [4]. Verum quî potuit Bonifacius Synodum congregare in aditu, quem, nonnisi a Stephano II, constructum fuisse, censendum est? Quapropter illud potius, meo quidem judicio, tenendum est, quum olim Pontificibus, et Episcopis sollemne fuerit, Concilia in Vrbe celebrare, in vicinia exsuviarum Principis Apostolorum, ut *coram Beatissimo Petro*, juxta Leonis M. [5] consilium, quodammodo habita dici possent, utque in suis cineribus propemodum adhuc vivens, atque Ecclesiam gubernans, sua muniret auctoritate, quod illi pro crediti muneris ratione, et ad Christ. Reip. bonum sanciebant, Bonifacium II, singulari quadam erga *B. Andream* pietate incensum, illud magni momenti negotium, in Aede ejus nomini sacra, tractare voluisse, ut Germanum Fratrem, ad feliciorem totius rei exitum, intercessorem apud *Petrum* interponeret.

Sed, si quae alia hujus rei excogitanda, ac reddenda ratio est, ac demus, jam tum, etsi Templum S. *Petronillae* nondum erectum esset, hunc aditum, ibique jam Al-

1 in Observat.
2 in Dissertat. II. de Synod. habit. in caus. Pelag. p. 194.
3 T. v. P. I. p. 97.
4 in dissertatione de Conciliis Romanis prioribus IV. Ecclesiae sec. Romae 1754 p. 4. et 8.
5 T. I. Ep. olim IV. c. VII. p. 157.

tare *Andreae* sacrum exstitisse, angusto hujusmodi loco longe amplior hujus Templi situs Bonifacium potuit inducere, ut hunc alteri, ad cogendum Concilium praeferret. Nam rotunda ejus forma, *Basilicae, quae et Trullus appellatur, intra Palatium* Constantinopolitanum quodammodo praelusit, ubi *sub regali cultu*, ut Anastasii verbis dicam in vita Agathonis [1], *residente Constantino Augusto, et cum eo Georgio Patriarcha CP., et Macario Antiocheno, suscepti sunt Missi Sedis Apostolicae, deinde Metropolitae, vel Episcopi Orientalium partium numero* CL, ac VI. Synodus inchoata, quam Leonis II. Pontificatu absolutam, ex eodem Anastasio [2] fuisse discimus. Ita enim denominatum fuisse diximus, Imperialis Palatii Triclinium, quod Tholus superimpositus ei esset, *Trullae* inversae formam referens [3].

Quod si Ciampinio credimus, necesse est, ex doctrina ejus fateamur, magnam hinc etiam fieri huic Templo honoris, laudisque accessionem. Putavit enim [4], ex hac Synodo; habita in *Consistorio B. Andreae*, et ex altera habita sub Symmacho Papa in *Consistorio Lateranensi*, Purpuratorum Patrum Congregationes, in quibus Episcoporum electiones fiunt, amplissimum *Consistorii* nomen primo desumsisse. Verum de hujus vocis origine, praeter Cardinalem Paleottum [5], consulendi sunt Petrus Coustantius [6], et Christianus Lupus [7], qui *Consistorium*, Presbyterio, seu Cleri Romani conventui, cui Pontifi-

1 T. I. §. VI. p. 278.
2 ibid. §. II. p. 288.
3 pag. 179. Ducangius. In Cpoli Christ. lib. II. c. IV. num. XIX. et XX. et lib. III. c. XXIII. Christ. Lupus. T. III. pag. 68. Dissertat. de Synodi Trullanae causa, tempore, loco, Episcopis, auctoritate. et Vignolius. T. I. p. 278.
4 p. 87.
5 de Sacro Consistorio.
6 in Praef. T. I. Epist. Rom. Pont.
7 de appellat. ad Petri Cathedr. diss. II. cap. XIV.

ces graviora negotia deferebant, antequam quidquam decernerent, successisse arbitrantur. Hoc enim Synodi genus, primo *Compresbyterium*, deinde *Consistorium*, nuncupatum fuisse tradit Holstenius [1], qui eô spectasse censet Hieronymum, ubi scribit [2], *et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, Coetum Presbyterorum*, vocabulo a civilium Principum usu desumpto, quem egregie illustrant Jo. Filleau [3], et Just. Christ. Thorschmid [4], etsi *Consistorium* Principis, CP. *Silentium* quoquè nuncupabant, et *Silentiarium* locum, ubi *Silentiarii* excubabant, id est *Consistorii Principis Excubatores*, et quietis ministri [5].

Alterum in hoc eodem Templo Concilium a *Gregorio* M. celebratum fuisse puto, ex vita S. Gregorii Agrigentinorum Episcopi [6], quam Leontius Monachus graece conscripsit, quamque latine redditam, una cum editione ejusdem Gregorii operum, eruditissimis prolegomenis, atque adnotationibus locupletata, a Stephano Ant. Morcellio in dies cupidissime exspectamus. Narrat enim Leontius, Episcopos, qui eô convenerant, *Pontificem Maximum veneratos, in magno Vestibulo, quod S. Andreae Apostoli dicunt, consedisse*, ibique Gregorii caussam ab iis esse absolutam. Heic autem eadem, quae supra attulimus, argumenta recurrunt. Nam si Bonifacius in Templum rotundum, a Symmacho S. *Andreae* honoribus excitatum, Synodum coegit, multo magis id *Gregorium* M.

1 in Observat.

2 Comm. in Isai. lib. II. cap. III.

3 de Comitib. Consistorial. Paris. 1638. et in T. I. Thes. Meermanni p. 342.

4 Historia Comitum Consistorianorum in Imperio Orientis. Wittebergae 1720.

5 P. Diacon. hist. Misc. lib. XXI. Buleng. de Imp. lib. III. cap. VI. Zipe de Mag. lib. 2. cap. 5. n. 15. Ios. ab Exea, et des Cartin Recit. ad L. 42. Cod. de Palatiis p. 413. T. III. Thes. Meermanni.

6 V. ejus vitam ex Simeone Metaphraste in Surii vitis SS. die XXIII. Nov. p. 487. et Ioh. Lancea de Gregorii Agrigentini aetate Diss. in T. IV. Opuscul. di autori Siciliani. Palermo 1762.

Apostoli studiosissimum praestitisse, putandum est. Qua vero de caussa Leontius idem Templum, *magnum Vestibulum* appellaverit, ignoro. Quid, si vulgari opinioni adhaerens, quum Synodum in Aede *Andreae* dicata habitam descripsit, non ubi re ipsa tunc acta esset, sed ubi actam fuisse, sibi persuasisset, indicasset? Forte autem Templum rotundum *Andreae* sacrum, antea fuisse *Vestiarium Neronis*, quod *Vestibulum* quoque dictum fuit, et ipse censuit; atque ita, dum *Vestibulum* nominavit, Templum rotundum indicare potuit; aut demum falso sibi persuasit, ubi aevo suo Altare Apostolo dicatum exstabat, a Stephano II, aut paullo post exstructum in aditu Aedis S. Petronillae, Templum a Symmacho erectum esse agnoscendum.

Hic ille idem locus fuit, ubi, Seculo vII. S. Wilfridus Episcopus Eboracensis haec vota *B. Andreae* nuncupavit, uti narrat Eadmerus in ejus vita, cujus haec sunt verba [1]. *Vt autem Romam venit, BB. Apostolorum Principis limina, orandi gratia petiit, et* egressus, *Germani B.* Petri, *eadem caussa ductus, Oratorium est ingressus, humique prostratus, hac prece fertur, pium Apostolum, quem mente praesentem videbat, palam rogasse. Piissime Apostolorum Dei, frater Beatissimi Apostoli* Petri, *en ego peregrinae Provinciae civis, ad tua limina veni, veniam pro peccatis meis postulaturus. Precor te igitur per pietatem, quam cete ris praestare, totius Orbis attestatione probaris, ut veniam peccatorum, quam per te obtinere confido, non quaeram in vanum, ne mihi tantae progressio vitae procedat incassum. Verum ut experiar vincula meae impietatis per me-*

1 Secul. IIII. Annalium Benedictinor. part. I. pag. 199. et apud Bollandum in T. III. Aprilis pag. 295. ad diem xxiv. Aprilis.

rita tua solvi, solve, quaeso, impedimenta ingenii mei, et linguae meae ..... Non citius orationis verba complevit, quam vivacissimum mentis ingenium, et promptissimum elocutionis modum sese percepisse cognovit.

§. V.

De Sacris Ordinationibus, quae statis diebus in eodem Templo habebantur.

Praeter ea, quae hactenus attulimus, quamplures aliae accesserunt caussae, cur hujus Templi nomen in dies clarius evaderet, ac *magnae*, ut perperam de aditu *Templi S. Petronillae* ait Vegius [1], *semper fuerit apud omnes devotionis*. Propterea, haud gravabor, alterum decus, quod eidem falso Mabillonius assignat, alteri *S. Andreae* Templo ultro deferre. Vir enim doctissimus, illustrans primi Ordinis Rom. locum, ubi *S. Andreae* Templum occurrit, statim hunc ad Templum a *Symmacho* erectum pertinere judicavit. Afferam autem integrum ordinis locum, qui talis est [2]. *Ad Vesperas diei Paschae Sancti, conveniente Schola temporius cum Episcopis, et Diaconibus in Ecclesia majore, ad locum Crucifixi incipiunt* Kyrie eleison, *et veniunt usque ad Altare .... Deinde dicit Sacerdos orationem, et tunc vadunt ad S. Iohannem ad vestem, canentes Ant.* Lapidem, quem reprobaverint, *deinde all. cum Psalmo* CXII. *Deinde primus Scholae dicit cum pueris* allel. Venite exultemus Domino. *Post hoc sequitur Diaconus Ant.* Cito euntes, *deinde oratio, semper absque* Kyrie eleison, *et tunc vadunt ad* S. Andream *ad Crucem, canentes Antiphonam*, vidi aquam egredientem de Templo a latere dextro alleluja.

1 lib. IV. n. 127. p. 82.

2 T. II. Mus. Ital. in Ord. I. n. 12. p. 36.

Huic loco Mabillonius notulam apposuit a Cl. Vezzosio in appendice *Respons.* et *Antiphon.* [1] cooptatam, ubi de situ Templi *S. Andreae*, quod generatim juxta Bas. Vat. statuebat, quid sentiret, caute praetermittens, haec tantum illevit. *Templum S. Andreae proximum erat Bas. Vat., a Symmacho Papa constructum*. Verum, ut egregie animadvertit Phil. Dionysius, in perquam erudita lucubratiuncula *de Vesperarum Paschalium ritu in Bas. Vat.* [2], totus ille Rom. Ordinis locus, sollemnes caeremonias dumtaxat describit, quae Vesperis Paschalibus; in Patriarchio Lateranensi celebrabantur, quasque accurate describunt Rituale Card. S. Severinae sub titulo *de processione post Vesperas*, et Josephus Aloysius Assemannus [3].

Porro, idem Mabillonius continenter ad ea verba, *ad S. Iohannem ad vestem*, primo in quibusdam codicibus *ad vestem* deesse adnotavit, et apud vulgatum Alcuinum haberi *ad S. Ioh. Bapt. ad Fontes, seu ad vestem*. Deinde etiam adjecit, exstare adhuc *Oratorium S. Ioh. Bapt. ad Fontes Lateranenses* ab Hilaro Papa constructum, quod, quia fortasse sacro latice abluendi, vestes ibi deponebant, eamdemque jam baptizati resumebant, *S. Iohannis ad vestem*, dictum esse conjecit. Quam doctissimi viri conjecturam amplexatus est etiam Dionysius [4], cui forsan illud in mentem venit Benedicti Canonici [5], et Cencii Camerarii [6], quod rem aperte declarat, *propter infantes noviter baptizatos, in Ecclesia deponentes veterem tunicam*. Sed tamen hujusmodi nomen loco inditum, ex eo etiam esse potuit, quod Neophyti, vetustioribus sal-

1 T. IV. Op. Th. p. 310.
2 Romae 1780. 8. p. XVI.
3 in III. Cod. Liturg. p. 27.
4 loc. cit.
5 in Ord. XI. p. 145.
6 in Ord. XII. p. 202.

tem temporibus, vestes albas, quas, ut tradit Augustinus [1], *in octava Paschae* dimittebant, Ecclesiae donarent [2]. Ceterum, ut dicam, quod est, haec mihi vix probantur. Verius enim, ac multo probabilius videtur, quod sentiunt Maurini, Gregorianorum Operum editores in *Observationibus praeviis ad antiphonarium* [3], etsi ad eumdem allati Ordinis locum, antea [4] et ipsi, Mabillonio subscripserant. Ajunt itaque. *Libro tertio S. Gregorius jubet ad se transmitti Tunicam S. Iohannis, quae penes quemdam Episcopum erat. Eam, ut optaverat, Romam delatam, et sub Altari S. Iohannis in Basil. Constantiniana collocatam narrat Ioh. Diaconus* [5]. *Quae quidem vestes, inquit Iohannes, usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur .... Ab hac fortasse sacra Tunica, Basilica S. Iohannis, in qua asservabatur, dicta est S. Iohannis ad vestem*. Et sane apud Anonymum a Valerio Dorico evulgatum, inter reliquias Bas. Lateranensis, adnumeratur *Tunicella Sancti Iohannis Evangeliste, que posita fuit supra tres mortuos, et confestim surrexerunt*. Quare eruditissimus Paciaudus [6] Ioh. Diaconum [7] recte scripsisse pronunciavit, *quod Iohannis Evangelistae, non autem Baptistae*, (Tunica) *sit, nemo est, qui dubitet*. Ecquis autem non intelligat, quanto verisimilior sit hujusmodi interpretatio, quae Cl. quoque Vezzosio proba-

1 Serm. I. in Oct. Pasch. qui est CLVII. de Temp.

2 V. inscript. vetustissimam ap. Fabrettum p. 577. Norisium, et Borgia de Vatic. Confess. B. Petri p. 195. Trombellium. T. v. diss. xvI. Quaest. II. quo die deponerentur vestes albae in baptis. susceptae? p. 339. Ios. Vicecomitem. lib. v. de Rit. Baptis. cap. xiiI. Theoph. Raynaudum. in Christiano, Christi, et Ecclesiae per baptismum filio cap. vII. Gottfredum Wegnerum. de alba veste baptizat. Regiomon. 1700. 8. et 1734. Andream Wilkium. de Dominica in Albis, sive clausa Paschae. in Plejade I. Orat. vII. p. 161. et Ioh. Schmidium. de usu vestium albarum. Lipsiae 1704.

3 T. III. p. 370.

4 ibid.

5 lib. III. vitae S. Greg. c. LVII.

6 in Antiqq. Christianis de cultu S. Ioh. Baptistae dissert. I. cap. v. p. 24.

7 l. III. c. LIX.

tior visa est, ubi notulam Thomasii illustravit [1], qui, cur Oratorium *S. Iohannis ad vestem* in eodem Ordine diceretur, sese ignorare profitebatur?

Sed, ut ad Mabillonium revertamur, id certe concedendum, eum Ordinis verba, ad Oratorium *S. Iohannis*, prope Lateranum pertinere, procul dubio agnovisse. Nam paullo infra legitur in eodem Ordine: *Feria* II. *iterum ad vesperos ad Lateranis, ordine, quo supra, ingrediuntur.... descendunt ad S. Andream*. Post haec, quis non miretur, eidem continuo e Laterano ad Bas. Vat. convolare placuisse? Atqui tanti erat, investigare, utrum etiam prope Bas. Lateranensem, aliquod *S. Andreae ad Crucem* Templum exstaret, quin statim ex plane opposita regione, Lectorum animos ad Templum Vatic. evocaret? Porro etsi *Monasterium*, quod ab Anastasio in vita Adriani [2], et Leonis III. [3] *SS. Andreae, et Bartholomaei*, atque etiam *Monasterium Honorii Papae ad Lateranum*, ut notat Rasponius [4], vulgo audiebat, sibi ignotum fuisset, tamen *Altare SS. Andreae, et Luciae*, eodem loco positum, Museum ipsum ab se editum exhibebat. Ibi enim in libro Joh. Diaconi *de Ecclesia Lateranensi ad Alexandrum* [5], agitur *de Oratoriis ad fontes, et de Sanctuariis, et donis eorum*, atque ita legitur. *Sub alia absida est Altare S.* Andreae Apostoli, *et S. Luciae V., quod et praedictus Anastasius P. consecravit, et in eo recondidit de reliquiis utriusque, videlicet* Andreae *Apostoli, et Luciae V.* Quapropter quis non videt, per ea Ordinis verba, *vadunt ad S. Andream ad Crucem*, vel *Monasterium* ab Anastasio memoratum, vel *Altare* a Ioh. Diacono descriptum indicari po-

1 T. IV. p. 310. 2 T. II. p. 215. 4 p. 240.
3 ibid. p. 289. 5 T. II. Mus. Ital. §. XII. p. 257.

tuisse; nusquam vero Templum a *Symmacho* exstructum *pone Basilicam Vaticanam?*

Id ipsum mirifice confirmatur ex perantiquo codice, ubi altera *Ecclesiae Lateranensis* descriptio, a Ioh. Diacono concinnata occurrit, quae plurimum differt ab ea, quam Mabillonius evulgavit. Ibi enim legimus apud Dom. Georgium [1], qui eum publici juris fecit. *Retro Ecclesiam S. Salvatoris, quattuor sunt Oratoria, unum est, quod habet duas absidas, sub una est Altare* S. Andreae, *et S. Luciae, sub alia absida est Altare SS. Rufinae, et Secundae*. Ac demum id etiam manifeste patet ex *Orationibus, et Precibus de Anni circulo*, quas edidit Ven. Thomasius. Ibi enim quoties notatur *Statio in Basilica Salvatoris ad Fontes*, toties ibidem notatur *Statio ad S. Andream*, ut videre est *in Natali S. Ioh. Evangelistae, in Dominica Sancta Paschae ad Vesperos, et Feria* II. III. IV. V. *in Albis ad Vesperos*, apud eumdem Thomasium, et apud Nic. Antonellium in *Missali Lateranensi*.

Quae quidem satis superque demonstrant, allatum Rom. Ordinis locum ad Templum a Symmacho erectum nequaquam spectare. Itaque, quin nos ejusdem laudum aestus abripiat, falsas, atque adscititias ultro rejicimus, ut veras, atque, ut ita dicam, nativas dumtaxat prosequamur, quibus jam satis ejus celebritas, ac reverentia innotescet.

Illud igitur potius, ad hujusce Templi celebritatem agnoscendam, nos moveat, quod libri rituales perspicue testantur, nimirum, ad principem ejus aram, Romanum Pontificem, sollemnem sacrorum Ministrorum *ordinationem* de more habuisse, quorum nomina populo

1 in T. III. Liturg. Rom. Pont. p. 551.

pridie annunciaverat in Bas. Liberiana, quô ex Aede Petri in Exquiliis, supplicandi caussa, in publicum prodibat ad sacrum peragendum. Hanc primitus in *Monasterio S. Martini*, Ord. IX. testimonio [1], peractam fuisse demonstrabimus, ad hujus operis calcem, ubi de eodem *Monasterio* disserendum est. Deinde vero statutum fuit, ut in Aede *Andreae Apost.* obiretur, ut etiam Macer [2], Sarnellius [3], Martene [4], et Borgia [5] adnotarunt. Atque, ut aliquem e multis hujus rei testem audiamus, Canonicus Benedictus in *Ord.* XI. *de Sabbato* IV. *Temporum*, haec habet [6]. *Sabbato Statio ad S. Petrum, ubi debet ordinatio fieri a Pontifice, et celebrari Missa. Dum vero canitur Officium celeberrime a Schola, et hymnus trium puerorum* Benedicite, *descendit Pontifex ab Altari S. Petri, et vadit ad* S. Andream. *Ibi facit consecrationem. Facta consecratione, revertitur ad Altare, quia ad hoc Altare nulla consecratio debet fieri, nisi de Romano Pontifice, et sic in omnibus quattuor temporibus debet fieri.*

Haec autem disciplina nonnihil immutata fuisse videtur, ex Pontificum Rom. in Vrbe Avenionensi commoratione. Quin imo, quod pluribus jam actis seculis unius Pontificis munus fuerat, arbitrium sensim evasit, uti patet ex Ord. XIV. [7], et ex altero P. Amelii in *Officio Sabbati Sancti* [8]. Nihilominus veterem disciplinam, sub Innocentio VIII, quum Aug. Patritius *Caeremoniale* scribebat, jam tum revocatam fuisse, censendum est. In

1 in Tom. II. Musei Italici pag. 91.

2 in Altare.

3 nel Lume a' Principianti Part. II. Quest. XXII. che nell'Altare, nel quale ha celebrato il Vescovo, non sia lecito ad un altro Sacerdote nello stesso giorno celebrare. p. 175.

4 T. II. de ant. Eccl. rit. p. 32.

5 In Vat. Confess. B. Petri p. 227.

6 T. II. Mus. Ital. p. 124.

7 c. XCIX.

8 c. LXXIX. p. 497.

eo siquidem sic legimus [1]. *Nota, quod secundum institutionem Gregorii I, hujusmodi consecrationes non debent fieri apud Altare S. Petri, quia ibi solus Romanus Pontifex consecratur. Quando Papa aliquis vult ordinare publice in S. Petro, consuevit actus Ordinationis, et Consecrationis facere in* Cappella S. Andreae, *vel alia, et reliquum Missae finire ad Altare S. Petri*. Quae tamen, ut supra [2] monuimus, intelligenda sunt de Cella, *S. Andreae* a Pio II. dicata, ubi tum priscas caeremonias obire solebant, quae primitus in Templo rotundo peragebantur.

Exstat vero etiamnum tam veteris disciplinae, totque seculorum intervallo relligiosissime servatae vestigium insigne, ac perenne testimonium in *Stationibus*, quae celebrantur in Basilica Vaticana, singulis *Sabbatis* IV. *Temporum*, quae *sacris Ordinationibus* peragendis addicta sunt. Cetera enim prorsus oblitterata fuerunt, Sec. XVI. adolescente, quum primum Paullus III. Cardinali, vice sacra Antistiti relligionum Vrbis, de quo vide Bellarminum [3], easdem per se, vel per alium ab se eligendum, faciendi potestatem concessit, uti constat ex *Bullario Romano* [4]. Quae quidem erudite animadversa, mutuatus sum a cc. Bull. Vat. editoribus [5], qui tamen aeque, ac ceteri, haec eadem de *Templo S. Michaelis Archangeli* intelligenda esse contendunt, quod pro Templo, quod *Symmachus D. Andreae* dedicavit, acceperunt. Fortasse enim vix credibile iisdem visum fuerit, Pontifices usque ad Templum rotundum, recens dejectum, pro Ordinationum, et Consecrationum Caeremoniis peragendis sese conferre voluisse

1 lib. I. §. VIII. c. XX.
2 pag. 707. 805.
3 II. 20. de Rom. Pont.
4 T. I. p. 672.
5 Tom. I. p. 80. et T. III. pag. 346. in Append. p. 2.

quas in propiori aditu Templi S. Petronillae obire potuissent. At nonne vidimus, ipsos Pontifices in vII. Stationibus, nocte concubia, turis adolendi caussa, multo longius dissita *S. Gregorii*, *Tiburtii*, *Chromatii*, *et Sebastiani* Altaria adire consuevisse?

Sed ad supra apposita Benedicti, et Patritii loca expendenda nos conferamus. Eadem perspicue demonstrant, a vetustissimis usque temporibus, singulare solius Romani Pontificis privilegium fuisse, ut ad *Altare S. Petri* ejus consecratio ageretur. Quod ipsum praeterea constat ex Ordine IX.[1], et in altero Cencii Camerarii[2], quorum verba, brevitatis gratia, praetermittimus. Verumtamen Maph. Vegius Benedicti locum perperam est interpretatus, quodque ibidem scribitur de aliorum ordinatione, quam Pontifex obire solebat in *Altari S. Andreae*, de ipsa Pontificis consecratione, parum caute accepit. Loquens enim de *Confessione B. Petri*; haec ait[3]. *Constituit B. Gregorius Papa, ut nullius ibi, etiam Archiepiscopi, aut Patriarchae consecratio fieret, nisi solius Rom. Pontificis, quem et voluit descendere ad Altare* S. Andreae, *ibidemque consecrari, demumque reverti ad Altare majus, ac tunc Missae sacrificium explere*. Quibus postremis verbis, in *Templo S. Andreae* praecipuam Pontificum consecrationis partem fieri declaravit, ut luculentius alibi etiam confirmat, ad hunc modum[4]. *Altare S. Andreae a Papa Symmacho exstructum, magnae semper apud omnes devotionis, et in quo Summos Pontifices consecrari solitos fuisse, supra diximus*. Quis enim credat, utrobique Librarii mendum inesse, ac *consecrare*, pro *consecrari*, legendum esse? Nonne apertum est, ibidem de sola Pontificis Con-

1 p. 92. 2 p. 212. 3 lib. III. num. 86. p. 75. 4 l. IV. n. 127.

secratione M. Vegium disserere, post quam *demum reverti ad Altare, ac tunc sacrificium explere* solitum fuisse narrat?

Hic autem Vegii error in aliorum etiam scripta manavit, qui in ejus sententiam incaute abierunt. Panvinius enim, etsi P. Mallii verba [1], Benedicti Canonici loco plane gemina, semel [2], atque iterum [3] recitaverit, describit [4] *Templum S. Andreae a Symmacho factum, magnae semper apud omnes devotionis, in quo Romanos Pontifices sollemnia quaedam in sua coronaticne, vel consecratione celebrare consuevisse, infra ostendam*. Nil itaque mirum, Alpharanum, Vegii, et Panvinii auctoritate deceptum, haec eadem, ut supra vidimus, pronunciasse.

Verum levi sane negotio, Vegii errorem deprehendere potuissent, quum sibi ipsi manifeste repugnaverit. Quaeso enim, si Pontificis consecratio in *Altari B. Petri* facienda erat, ut idem profitetur, qua de caussa debebat *descendere ad Altare S. Andreae, ibidemque consecrari?* Numquid fortasse Rom. Pontifex partim in *Altari S. Andreae*, partim in *Confessione B. Petri* consecrandus erat? Sed quid argumentatione opus est, ubi res ipsa demonstrat, aliorum consecrationem a Pontifice peragi consuevisse in *Altari S. Andreae*, quod ipse tantum, ad *Confessionem B. Petri* consecrari posset? Audi P. Mallium, qui recte rem alibi declaravit [5]. *Praecepit quoque, ut ad Altare majus B. Petri nulla consecratio fieret, nisi Romani Pontificis, et quando Dominus Pontifex facit consecrationem ibi, descendat ad* S. Andream, *et faciat ibi consecrationem, qua expleta, revertatur ad Altare majus, et expleat Missam*. Quapropter nemo non videt, duplicem esse caussam,

1 n. 54. p. 43. 2 T. II. ms. c. XI. fol. 43.
3 T. III. ms. fol. 8.
4 T. III. c. XVII. p. 26.
5 T. VI. Iunii n. 54. p. 44.

cur Vegii, Panvinii, et Alpharani diligentiam, atque acumen desiderem, qui non solum alio loco, secus quam rei veritas postulabat, *Templum S. Andreae* statuerunt, sed etiam pro aliorum Episcoporum consecratione, ipsius Pontificis consecrationem ibidem celebratam fuisse, temere affirmarunt.

Ego vero facile Mallio concedam, *Gregorium* I, qui cautum voluit, ne quis praeter Pontificem, in *Altari Confessionis B. Petri* consecraretur, statuisse, ut aliorum consecratio, in *Altari S. Andreae* perageretur. Quum enim ipse esset ejusdem Apostoli studiosissimus, cujus nomen, praeter ejus Officium, ut supra diximus, quod in Cruce, ut Christus, ac Petrus, suffixus fuit, in sacrificii prece [1] addiderat, verisimile quidem videtur, sese hoc privilegio, ejus Templum distinguere, atque ornare voluisse, ut Antistites, Pontificis Maximi Fratres, in Aede Petri Fratris *Andreae* consecrarentur. Siquidem unusquisque statim agnoscit, eodem tempore, quo aliorum consecrationem in *Confessione B. Petri* fieri vetuit, alium locum assignari debuisse, ubi ceterae rite conficiendae essent.

Atque heic illud etiam subit animadvertere, non levis momenti, quod hac de caussa *Templum rotundum S. Andreae*, non modo cum *Templo S. Michaelis Archangeli*, ubi *Ara D. Andreae* sacra, permutatum est, sed etiam cum *Altari*, quod *Pius* II. SS. *Andreae*, *et Gregorio*, uti superius docuimus [2], in Vat. Bas. excitavit. Postquam enim *Gregorii* Oratorium, super *Secretarii antiquissimi* ruinas, a *Gregorio* IV. exstructum, in honorem *B. M. a febribus* deinde conversum, penitus defecisset, quia ut prisco-

1 Gemma lib. I. c. 90. ad *libera nos*. 2 pag. 702.

rum rituum in *Cella Gregoriana* habitorum memoria retineretur, eosdem in Piano Altari, ante Pontificum consecrationem obire solebant; iccirco, nulla temporum, ac caeremoniarum habita ratione, nonnulli Scriptores, ac Vgonius [1] praesertim, hujusmodi ritus eodem in loco peractos semper fuisse, sibi persuaserunt. Quod tamen de recentiorum, uti supra [1] demonstravimus, non item de superiorum temporum Pontificibus pronuntiandum est. Quum enim Altare, quô translata fuerunt *Gregorii* Corpus, et *Andreae Caput*, a *Pio* II. primum erectum fuisse probaverimus, luce clarius est, Romanos Pontifices in vetustiori Cella Gregoriana descriptas in consecrationis die caeremonias obiisse. Sed hoc peccati genus de veterum institutis, ex recenti consuetudine, non ex re, atque ex veritate judicandi, ac antiquissimorum rituum morem ex aetatis suae more aestimandi, jamdiu docti viri animadverterunt, et castigarunt. *Gregorii* vero aetate, qui aliorum consecrationis ritum in Templo *D. Andreae* celebrandum instituit, unum dumtaxat Templum, in ejus honorem a Symmacho erectum pone Bas. Vat. exstabat, ac forte nondum constructus fuerat aditus, ubi deinde Altare ejusdem Apostoli honoribus dicatum fuit, quemque Stephano II. tribuendum esse puto. Verum quum etiam Templum rotundum, deinde sacrum *B. M. a febribus* fuerit, omnisque erga Apostolum *Andream* cultus ad Altare a *Pio* II. in ipsa Bas. excitatum translatus sit, ipsas etiam Sacerdotum Ordinationes, et Episcoporum consecrationes, quae pridem in ejus *Templo* fieri solebant, in *novo Altari Piano* fieri deinde coeptum est, ut jam ex Patritio didicimus. Ita vero in *Altari*, quod *Pius*

1 pag. 707.

condidit, tum quae in veteri *Cella Gregoriana*, circa caeremonias ante Pontificum consecrationem obeundas, tum quae in Templo S. *Andreae* circa aliorum consecrationes a Pontificibus peragendas, deinde exsequi, in communi consuetudine receptum est.

§. VI.

De Brachio S. Andreae, et Capite S. Lucae ibidem a Gregorio reconditis.

Vnusquisque, opinor, videt, quum *Gregorius* sanxit, ut Romani Pontifices in *Confessione B. Petri*, ceteri vero in *Altari S. Andreae* consecrarentur, id nullo alio in loco fieri potuisse, quam in Templo, quod *Symmachus* exstruxit, quod nempe unum ejus nomini dicatum pone Bas. Vat. Gregorii aevo fuisse diximus. Verum, etsi solum *Andreae* nomen, quod miro cultu *Gregorius* prosequebatur, satis fuisset, ut hoc Templum, tam insigni decoris nota, prae ceteris honestandum curaret, peculiaris etiam, graviorque caussa accessit, cur id a SS. Pontifice praestitum fuisse opinemur. Nam, post Tiberii Aug. obitum, Levitae, et Apocrisiarii munere functus, Laurentio Diacono, quem Pelagius novo Imperatori Mauritio novum Apocrisiarium destinavit, locum cessit, ac Romam rediit, magnis muneribus ditatus, in primis reliquiis *S. Andreae Apostoli, et B. Lucae Evangelistae*, tempore Justiniani refossis, et honorificentiori loco reconditis in Bas. Apostolorum, quam idem Imperator pro dignitate instauraverat. Quae quidem sacra pignora ex loco, ubi ea Pelagius condiderat, anno secundo sui Principatus, in hoc idem Templum invexit, ibique relligiosissime collocavit.

Dabo hujus rei testem optimum, ac luculentissimum

ex Cod. Bibl. olim Altaempensis, deinde Othobonianae, ubi traditur [1]. *Quae Pelagius Papa intra Palatium suum in Eccl. S. Laurentii, Scholae Basilica reposuisse memoratur: ubi quieverunt usque ad ipsius Gregorii Pontificatum, qui anno praesulatus sui secundo, manum S.* Andreae *Ven. Abbati S. Andreae ad Clivum Scauri dedit, Brachium vero S.* Lucae *Evangelistae, atque Brachium S.* Andreae *Apostoli absque manu, praecepit deportari* ad Ecclesiam B. Andreae juxta Basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, non longe a sepultura Julii Caesaris, quam idem Pontifex consecravit. *Partem vero Brachii ejusdem S. Andreae dedit religioso Abbati S. Sabae* [2], *quae Ecclesia posita est prope Portam S. Pauli Apostoli, ubi quotidie mirabilia fieri dicuntur.* Adde Petrum Mallium, qui scriptum reliquit [3]. *Ibi est aliud Templum, quod fuit Vestarium Neronis, quod modo vocatur* S. Andreas, *in cujus Altare B. Gregorius, ut a Majoribus nostris accepimus, recondidit* Brachium S. Andreae Apostoli, et B. Lucae Evangelistae, *quae cum magna devotione detulit Constantinopoli*. Mallio autem Vegius etiam adstipulatur hujusmodi verbis [4]. *In Altari quoque* B. Andreae *repositum est Brachium ipsius Apostoli, nec non et* B. Lucae *Evangelistae, ex Constantinopoli utrumque delatum, ac a B. Gregorio postmodum etiam illuc translatum, quorum nunc alterum, Brachium scilicet S. Andreae, argento pulchre elaborato, inclusum honorifice a Canonicis conservatur. Pari modo et Caput S. Lucae, quod Brachio ejus, de quo diximus, junctum erat*. Quibus apprime consonant, quae

1 in Tom. I. Annal. Bened. Mabillonii sec. VII. n. XX p. 166.

2 Seriem Abbatum Monasterii S. Sabae dabit doctissimus Steph. Ant. Morcellius in aureis Prolegomenis ad opera S. Gregorii Agrigentini, e graeco in latinum sermonem conversa, ac propediem edenda.

3 cap. II. p. 41.

4 lib. IV. n. 127.

tradidit Turrigius, ubi refert [1] argentea theca inclusum, adservatum fuisse vetusta hujusmodi inscriptione. *Caput B. Lucae Evangelistae per D. Gregorium Papam primum*. Id ipsum confirmat auctoritate alterius MS. ubi inter alia, quae de postrema Vrbis direptione recitantur, haec memoriae consignata fuisse narrat. *S. Lucae Evangelistae Calvaria a gloriosae memoriae D. Gregorio Papa primo, argento tecta, quae hodie cernitur, tunc retro chori Sacellum, ut antiquorum habet traditio, et constans viget fama, in Puteum, in tanto rerum anfractu, a minore Sacrista projicitur, absconsa ibi per dies breves, immanissimae praedae superfuit ingens thesaurus*. Sed disertius etiam ex altero MS. Archivi Basilicae rem comprobavit, ubi legitur. *Nunc Sacristia, Templum rotundum fuit a M. Constantino exstructum, in quo B. Gregorius Papa primus recondidit brachium S.* Andreae *Apostoli, et S. Lucae Evangelistae. Brachium S. Andreae donavit Xystus* IV. *Hospitali S. Spiritus, et habent Bullam donationis, et S. Lucae arbitror ab eodem Pontifice donatum fuisse Eccl. S. Mariae de Populo*. Heic autem, ut supra Mallium fecisse vidimus, perperam *pro Capite S. Lucae, Brachium* nominatur. Id tamen ex eo fortasse profluxit, quod *ante Eccl. S. Iohannis ad fontes* erat *Oratorium S. Luciae*, quod', ut a suis majoribus accepisse tradidit Mallius [2], *consecravit B. Gregorius Papa, et ejus venerabile Brachium in eo recondidit, et parietes illius, ut apparet, musibo depinxit*.

1 p. 185.

2 n. 114. p. 48.

De eodem situ Alpharanus haec habet. Appresso questo sepolcro (di Marcello II) nella facciata del muro nuovo, che divide la Chiesa da quella parte, che fu rinovata, fatto da Paulo III. seguita la Cappella de S. Lucia V. M. quale fu trasferita dalle ruine della parte della Chiesa, ma nel transverso di d. Chiesa, et consecrato con le medesime reliquie el braccio di S. Lucia l'anno 1544. Questa Cappella anticamente era dotata de Cappellano, e sotto questo Altare è il braccio di S. Lucia, quale PP. Gregorio Primo haveva riposto.

Quae quidem hujusce translationis testimonia me adducunt, ut sibi potius adjungendam fidem existimem, quam Baronio [1], qui tamen sua auctoritate, non ipsum modo Turrigium [2], Panvinium [3], Lubinum [4], et Saussayum [5], in suam sententiam induxit, sed etiam Franciscum dal Pozzo [6], et Maurinos in vita Gregorii M. ubi haec habent [7]. *Rediit magnis muneribus, nimirum SS. reliquiis ditatus, scilicet* Brachio S. Andreae, et Capite S. Lucae, *quae sacra pignora ab Imperatore impetrata, in suo* Romano Monasterio *collocavit, ut refert Baronius ex prior. pag. Vat. Cod. signati num.* 153. Ceterum, quanti momenti eorum testimonium putandum sit, contra tot vetustorum testium auctoritatem, quisque, opinor, intelliget. Alterum vero Apostoli *Brachium*, Abrincantinenses ejusdem studiosissimi, sese possidere gloriantur.

Certe, quod, praeter Mallium, et Vegium, pervetusta MSS. tradiderunt, longa, nec unquam intercisa derivatione, ad posteriora usque tempore profluxisse video. Nam Alpharanus etiam hoc idem luculenter declarat, ubi recensens reliquias omnes, quae in duodequadraginta tabernaculis, sive thecis in veteri Basilica servabantur, in undetrigesima exstare scripsit [8]. *Caput S. Lucae Evangelistae totum optimo argento opertum cum hac inscriptione.*

 CAPVD·SANCTI:LVCE:EVANGELISTE:TRALATV:DE:

 CONSTANTINOPOLI:ROMAM:PER:BTM:GG:DOCTO:RA:PP:PRIMVM:

1 in not. ad Mart. Rom. die 12. Maii, et T. VII. ann. 586. n. 25.
2 p. 26.
3 de vir. Eccl. p. 142.
4 p. 349.
5 pag. 474.
6 Istoria della Vita, e del Pontificato di S. Gregorio M. Roma 1758. 4. p. 19.
7 lib. I. p. 213.
8 ms. p. 43.

etiamsi S. Pontifex ex eadem Civitate transtulit, Brachia S. Lucae, et Andreae Apostolorum, *quae summo cum honore collocaverat sub Altari* S. Andreae *antiquissimo*, *quod erat in ingressu Templi S. Petronillae Virginis hujus Sacros. Basilicae*. Atque alio loco [1] hunc eumdem situm describens, inquit. *In hujus igitur Vestibuli medio erat Altare S. Andreae a Symmacho erectum, sub quo dicti S. Andreae, et S. Lucae Brachia Gregorius M. Constantinopoli translata magna veneratione recondidit*. Quae, licet ostendant, Alpharanum cum ceteris, Altare S. *Andreae*, in Templi S. *Petronillae* Vestibulo collocasse, nihilominus ex iis etiam evincitur, *S. Andreae Brachium*, *et Caput S. Lucae*, in Altare a *Symmacho* constructum illata fuisse. Hoc autem a Janningo [2], et Ciampinio [3] receptum fuisse vidimus, qui tamen in *aditu* Templi *S. Petronillae*, Altare a *Symmacho* exstructum cum Alpharano videre sibi visi sunt.

Equidem novi, Joh. Diaconum, et alterum Anonymum, *Gregorii* vitae scriptorem, a VV. CC. Henschenio, et Papebrochio [4] relatum, de hac sacrarum exsuviarum translatione, et collocatione silere. Quis tamen ignorat, multa ab aequalibus scriptoribus memoratu dignissima saepenumero silentio praetermitti, quae nihilominus ex iis etiam, de aliis disserentibus, aut ex posterioribus, vera esse discimus? Id profecto notius est, quam ut a me pluribus dici necesse sit. Ceterum, si exemplo res careret, illud in promptu esset Paulli Diaconi, qui ejusdem *Gregorii* vitam, ante Johannem conscripsit. Nihil in ea, ut eodem argumento usus recte animadvertit Fr. Ant. Zaccaria [5], offendas de Regina Theodelinda, rebus-

1 c. x. num. 153. p. 59. ms.
2 p. 156. 3 p. 86.
4 T. II. Martii p. 130.
5 in T. III. Bibl. Liturg. p. ccxvII.

que insignibus pro Ecclesia, hortatu Gregorii, ab ea gestis, quae tamen Paullus, deinde res Langobardorum scribere adgressus, sibi commemoranda esse duxit [1]. Quapropter dubitandum minime est, Gregorium sacra haec pignora Constantinopoli Romam detulisse. Quod vero eadem in Templo hoc nostro collocaverit, res per se ipsa quodammodo vociferatur. Nam etsi Gregorius domum maternam, quam in *Monasterium* converterat, et Templum ab se conditum prope Basilicam *SS. Iohannis, et Paulli*, peculiari quodam studio prosequeretur, non tamen probabile est, eas Aedes antiquiori Basilicae, quam *Symmachus* ejusdem *S. Andreae* honori construxerat, praetulisse. Adde, quod quum nullae tunc temporis praestantissimi Apostoli in Vrbe exstarent exsuviae, neque augurari tum optimus Pontifex posset, ejus aliquando *Caput* ex Achaja in Vrbem deferendum, verisimile admodum est, juxta Petri Fratris cineres, *Brachium S. Andreae*, potius quam alibi collocasse.

Verum his intercedit Vir doctissimus Petrus de Castro in epistola, quam Maurinis inscripsit [2], *super quibusdam parum consonis, praetermissis, atque improbabilibus in vita S. Gregorii M. ab ipsis adornata, et in* T. IV. *Operum in lucem edita repertis*, et sacra hujusmodi dona ab Imperatore *Gregorium* impetrare minime potuisse contendit. Itane ergo mihi persuadeam, historiam a tot, tantisque Scriptoribus, multo ante Maurinos, quodammodo per manus traditam, falsam plane, ac commentitiam esse judicandam?

Sed, ut rei veritas luculentius innotescat, locum epistolae XXX. libri IV. ipsius *Gregorii*, quo Petrus de Ca-

1 lib. IV. c. 2.

2 T. XVI. Oper. S. Greg. edit. Galliciol.

stro Maurinorum narrationem penitus everti censuit, paullo diligentius excutiamus. Itaque *Gregorius* ibidem scripsit Constantinae Augustae, vehementer mirari se, ac vix credere, *a Graecis Sanctorum ossa levari, quod in totius Occidentis partibus id omnino esset intolerabile, atque sacrilegum*; ac propterea dubitare, *utrum verum* esset, *quod levare veraciter ossa SS.* dicerentur. Quid ad haec? Num fortasse, quod collegit Petrus de Castro, Imperatoris donum ipsius *Gregorii* verbis excluditur? Minime omnium. Hinc enim, si quid video, nil aliud demum extundas, quam contra Graecorum morem fuisse *violentam*, seu *clandestinam*, cujus insimularentur, sacrarum exsuviarum adsportationem; nusquam vero Graecorum consuetudini, ac, quod multo magis est, Imperatorum potestati, atque arbitrio adversatum fuisse sacrorum hujusmodi donorum usum. Siquidem etsi Christophorus Brovverus [1], Christianus Lupus [2], Iustus Fontaninus [3], Ludovicus Muratorius [4] pro certo habeant, ante Sec. VIII. nefas fuisse de Sanctorum Corporibus quocumque modo ossa, ac particulas decerpere, tamen non modo in Oriente, pie peregrinantium gratia, sed etiam in Occidente, contra usuvenisse, innumeris exemplis evincunt Iohannes Ferrandus [5], et Honoratus a S. Maria [6]. Quocirca potuit Imperator *Gregorium* M. sacro thesauro ditatum dimittere; potuit etiam *Gregorius* de ceteris, quae Graecis tribuebantur, adsportationibus dubitare. Itaque nulla profecto ratio est, cur amplius de Gregoriana *Andreae*,

1 in Antiquitatibus Fuldensibus lib. III. c. XII. Antuerpiae 1612.

2 in notis ad Concil. T. II. Bruxellis 1677.

3 de Corpore S. Augustini cap. XXXIV. Romae 1728.

4 Anecdotorum T. II. Mediolani 1668.

5 Disquisitio reliquiarum lib. I. cap. XII. Lugduni 1647.

6 Animadversiones in regulas Critices. T. III. diss. VI. Venetiis 1739.

et Lucae exsuviarum translatione dubitemus, quae probabilior etiam videbitur, consulentibus egregium sane locum Observationum in primam partem Dissertationis v. Quesnelli, quam *Ballerinii* [7] protulerunt, ubi de reliquiarum muneribus fuse, sciteque tractatur, ejusdemque *Gregorii* epistolae ad Constantinam Augustam verba explicantur.

§. vII.

Num Monasterium SS. Andreae, et Luciae in Vrbe exstiterit?

Andreas, et Lucas [2] (verba sunt S. Gaudentii [3] Brixianensis post Philastrium Antistitis) *apud Patras, Achajae Civitatem consumati referuntur*. Atque ut cum Martyrologiis Vsuardi, Bellini, Maurolyci, et Romano notant Bollandiani [4], *Andreae*, et *Lucae* exsuviae, CP. simul avectae olim fuerunt. Nam Fasti Consulares, quos Viri docti *Idatianos* vocant, a Philippo Labbeo in lucem editi, ad annum cccLvII. haec habent [5]. *Constantio* IX, *et Iuliano Caes.* II. *His Conss. introierunt Cpolim reliquiae SS. Apostolorum* Andreae, *et* Lucae, *die* v. *Non. Mart.* Iisdem vero conjunctum fuisse Corpus S. Timothei Apostoli, Episcopi Ephesini [6], testem habemus locupletissimum Theo-

1 T. iI. Operum S. Leonis p. 906.

2 Sim. Metaphrastae Commentar. rerum S. Apostoli Lucae in Franc. Combefisii auctario noviss. Bibl. PP. Graec. p. 513. Ejus vita apud Surium mens. Octobris pag. 289. Ioh. Abrah. Koebleri S. Lucas Evangelista dissert. historica descriptus. Lipsiae 1698. 4. Iohannis Matth. Florini exercitatio historico-philologica de Luca Evangelista. cum ejusd. exercit. de Orig. et progressu linguae Graec. pag. 53. Francof. 1707. 4. Iac. Iacobetti Oratio de S. Luca Evangelista. int. ejusd. Opuscula. Venet. 1738. 4.

3 Serm. dedic. Basilic. in Collect. veter. PP. Ecclesiae Brixianae. Brixiae 1748.

4 T. iI. Maii p. 359.

5 in Biblioth. nova MSS. libr. Paris. 1657. fol. T. I., et in T. vI. Thes. Graev. p. 263.

6 V. Laur. Surii Vitas SS. Ianuar. p. 411. et in T. sI. Ian. Boll. p. 567. Hier. Witsii exercitationem de vita Timothei, inter

phanem in Chronographia, cujus haec sunt verba [1]. *Iulii mensis die* XXVIII. III. *feria, SS. Apostolorum Aedis facta est consecratio, et SS. reliquiarum* Andreae, Lucae, *et* Timothei, *qui S. Apostoli, depositio. Episcopus vero Menas una cum sanctis reliquiis progressus est, vehiculo aureo Imperatorio, gemmis exornato, vectus; tres autem SS. Apostolorum gestabat loculos supra genua, atque ita dedicationem celebravit*. Insignis est etiam locus Paulli Diaconi, qui ait [2]. *Facta sunt encoenia SS Apostolorum apud CP., et recondita sunt Lipsana* Andreae, Lucae, *ac* Timothei *Apostolorum, et transit Menas Episcopus cum sanctis Lipsanis, sedens in Carruta aurea, Imperatoria, lapidibus insignita, tenens tres thecas SS. Apostolorum, et ita Encoenia celebravit*. Atque hinc singularis caussa exstitit, cur *Apostoli*, et *Evangelistae* cultum a vetustissimis usque temporibus fuisse conjunctum, nonnulli existimaverint. Iccirco *Monasterium*, quod Romae fuit sacrum *SS. Andreae, et Luciae*, cujus fuit Abbas Probus ille, qui condendi testamenti [3] facultatem impetravit, alii melius *SS. Andreae*, et *Lucae* dicatum fuisse existimarunt, quibus recens adjunxit calculum Galliciolius [4].

Verum huic conjecturae nequaquam certe indulsissent Viri eruditi, si notum iis fuisset Altare *SS. Andreae, et Luciae*, quod a Ioh. Diacono pone Bas. Lateranensem descriptum [5] fuisse vidimus, quodque suum fortasse nomen commodare facile potuit cuidam e multis Monaste-

ejus exerc. Acad. p. 316. Vltraj. 1694. 4. et in T. II. Miscell. Sacr. pag. 557. Ioh. Henr. a Seelen de Timotheo Confessore ad I. Timoth. VI. 12. Lubecae 1733. 4. Fabricium Bibl. Graec. T. IX. pag. 150, et in Cod. Apocrypho N. T.

1 p. 192.

2 Historiae miscellae lib. VII. cap. XXXV.

3 ad calc. Epist. Greg. et in ann. Bened. T. I. lib. IX. num. 26. p. 229. et lib. X. num. VI. pag. 243.

4 Tom. XVI. in vita S. Gregorii Maur. pag. 10.

5 pag. 1184.

riis, quae Bas. Lateranensem circumstabant, quin omnia eorum nomina, ac loca adhuc comperta probe sint, atque explorata. Tunc enim multo confidentius, quam Mabillonius [1] fecit, qui Monasterium titulo tenus agnovit, situmque ignoravit, pro Coenobio *S. Andreae* ad Clivum Scauri minime accipiendum esse pronuntiassent, quod, nulla *S. Luciae*, aut *S. Lucae* mentione facta, cujus caput nunquam ibi collocatum fuit, tantummodo S. *Andreae* Monasterium, dum Gregorius vixit, nuncupatum fuit.

Sed non modo *Monasterium S. Andreae ad Clivum Scauri*, quandoque pro *Monasterio SS. Andreae, et Luciae*, aut *Lucae* acceptum, verum ejus etiam Ecclesia pro Templo, de quo nunc agimus, habita fuit, ut mox ostendemus.

§. VIII.

Vbi Gregorius in die Natali S. Andreae Homiliam recitavit?

Inter luculentissimas Homilias *Gregorii* M. unam habemus [2] *in Basilica B. Andreae, in natali ejus die* recitatam. Maurini ejus operum editores, quos Barpth. Plazza [3] sequutus est, adnotarunt [4], *Homiliam habitam esse in Ecclesia Monasterii, quod Gregorius ipse condiderat*. Verum multa sunt, quae me adducunt, ut iis repugnem.

Etsi enim Ecclesiam, ibidem a *Gregorio* excitatam, ex Ordine XI. pateat [5], *Basilicae* etiam titulo insignitam fuisse, nunquam tamen mihi persuadeam, hanc *Gregorium* ei, quam *Symmachus* exstruxerat, quamque idem postea *Andreae Brachio* ab se nobilitatam, rursus *consecraverat*, [6] antetulisse;

1 loc. cit.
2 Tom. I. Opusc. S. Gregor. num. 8. p. 1451.
3 in Sanct. Rom. p. 415.
4 in admonitione T. I. p. 1432.
5 T. II. Mus. It. p. 151.
6 V. p.

maxime quum lege cautum esset, ne in *Monachorum* Ecclesiis, *Stationes* fierent, quae eorum quieti, ac solitudini officerent, ac *ne ulla popularis conventus praeberetur occasio, vel mulierum fieret introitus, quia non expediret animabus eorum* [1]. Nec est, ut unum, vel alterum exemplum moremur, quo hanc Iohannis Frontonis [2] sententiam impugnare nituntur [3] Maurini. Quis enim putet, *Gregorium* veteris disciplinae servantissimum, quem earumdem Stationum institutorem, teste Joh. Diacono, fuisse scimus, sanctissimam hanc legem in suo *Monasterio* violare voluisse? Cur autem hoc faceret, si amplus, insigniorque suppetebat locus, eidem Apostolo dicatus, quô in sollemni ejus festivitatis die confluentem Populum congregaret? Quare facile quisquam, opinor, intelliget, Maurinos Patres, ignoratione hujusce Basilicae, hoc loco a *Symmacho* erectae, et falsa *S. Andreae Brachii* collocationis persuasione, in hujusmodi opinionem descendisse.

Eadem de caussa lapsus videtur Dom. Georgius [4], qui disserens de hac Homilia a *Gregorio* I. habita *in Basilica B. Andreae, in die ejus natali*, contra Maurinorum sententiam subjunxit, Gregorium eam recitasse *in vetustissima S. Andreae Basilica in Exquiliis, in Cata Barbara nuncupata*. Quibus aperte demonstravit, hanc alteram, prope Vaticanam Basilicam, aeque sibi prorsus incompertam fuisse.

Quae tamen sententia, cui subscribendum censuit etiam Galliciolius, in notula, ad vetustissimum *Capitu-*

1 in Can. sum. XVIII. quaest. 1. V. Lit. Eccl. Pomp. Sarnelli in Tom. V. pag. 23. Onde avvenga, che le donne non entrino nelle Chiese de' Certosini?

2 in praenotatis ad Calend. Rom. §. 11. pag. 80.

3 Tom. I. p. 1451.

lare [1] *Evangeliorum*, ubi die xxx. Novembris notatur *Natale S. Andreae*, multo minus a vero recedit, quam altera a Maurinis propugnata. Etsi enim in MS. magno Homiliario Bas. Lateranensis, inter Homilias *S. Gregorii* occurrat Homilia ejusdem habita *in Basilica S. Andreae Apostoli, in Evangelium*, ambulans Jesus juxta mare Galileae, vidit duos Fratres, sine ulla loci adjectione, tamen in Gregoriano Missae Antiphonario [2], *Dominica* I. *de adventu Domini*, indicatur *Statio ad S. Andream Apostolum post Praesepe*. Quapropter facile suboriri poterat suspicio, eodem in loco, quo *Statio* celebrari consueverat, prima Adventus Dominica, item in eodem festo die *S. Andreae* supplicia *Stativa* fuisse, et *Gregorium* Homiliam habuisse. Idque CC. Viris eo probabilius videri potuit, quod ipsis praeluserat doctissimus Thomasius, qui in suo *Evangeliario* [3] die xxx. Novembris, et *Stationem*, et *Homiliam ad Basilicam S. Andreae post Praesepe*, nimirum *prope S. M. Majorem*, a Simplicio Papa dedicatam retulerat; quae nescio, an eadem sit, quae memoratur in veteri charta anni MCCCVII, ubi Card. Neapoleo Vrsinus *Protector*, *Corrector*, *Visitator*, ac *Defensor*, nuncupatur a Monialibus *S. Andreae ad Praesepe* [4], quae forte eaedem fuerunt, ac *Moniales inclusae in S. Maria Majore* [5].

Verum, etsi ex Codice Antiphonario Carnutensis Ecclesiae, ceterisque Seculi xI. monumentis, quae adhuc supersunt, *Stationem* I. Dom. Adventus celebratam fuisse constet in *Bas. Liberiana*, tamen Thomasio non invitus concessero, in Bas. a Simplicio erecta, *Stationem* ea die.

1 T. xiI. Opp. S. Greg. p. 418.
2 T. xiI. Opp. S. Greg. p. 2.
3 T. v. p. 508.
4 apud doctrina ne, an purpura eminentissimum Card. Garampi, Memorie della B. Chiara di Rimini p. 347.
5 ibid. pag. 528. ex Divers. Cameral. T. 187. p. 3. in Arch. Secr. Vat.

fieri, antiquiore aevo, consuevisse. Ejus enim sententiae aperte favet Gradalis Codicis Modoetiani, Basilicae Sancti Joh. Baptistae, testimonium, ubi diserte I. *Dom. Adventus Statio ad S. Andream Apostolum post Praesepe* designatur. Quid tamen inde nos urget, ut ibidem et alteram quoque *Stationem* peractam in *Natali B. Andreae*, et a *Gregorio M.* Homiliam recitatam fuisse opinemur?

Ego vero, quum Basilicam a *Symmacho* erectam haud amplius in *aditu* Templi S. *Petronillae*, sed in *Templo rotundo* nuper dejecto, agnoscendam demonstraverim, potiori quidem jure arbitror, ibidem festo B. Apostoli die, Homiliam a *Gregorio* fuisse recitatam, ut vetustissimo huic Templo effusiorem Populi cultum, et venerationem conciliaret. Quae quidem sententia multo gravissima Benedicti Canonici auctoritate fulcitur, cujus verba huc revocanda sunt. *Mane canitur Missa super Altare* B. Andreae *in* Vaticano, *ut omnis Populus cum benedictione laetus recedat*. Quid, si praeterea cum Ruperto Tuitiensi [1] contenderem, neque in *Basilica post Praesepe*, neque in *Aede S. M. Majoris*, sed tantum in *Aede S. Andreae ad D. Petrum*, vel ipsam Stationem I. Adventus Dom. fuisse celebratam? Verum nostri hujusce Templi honoris augendi studium, nolo alterum veritatis, quod antiquius habere debeo, unquam praetergrediatur. Quapropter Rupertum hac in re salvere jubeam; pariterque nihil statuam de ceteris Stationibus, quae in Sacramentario Gregoriano [2] indicantur *ad S. Andream, in Dominica sancta, feria* II. *in Albas, et feria* III. Quum enim plura jam tum essent Templa in *B. Andreae* honorem dicata, quaenam pro iis *Stationibus* certo fuerint assignata, difficile est investigare.

1 lib. III. de divin. Off. c. II. 2 T. 2. edit. Venet. S. Greg. p. 166. 157. 158.

§. IX.

Gasparis Alveri conjecturae, de Gregorii M. sepultura in hoc Templo, expenduntur.

Heic autem Gasparis Alveri locum afferendum esse arbitror, ex quo, quum primum eum offendi, non parum mihi negotii oblatum est. Scribit enim [1]. *Penes quamplurimos Historicos dubium est, utrum hoc Templum* (id est Sacrarium) *quale demumcumque esset, illud idem fuerit Oratorium, ubi referunt a Gregorio* IV. *Gregorii M. Corpus depositum. Verum has, aliasque conjecturas praetermittens, quum rei nimium obscurae innixae sint, veritatem aliis eruendam relinquo.*

Haec prima, ut ajunt, fronte magnam mihi molestiam objecerunt. Multae enim caussae animo obversabantur, quae me ad amplectendam hujusmodi opinionem quodammodo invitabant, ac multae etiam erant, nec sane levioris momenti, quae contra ab ea retrahebant. Equidem non ignorabam, *Gregorii* Corpus, e *Vestibulo Secretarii antiquissimi*, a *Gregorio* IV. aliô translatum, ac vehementer probandum hujus consilium mihi videbatur, si in *S. Andreae Basilicam*, in qua ille *Brachium* Constantinopoli delatum collocaverat, ejus quoque Corpus intulisset, ut ei, quem vivus adeo impense coluerat, propior etiam mortuus esse posset, ac pari honore, eodem in Templo, cum Apostolo suo frueretur. Praeterea, quum animadverterem, *Pium* II. *Gregorii* Corpus e loco, quô *a Gregorio* IV. translatum fuerat, sub Altari, ubi *S. Andreae Caput* condidit, reposuisse, mihi valde arridebat illorum opinio, qui *Gregorium* IV. in

1 Roma in ogni Stato T. II. p. 205.

aedibus a *Symmacho* D. *Andreae* positis, magni Decessoris sui *Gregorii* Corpus tumulatum conjecerant. Ea enim de caussa, qua ibidem a *Gregorio* IV. collocatum esset, itidem arguebam, a *Pio* II. translatum fuisse ad *Altare S. Andreae*; nimirum ne *Gregorii* Corpus unquam a dilectissimo *Andrea* divelleretur, ac ut etiam SS. Doctor, tam cari Capitis, quod ex insperato Romam advenerat, conspectu, ac jucundissima propinquitate quodammodo recrearetur, magnaeque illius translationis pompae, ac triumpho interesset.

Verum, dum haec mecum animo cogitabam, statim agnovi, me amabili quodam errore lusum esse; atque iccirco hanc conjecturam abjiciendam, alteram, de qua dicere ingredior, amplectendam mihi esse intellexi. Nam praeterquamquod hujusmodi sententia nulla fulciebatur auctoritate, eam praeterea Anastasii, et Joh. Diaconi testimoniis, quae magni facienda, hac praesertim in re nullus dubito, aperte refragari videbam. Quum enim prior asserat, Gregorium IV. *non longe ab eo loco, quo prius fuerat sepultum, in alium noviter constructum, Gregorii Corpus perduxisse*, hoc satis manifeste declarat, quam longe a vero aberraverint, qui illud in Templum S. *Andreae* sacrum, illatum fuisse existimarunt, quod a *Vestibulo Secretarii antiquissimi*, ubi prius sepultum fuerat, longe dissitum, et a *Symmacho*, non a *Gregorio* IV. constructum fuerat. Quum autem Ioh. Diaconus dicat, *ante novellum Secretarium, constructis apsidibus*, a *Gregorio* IV. collocatum, id omne dubium, quod prius animo insederat, plane eliminavit, quum nusquam *S. Andreae* Templum *ante novellum Secretarium* exstiterit. Quae, aliaque rationum momenta, me in eam sententiam compulerunt,

quam superius, quanta maxima fieri licuit perspicuitate, Lectoribus meis declaravi.

§. X.

Cetera ad Andreani Templi situm stabiliendum afferuntur.

Age jam, cetera, quae ad hoc Templum procul dubio spectasse scimus, videamus. Equidem sic existimo, praescriptum Innocentii III. [1] de *Altaribus SS. Philippi, et Iacobi, SS. Simonis, et Iudae, B. Gregorii, et S. Andreae*, quae a quodam Sacerdote noctu per visum, semel, iterum, ac tertio, a B. *Petro* admonito polluta, profanataque dicebantur, ut iterum rite consecrarentur, ad hoc item Templum esse referendum. Nam si super tribus aliis Altaribus, quamvis inter praestantiora Vaticanae Basilicae numeranda essent, quum ea adire, eaque Romani Antistites, dum nocturnas in Vaticana Basilica Stationes celebrabant [2], turis suffitu adolere consueverant, suspicio de eorum *exauguratione* oborta est, quid, quaeso, erit, quod B. *Andreae* Altaris celebritati possit officere, si hoc etiam *exauguratum* fuisse Innocentius dubitavit?

Sed Innocentii injecta mentio me monet, ut quid Bull. Vat. editores ad hoc praestantissimi Pontificis rescriptum adnotarunt, huc advocem. Ajunt enim [3], *hujusce Altaris laudes in unum veluti fascem colligentes, B. Andreae Apostoli Oratorium, quod Majores nostri Ecclesiam saepius appellarunt, ad australem veteris Bas. Vat. partem Papa Symmachus erexit. Plura SS. Corpora, quae constructis ibidem Altaribus, Sanctus ipse Pontifex supposuit, Romana Synodus in Consistorio B. Andreae Apostoli sub Bonifacio* II.

1 in Reg. I. Bull. Innoc. III. sub an. I. et II. Ep. 354. et in T. I. Bull. Vat. p. 79. Torrigio Grotte Vatic. p. 175.

2 Benedictus Canonicus num. VIII. in Ord. XI.

3 T. I. p. 80.

coacta, egregia tandem summorum Antistitum dona, Sacellum, de quo agimus, maxime cohonestarunt. Adeas Anastas. Bibl. Rom. Can. tit. 18. *p.* 68. *et Alph. litt. c. et num.* 153. *ad principem praelaudati Sacelli aram D. Andreae nomine dicatam, Sacrorum Ministrorum ordinationem Romanus Pontifex pro more habebat, quemadmodum antiqui rituales libri et Canonic. noster Benedictus in Ord. cit. num.* 12. *perspicue testatur*. Haec illi; qui quum nullum aliud, ut vidimus, *S. Andreae* Templum agnoverint, quam quod una cum ceteris statuerunt in *aditu* Templi S. *Petronillae*, haec de eodem situ intelligenda esse contendunt.

Quis autem ex hac ipsa laudum amplissimarum recensione statim non agnoscat, isthaec convenire illi minime posse? Quî enim fieri potuisset, ut in Templi aditu Synodi cogerentur, Ordinationes peragerentur, tot, ac tanta Pontificum donaria collocarentur? Praeterea, si alia etiam *Symmachus* Altaria, quibus plura SS. Corpora supposuit, praeter aram Cellae principem *D. Andreae* sacram construxit, an non id unum satis docet, a *Symmacho* non solum Altare *B. Andreae* constructum, sed ei Templum dicatum, ubi alia aliis Caelitibus Sanctis consecrata Altaria erigi potuerunt? Etenim, etsi ubi Altare ei sacrum exstitisse non diffitemur, alia *duo* praeterea fuisse vidimus, non inde tamen recte argui potest, haec etiam fuisse ab eodem *Symmacho* exstructa. Siquidem vix, aut ne vix quidem credibile videtur, Pontificem *Michaeli* Principi Angelorum unum ex iis dedicasse, atque alterum *S. Vrsulae*, nullum vero, Sancto cuipiam ex aliis, quorum Corpora ibidem supposuisse perhibetur. Heic enim neutiquam sermo esse videtur de SS. reliquiis, quae in Altarium dedicatione rite supponebantur, quum

diserte de *Symmacho* Mallius tradat[1]. *Fecit Basilicam Sancti Andreae Apostoli ad S. Petrum, in qua et Altaria statuit, ubi plura* SS. Corpora, *sicut carmina indicant, posuit.* Quis itaque malit difficultatibus tot, tantisque obrui, quam manum dare?

At vero, si quis forte ex me quaerat, cur quae de *Altari S. Andreae* occurrunt, ad Templum hoc nostrum referenda existimem, nil vero ad alterum S. *Andreae Altare*, quod ego quidem prope illud *S. Michaelis*, in Templi S. *Petronillae vestibulo* fuisse, ultro adsensus sum, reponam, hoc ea ipsa me fecisse de caussa, quod Scriptores omnes, apud quos haec offendi, omnia eidem Altari, quod Templum a *Symmacho* erectum fuisse censebant, tribuisse animadverti. Quamobrem quum satis probaverim, nullo alio in loco, *Symmachum B. Andreae* Altare collocasse, quam ubi eidem Templum erexit, consequens inde est, ut jure a me omnia ad hoc tantummodo referantur.

§. xI.

Nicolai V. testimonium de Templo rotundo Andreae sacro.

Nec tamen haec mihi satis sunt. Aliud habeo in eamdem rem argumentum, quod praeterire sit nefas, quodque in cumulum heic adjiciam. Nescio enim, an tale sit, ut in illo uno momenta omnia ad hanc opinionem penitus stabiliendam posita esse putem. Nicolaus V, anno MCDXLIX,[2] *Ecclesiam Sancti Vincentii, nec non Canonicatus omnes, et Praebendas, ac Capellanias dictae Ecclesiae S. Vincentii, et omnium annexorum, ac unitorum suorum, maxime Capellae* S. Mariae della Freve in Ecclesia

1 n. 42. p. 41. T. vI. Iunii Bolland. 2 T. iI. Bull. Vat. p. 131.

S. Andreae, juxta dictam Basilicam *sitae, suppressit in perpetuum, et extinxit*. Obscura hujusmodi verba, si de *Templo rotundo a Symmacho* erecto intelligenda essent, visa sunt Bull. Vat editoribus, qui in Sole caligantes, ut habet vetus proverbium apud Quintilianum, quod suis oculis usurpabant, neutiquam viderunt. Sic enim scribunt. *Quippe in hocce Oratorio, Capella S. M. de Febribus nunquam exstitit*. Ita sane. Quid igitur? Num forte iccirco putandum erit, Nicolaum, ibidem Cellam *Andreae* sacram, ubi Pius II. Apostoli Caput collocavit, indigitasse? At, praeterquamquod eamdem ab ipso Pio erectam fuisse demonstravimus, etsi dandum esset, vel ejusdem Nicolai aevo exstitisse, perspicuum tamen est, de eadem minime loquutum esse. Haec enim *Cella*, non *Ecclesia*, *intra*, non *juxta* Basilicam exstabat, ac praeterea nunquam eôdem B. V. effigiem translatam fuisse, constat. Itaque, quum nullo alio in loco Bas. Vat. *Andream* tum cultum fuisse, exploratum sit, quid restat, nisi *Ecclesiam S. Andreae* a Nicolao nominatam, Templum rotundum, deinde in *Sacrarium* conversum, ac D. N. M. *Febrifugiae* dicatum, fuisse fateamur? At bene est. Iidem Bull. Vat. editores, quum Nicolai diplomatis verba nullo pacto detorqueri posse animadverterent, ad Oratorium *S. Andreae*, quod in *aditu* Templi *S. Petronillae* Symmachum condidisse putabant, *Sacellum vetustissimum, quod hodie pro Sacrarii commodo inservit*, ibidem indicari prònuntiant. Nolim tamen putes, id eos adnuisse, quod hoc loco *B. Andreae* Aedem a *Symmacho* exstructam agnoverint. Longe enim alia fuit ratio, cur in id judicii aegre descenderent, quam rei veritas postulabat. Siquidem continenter subjiciunt, *Nicolaum*, Capellam S. M.

de Febribus, in Eccl. S. Andreae positam *affirmasse, quod in hoc eodem Sacello, Alpharano teste* [1], *peculiaris exstabat Capella S. Andreae, et Iacobo Minori dicata*. Verum in hoc est, cur minus praecipites, magisque lento, et circumspecto judicio usos vellem, ne dum locum illustrare, et explanare studebant, densioribus tenebris offunderent. Nam si Templum a Nicolao V. indicatum, revera *S. Andreae* sacrum neutiquam fuisset, sed ibi tantum Cellam, suis honoribus dicatam habuisset, profecto nemo non videt, nimis ambigue, et obscure, Nicolaum loquutum esse. Quod quum nec deberet, et cavere facile posset, qualecumque alterius Caelitis Sancti nomen, cui dicatum esset, usurpans, quisnam eum nihilominus praestitisse, sibi persuadeat? Quin imo si Templum B. V. *a Febribus* sacrum fuisset, ut Bull. Vat. editores contendunt, omnem prorsus ambiguitatem e medio sustulisset, si *Capellam S. M. della Freve in propria Eccl.* sitam nominasset. Quare quin Nicolaum injuriose obscuritatis arguamus, quum diserte *Cappellam* ab *Ecclesia* distinxit, atque hanc *Andreae*, illam *S. M. della Freve* sacram fuisse dixit, germanus diplomatis sensus est, in *Ecclesia S. Andreae*, sitam fuisse *Capellam S. M. de Febribus*; quumque haec nusquam, iis etiam adnuentibus, exstiterit in *aditu* Templi *S. Petronillae, ubi S. Andreae Eccl.* a *Symmacho* excitatam contendebant, hinc patet, veram *S. Andreae* Ecclesiam, fuisse *Templum rotundum*, ubi *imago B. M. a febribus* postea collocata fuit. Itaque Nicolao V, qui hoc idem Templum instaurandum curavit, ut infra declarabimus, verum etiam ejus nomen debemus; quod tamen conjiciendum est, ob magnam imaginis Deiparae celebritatem, quae in eo coli

1 c. XIII. num. 170.

coepta est, sensim de possessione dejectum fuisse, atque ex animis, et ex usurpatione hominum penitus evanuisse. Interea tanti Pontificis testimonio me tuebor, cujus quidem verba legisse, ac, quod multo magis est, interpretatos esse, et tamen nihilo plus ceteris praeclaros explanatores vidisse, mirari satis nequeo.

§. XII.

Recentiorum Scriptorum testimonia, qui dejectum Sacrarium B. Andreae Templum fuisse tradiderunt.

Quum videam, etsi tot, tantisque argumentis res hactenus comprobata fuerit, nonnullos tamen adhuc esse posse, qui nondum satis acquiescant, eis ulterius etiam indulgendum reor. Quare in medium proferenda sunt alia hujusce veritatis testimonia, eaque locupletissima, quorum auctoritatem elevare, sanus nemo possit. Haec autem nobis copiose suppeditat Jac. Grimaldus, qui disserens de S. *Petronillae* Templo nostram sententiam egregie confirmat, his verbis [1]. *Superest adhuc Templum aliud eidem simile, a dicto loco non multum distans, quod pridem* S. Andreas, *postea* S. Maria de febribus *vocatum est, nunc ad* Sacrarii *usum inservit*. Quid igitur exoptari a me, a Lectoribus exspectari poterat luculentius, quod veram, primamque hujus Templi appellationem firmius tueretur? Atqui id Grimaldo persuasum adeo erat, ut quoties eadem de re ipsi sermo inciderit, toties idem nobis oggesserit. Nam alibi etiam *S. Andreae* sacrum idem Templum fuisse scripsit. En ejus verba [2]. *Templo S. Petronillae olim demolito, superfuit alterum, dudum sub nomine* S. Andreae; *nunc* Sacrarium *est, brevi et ipsum solo*

1 in lib. Instr. p. 3°. 2 ibid.

aequandum. Sed iterum eamdem denominationem aperte indicantem audiamus.

Bonifacius VIII. ad Orientalem Bas. Vat. plagam, ut Bosius tradidit [1], inter Portam *Ravennianam*, ac *Iudicii*, nobile Oratorium, atque Altare in honorem Sancti *Bonifacii* IV, qui ibidem quiescebat, exstruxit, atque instrumento anno MCCCI. confecto [2], ac suis etiam literis [3], in proximo sua humari ossa praescripsit. Quod vivens tanto studio decreverat, id post ejus obitum religiose servatum est. Vix enim Anagnia in Vrbem reversus, in Vaticanis Aedibus, ubi eatenus Pontificum nemo rebus humanis interesse desierat, vita functus est, ejus Corpus maxima nobilium Virorum frequentia, et Karolo II. Siciliae Rege funebrem pompam augente [4], ad *S. Petri* delatum, et in Sepulcro, quod sibi vivus poni curaverat, tumulatum fuit. Ibi autem jacuit ad annum MDCIII, quo anno, eodem, quo vita excesserat, die, id est v. Idus Octob. [5], integrum recensque repertum est. Deinde authenticum instrumentum illius inventionis a Jac. Grimaldo confectum fuit, quod non solum ad vindicandam ejus famam, improborum osorum [6] calumniis iniquissime laceratam, mirifice valuit, sed etiamnum ad asserendum exciso *Sacrario* B. *Andreae* nomen, quam maxime conducet. Hoc Joh. Rubeus [7], et Abrahamus Bzo-

1 lib. I. cap. VIII. pag. 263. V. insigne opus praestantissimi Card. Garampi inscriptum Sigillo della Garfagnana p. 92.

2 T. I. Bull. Vat. pag. 237.

3 ibid. p. 239.

4 ex ms. Odorisii apud Turrigium p. 371. Eggs Pontificium doctum p. 510.

5 apud Raynal. ad an. 1303. et Argolum ad Panv. de Lud. Circens. lib. II. c. III. Caferrum in Synthem. Vetustatis p. 291. Oldoinium in Atheneo Roman. pag. 114. et Eggs loc. cit.

6 Paulli Ernesti Iablonski Institut. hist. Crit. Crit. T. I. p. 295. La Croze Entretiens sur divers sujets de histoire p. 389. Ludevvig Dica Iubilaeorum. Micrelii Syntagm. hist. Eccl. p. 542. aliorumque apud P. Bianchi della Podestà, e Polizia della Chiesa T. II. p. 448.

7 in Bonif. VIII. p. 352.

vius [1] publici juris fecerunt, ac rursus ex ipso autographo V. C. Phil. Dionysius [2], cujus haec extrema sunt verba. *Acta sunt haec Romae in Basilica S. Petri, et in* Sacrario *ejusdem respective, Templo scilicet rotundo, quod antiquitus dicebatur S. Andreas*. Jam vero quis amplius dubitare poterit, hoc Templum *S. Andreae* dicatum a *Symmacho* fuisse, quum Grimaldus, rerum ad Bas. Vat. pertinentium peritissimus, id toties, tam diserte testetur? Et tamen quis credat, haec tam perspicua Grimaldi verba a Saussayo in opere *de gloria S. Andreae* [3] relata, tanti apud eum non fuisse, ut hoc Templum aliis in ejus honorem in Vrbe erectis adnumeraret? Quod etiam Dionysio accidit, qui perinde in culpa est; eum quippe tam in *Bullario Vaticano*, quam in *Cryptis Vaticanis*, Sancti *Andreae* Templum in *aditu Aedis S. Petronillae* perpetuo agnovisse, apparet.

Verum adeo obesae naris non fuit eruditissimus Vignolius, quem Grimaldi auctoritate permotum, veterem de Templo *S. Andreae* opinionem reliquisse comperi. Ipse enim in Scholiis, quibus Librum Pontificalem egregie illustravit, pluries Ecclesiam *S. Andreae*, quae *ad S. Petrum* dicebatur, esse illius Basilicae *Sacrarium*, forma rotundum, declaravit. Siquidem in *Gregorii* III. vita haec adnotavit [4]. *S. Andreae Apostoli Ecclesia, quae ad S. Petrum dicitur, est hodie illius Basilicae* Sacrarium, *forma rotundum*. Et in *Stephani* II. vita, *S. Petronillae* Templum illustrans, ait [5]. *Aedificium erat rotundum, alteri* B. Andreae, *quod est hodie Basilicae* Sacrarium, *non dissimile*. Et in *S. Zacharia* itidem scribit [6]. *B. Andreae Ecclesia*

1 num. 303. an. 1303.
2 p. 128.
3 p. 657.
4 T. II. p. 52.
5 ibid. p. 124.
6 ibid. p. 84.

olim, *quod hodie Bas. Vat.* Sacrarium. Ac demum in *Stephano* III.[1] de eadem loquens, rursus inquit. *Cujus Ecclesia, ubi nunc Basilicae Vaticanae Sacrarium*; quousque nimirum explanando pervenit, quum quae in Pontificali reliqua erant, eo immatura morte sublato, Joh. Franc. Baldinius, et Vgolinius illustrarint. Verum sententiam suam luculentius antea aperuerat ad vitam ipsius *Symmachi*[2], ubi fontem, a quo rem hausit, ostendit hujusmodi verbis. *Aedificium est antiqui operis rotundum, ad Neronis Circum pertinens, hodie Bas. Vat.* Sacrarium, *ex Grimaldi sententia*; ac iterum in vita *Iohannis* VI[3], ubi ait. *Basilica S. Andreae, quae olim, ubi hodie Bas. Vat. Sacrarium.*

Quae dum a me inter legendum detecta sunt, non potui mihi non vehementer de Grimaldo, et Vignolio, quos nactus eram, egregiis opinionis meae adstipulatoribus, quodammodo gratulari. Quod enim supervacaneum mihi esse videram, ad alteram meam opinionem comprobandam de *origine* Templi *S. Petronillae*, quae sese satis per se ipsa tuebatur, Anastasii auctoritate, id mihi quam maximé necessarium esse noveram pro hac altera, peraeque incomperta, cunctisque ferme Scriptoribus adversa opinione, de *Templo rotundo S. Andreae*. Quumque heic non modo de ejus *origine*, sed etiam de *situ* disputandum esset, equidem sentiebam, id nunquam satis lectoribus meis persuasum iri, si meo unius judicio, quod video, quam sit exiguum, subscribere debuissent, quin illud longe graviorum etiam scriptorum testimonio, praeter allata argumenta, niteretur.

Ceterum, ne quid dissimulem, de hac tamen re idem Vignolius in ejusdem *Symmachi* vita[4] quodammodo du-

1 p. 156. 2 T. I. p. 177. 3 ibid. p. 316. 4 T. I. p. 177.

bitasse mihi videtur. Nam ad Anastasii verba, *alios quoque gradus adscendentes ad B.* Andream *fecit*, haec subnectit. *Verum si quod olim Oratorium* S. Andreae, *hodie* Sacrarium *esset*, *ut Grimaldus censuit*, *descendentes potius dici oportuisset*. Minime tamen id mirum. Quum enim non satis accurate rem ipse perpenderit, sed obiter tantum Grimaldi nixus auctoritate, ea scripserit, non satis sibi constare debuit. Quod contra mihi accidit, cui Grimaldi auctoritas eo majoris ponderis videri debuit, quo plura ad idem, quod ipse adseruit, confirmandum, fuere mihi praesto argumenta.

Verum, si cui praecipua, post Grimaldum, laus hujusce investigationis debetur, ea Floravanti Martinellio tribuenda est, qui de *Templis in Vrbe obsoletis* scribens, haec habet [1]. *Templum* S. Andreae in Vaticano, *excitatum a Symmacho Papa anno* 408. *Eidem ambonem fecit Iohannes* VI. *Tectum, et cameram Gregorius* III. *Dona contulerunt Stephanus* III, *et* IV, *Adrianus* I, *Leo* III, *et* IV, *ut Bibliothecarius. Idem vocatur Oratorium ab eodem. Leo* IV. *fecit in Oratorio* B. Andreae, *quod S. Petri cohaeret Ecclesiae*, *vestem*. *Hodie esse* Sacrarium *Basilicae Vaticanae describit Grimaldus*. Quae Martinellii verba referens Franciscus Blanchinius [2], locum hujusce Oratorii a Bibliothecario, *Basilicae nomine liberaliter donari* pronuntiat; quo facto ostendit, sese Oratorium in *aditu* Templi *S. Petronillae* cum aliis vidisse, ac tum Grimaldo, tum Martinellio, minus profecto tribuisse, quam erat tribuendum.

Hos ego habui in re obscurissima duces, ac socios, atque horum me institisse vestigiis glorior; etsi neque tamen Grimaldo, et Martinellio penitus adsenserim, qui

1 p. 341.

2 T. III. Anast. pag. 220.

mira inconstantia sibi repugnarunt. Alter enim [1] repugnantem Vgonii sententiam sequutus est, ac Templum, ut supra [2] vidimus, *Matri Deûm* primitus dicatum fuisse censuit, alter vulgi opinione deceptus, *Marti* sacrum fuisse [3] scripsit. Sed hos relinquamus, nostramque de *Symmacho* hujus Templi auctore disputationem absolvamus.

§. XIII.

Scriptores de rebus gestis, et gloria posthuma Andreae Apostoli recensentur.

Nunc de Templi forma, atque *Altaribus* disserendum esset, ut de *Templo S. Petronillae* fecimus. Verum haec satis habebo paullo infra ostendere, postquam, praeter ea, quae supra attulimus de *Andreae cultu*, nonnulla heic de rebus ab eo gestis, et gloria posthuma addiderim.

Hoc autem loco mihi temperare non possum, quin vehementer doleam, VV. CC. qui immortale Bollandi opus, Christianae, ac Literariae Reip. longe utilissimum prosequebantur, diutius etiam illud, ac saltem usque ad integrum Novembrem mensem, propagare non licuisse. Plura enim certe, atque exquisita, uti jam Sollerius [4] promiserat, ex amplissima, et inexhausta illa ecclesiasticae eruditionis, et antiquitatis penu, maximo cum emolumento, et S. *Andreae* gloriae accessione protulissent, quae nunc in tenebris pessimo publico delitescunt. Non enim tantum mihi tribuo, neque ea me esse praeditum eruditionis, et doctrinae facultate sentio, ut huic argumento graviter, ornateque pertractando, par esse possim.

1 T. III. Anastas. p. 220.
2 p. 1105. 3 p. 218.
4 in Martyrologio Vsuardi Monachi in T. VII. Iunii Bolland.

Sed, ut saltem aliqua compensatione utantur ejusdem Apostoli studiosi, heic in eorum gratiam, aliorum Scriptorum censum adtexam, qui de ejus gestis, et gloria pertractarunt.

Salutarem Evangelii lucem attulit Scythis, Sogdianis, Saccis, et in augusta Civitate, quae cognominatur Magna, sive Sebastopolis, ubi est irruptio Apsari, et Phasis Fluvius. Nam ut de Scythia testatur Origenes [1], ita de eadem, ceterisque locis Sophronius [2], et Prologus Oecumenii. Theodoretus [3] vero Graeciae, Epiro Nazianzenus [4], Hieronymus [5], aliique [6] Achajae quoque eumdem Apostolum Evangelium annunciasse tradiderunt.

Ejusdem Episcopatus, sive Cathedra, Patris Vrbe Achajae, die v. Februarii, celebratur in vetustis Martyrologiis MSS. Hieronymi, seu veteri Amano, MSS. Trevirensi, Bedae vulgato, Rabani, et Notkeri. De eadem praecipue consulendi sunt Bollandus [7], et Florentinius [8]. Praeterea te adire velim, quid auctoritate Rom. Martyrologii ad diem xxxI. Oct. disputent Natalis Alexander [9], Tillemontius [10], Sandinius [11], ac prae ceteris Guilielmus Cuperus [12] de Byzantina Eccl., quam Nicephorus CP. [13], Nicephorus Callistus [14], Codinus [15], aliique recentiores Graeci apud Lambecium [16], a *S. Andrea* institutam esse tradunt.

1 apud Eusebium hist. Eccl. l. III. c. I.
2 in addit. ad Catal. VV. illustrium S. Hieronymi.
4 Orat. xxv. 5 in epist. CXLVIII.
6 V. Ioh. Alb. Fabricium in Salut. Luce Evangelii p. 98.
7 die v. Febr.
8 in Indiculo Apostolorum.
9 sec. I. c. vIII.
10 T. I. Monum.
11 de S. Andrea §. III.
12 in in dissertatione praevia ad Histor. Chronologicam Patriarcharum Constantinopolitanorum, de exordio Cathedrae Constantinopolitanae, seu potius Byzantinae.
13 in Chronico.
14 hist. Eccl. lib. II. c. xxxIx.
15 in Originib. CP.
16 T. III. p. 55. et 154.

Patris in Achaja crucifixus est, Aegaei Proconsulis jussu, ut ejus Acta, Sophronius, Chrysologus, Bernardus, aliique testantur. Achajae Presbyteri, et Diaconi, paullo post medietatem I. Seculi, scripserunt ad universas Ecclesias encyclicam epistolam de Apostoli Passione, cui praesentes interfuerant, anno Chr. LIX. Neronis Imp. VI. Hujusmodi acta [1] non modo a Caveo [2], aliisque Heterodoxis, sed etiam a Dupinio, Tillemontio, et Bailleto rejecta sunt. Sed iis praeter Gardeboscium, Eliam d'Amato [3], Honoratum a S. Maria, ex asse satisfecit Natalis Alexander [4]. Quid vero nunc? quum haud ita pridem in Codice Anglicano, cui geminum est Venetum Bibl. S. Marci, graeco idiomate eadem acta reperta sunt, absque iis additionibus, quae Criticorum censuram offenderant. Haec autem e regione graeci autographi, italice versa, ac veteri latina interpretatione, propediem exspectamus a P. Chiesa Presbytero Philippiano, singulari doctrina, ac pietate spectatissimo.

Plura dabunt de ejusdem Cruce, quam Massiliae adservari tradunt Lipsius [5], Molanus [6], Combefisius [7], Chiffletius [8], et Sarnellius [9]; ac de antro subterraneo [10] ad

1 Passio S. Andreae Apost. per Presbyteros, et Diaconos Ecclesiarum Achajae scripta. in T. IV. Vit. SS. Laurent. Surii d. 30. Nov. pag. 623. Presbyterorum, et Diaconorum Achajae de Martyrio S. Andreae Epist. Encyclica, graece nunc primum edita, latine versa, notisque, et dissertationibus illustrata a Kar. Christ. Voog. Lipsiae 1741, et 1749. 8.

2 Cevaeus in Antiq. Apostolic. p. 480.

3 Riflessi su gli Atti di S. Andrea Apostolo scritti da' Chiesastici dell'Achaja, e su la Pistola a Barnaba attribuita. fra le sue Lett. erudite. Part. I. 139. Genua 1714.

4 hist. Eccl. sec. I. c. XII. art. 10.

5 de Cruce lib. I. c. VII.

6 lib. III. hist. imaginum c. LVII.

7 in not. ad Hyppolitum de XII. Apost.

8 in Vesontione Part. I. cap. XLVIII. Crux Andreana Victrix, seu de Cruce Burgundica caelitus in Ariensi obsidione vise Commentarius. Antuerp. 1642. 12.

9 Della Croce del glorioso Apostolo S. Andrea. io T. X. Lit. Eccl. p. 4.

10 In ejus inscriptionibus a Car. Morono editis 1654. pag. 81, et apud Georg. Fabricium in ejus Roma. c. XII. p. 113.

ejus Aedem Patris in Achaja, Cyriacus Anconitanus.

Si vero, quidquid pertinet ad ejus gesta, a SS. Patribus in disertissimis Homiliis persaepe laudata, et ab Hist. Ecclesiasticae Scriptoribus enarrata, rescire, et de ejus gloria posthuma edoceri cupis, consule dissertatationes Godofridi Hanchii [1], Joh. Floriani Hammerschmid [2], Christophori Lemmii [3], ac praesertim spissum opus Andreae Saussaii [4]. Adisis etiam Joh. Christophorum Olearium [5], Joh. Mich. Weinrichium [6], David. Kohelerum [7], Kar. Schlaegerum [8], et Kar. Christophorum Voog [9] de numis in ejus honorem percussis, praeter Scriptores Historiae Ord. Militarium, et Equestrium [10], ubi plura de Ordinibus ejus nomine decoratis.

Claudat hanc scriptorum seriem *Ioh. Geor. Lotteri epistola ad Andr. Balthas. de Schnurbein de Viris aliquot Andreae titulo, ac praenomine condecoratis, qui vel juris, vel civilis doctrinae, historicive studii gloria illustre nomen adepti sunt* [11].

Haec autem, magnam partem, e Franc. Antonii Zaccariae eruditionis fonte ne, an flumine [12] derivata profiteor, ut illi gratiam, ac memorem animum rependant *Andreae* cultus studiosi.

1 De Sancto Andrea Apostolo. Lipsiae 1698. 4.

2 Cruciger Apostolicus, idest S. Andreas Apost. in vita, morte, martyrio, miraculis, encomiis descriptus. Pragae 1699.4.

3 Memoria Andreae Apost.

4 Andreas Frater Simonis Petri, seu de gloria S. Andreae Apostol. libri xII. Lutet. 1646. fol.

5 in Prodromo Hagiologiae Numismaticae. Arnostadii 1709.

6 epistola de Numis Sanctorum imagines exhibentibus. Erfordii 1709.

7 in Deliciis Numariis.

8 Historia Numorum SS. imagines exhibentium.

9 Epistola de S. Andrea Martyre in numis. Dresdae 1749. 4.

10 Ordine del Tosone instituito nel 1429. a' 10. di Gennajo da Filippo il Buono, Duca di Borgogna, e Conte di Fiandra Le Mire Orig. Ord. Equestr. Ashmol de l'Ordre de la Giarratiere. Macer in Hierol. in Andreas.

11 Halae Venedor. 1724. 4.

12 in Supplemento ad Nat. Alexandri histor. Eccl. Venet. 1777. fol. pag. xxxiv. 2. 13. 54.

CAPUT III.

De Templo S. Andreae in Sacrarium converso.

Quum vetustissima Templi Vaticani moles a *Constantino* excitata, haud satis firmo *Caii, et Neronis* Circi fundamento innixa, senioque consumpta, diutius stare non posset, proximamque ruinam minitaretur, *Nicolaus* V. omnium primus, ut Baronius [1], Manettus [2], aliique tradiderunt, novam amplioribus spatiis a fundamentis erigere meditatus est. Ac propterea manu operi admota, novam, amplissimamque absidam musivi operis, Bernardo Rossellinio Architecto, inchoavit, magnisque sumptibus ad tres cubitos supra pavimentum, mira celeritate perduxit aedificium. Sed mors [3] coeptum opus abrupit, quod Paullus II. prosequutus est, ut tradidit Mich. Cannesius, ubi scripsit [4]. *Aggressus est absidem, quam Tribunam vocant, juxta Aedem Petri Apostoli, a Nicolao V. magnificentissime inchoatam, ipse suis expensis perficere, in quam supra* v. *millia aureorum dedit.*

Verum ut *Nicolaus* de novo aedificando Templo cogitavit, quum solo aequandum quoque esset *Secretarium*, quod tunc temporis Basilicae inserviebat, idem in alium locum transferendum cognovit, ante quam novum Basilicae majestate dignum ex integro aedificaretur, quod jam *delineaverat*, uti Manettus [5] testatur, *opportune a parte superiore, amplum, et ingens, pulcrum, ac devotum.*

1 ad an. 1195. n. vI.

2 in vita p. 934.

3 apud Condiv. in vita Bonar. p. 16.

4 in ejus vita apud Muratorium T. III. hist. rer. Ital. P. III. Rod. Venutum in Numismat. Praestantior. Rom. Pontificum Quirinum in Pauli II. p. 29. V. Ang. M. vita. Rom. 1740. 4.

5 in vita p. 934. T. III. Script. Rerum Italic. Muratorii.

§. I.

De primo Templi Instauratore.

Dum Pontifex in his esset, vetus Templum B. ***Andreae***, ubi jam exstabat ***Capella S. M. de Febribus*** dicata, restaurandum curavit, ***animo fortasse***, ut cum Martinetto [1] dicerem, nisi allata Manetti verba repugnarent, ***in Sacrarii usum redigendi, etiamsi hoc non usuvenerit, quam*** Julii II. ***aetate, posteaquam suo jussu veteris Basilicae Sacrarium dejectum fuit***. Quod etsi frustra quaesierim apud Platinam, et Jannottum Manettum, ceterosque ad unum omnes, qui tanti Pontificis vitam literis mandarunt, non tamen dubitandum est, quin hoc ***Nicolaus*** praestiterit, ceterisque ejus operibus, quae ***Bonaventura de Rubeis***, et ***Dom. Georgius*** peculiari diligentia enumerarunt, adjiciendum sit.

Habeo hujus rei testes locupletissimas, claves B. ***Petri*** decussatas, quas ipsismet oculis nos usurpavimus, quaeque in absidis centro exstabant cum siglis hujusmodi V. qq. N. hoc est, NICOLAI PAPAE V. Nunquam enim aliter uti voluit, ex antiquissimo Romanae Ecclesiae more [2], etsi jam insignia gentilitia usurpare ***Adrianus*** V. coepisset, quae postea ***Clemens*** VI. in ipsis diplomatibus insculpsit.

Praeterea hoc idem Templum a ***Nicolao*** V. restauratum fuisse, aperte tradit Panvinius, qui ait [3]. ***Sacrarium S. Petri, quod antiquitus S.*** M. de Febre ***vocabatur, est octangulum, testudineum, cum tecto lateritio, pavimen-***

1 Pregi della Bas. Vat. l. II. p. 219.

2 Rayraudus. de Clavibus symbolo scientiae, potentiae, jurisdictionis in corona aurea Pontif. Praenotione IV. Bonannius. in Numism. Pontif. T. I. p. 434. Bollandiani de Clavi S. Petri T. V. Iunii p. 453. Sarnellius. dell'origine dell'armi gentilizie, coll'occasione di quelle de'Sommi Pontefici. T. IV. delle lett. Eccl. p. 112. Fioravanti. Denar. Pontif. p. 45. Ciampinius. de S. Aed. c. IV. sect. II. pag. 42. Garampius. Illustraz. d'un antico sigillo della Garfagnana p. 107, et Dionysius. p. 16.

3 T. II. ms. p. 140.

tum marmoreum, multis Defunctorum tabulis refertum habet, totum a Nicolao V. *restitutum*. Id ipsum praeter Ciacconium [1], Turrigius [2] confirmat, qui Templum an. MCCCCLV. instauratum fuisse docet.

§. II.
De Templis rotundis a Nicolao V. *instauratis*.

Ceterum, vel si omnia deessent monumenta, quae *Nicolaum* V. *D. Andreae* Templum reparasse testarentur, id nobis externa ejus structura quodammodo suasisset. Etsi enim LX. Vrbis Ecclesias, in quibus ex antiquissimo, sanctissimoque instituto *Supplicia Stativa* hodieque haberi solent, aut renovaverit, aut a solo restituerit, singulari tamen studio fere omnes restaurandas *Nicolaum* curasse, quae figuram exhibent orbicularem, compertum est.

Siquidem in Caelimontio Templum *rotundum Bacchi* a Rufo, et Victore memoratum, juxta nonnullos *Fauni Capripedis* ex Anonymo apud Montfauconium [3], Andrea Fulvio [4], et Joh. Henr. a Pflaumern [5], *Claudii* ex Vgonio [6], et Donato [7], seu, uti placuit Nardinio [8], *Thermarum Calidarium*, quas in regione II. Sextus Rufus fuisse tradidit, a Simplicio P. [9] *D. Stephano* dedicatum, et ab Hadriano I. [10] instauratum, contracto ambitu, et tecto avulso, ut Blondus testatur, rursus restituit [11]. *A fundamentis vero*, ut ait Platina [12], *erexit* Sancti Theodori *Templum inter Palatinum, et Capitolinum*

1 T. II. in vita Callixti III. col. 983.
2 pag. 98.
3 in Diar. Ital. p. 150.
4 lib. III. cap. III.
5 pag. 229.
6 p. 289.
7 p. 324.
8 lib. III. cap. VII.
9 T. I. Anast. p. 160.
10 apud Martinell. p. 309. et Nardinius loc. cit.
11 circa finem vitae apud Platinam.
12 ibidem.

Montem, in plano situm; Pantheon *quoque in medio Vrbis positum, vetustissimum M. Agrippae opus, plumbeo tecto restituit.*

Quae quidem Templa, ea tempestate, erant omnia ejusmodi, quae *formam rotundam* haberent. Alia enim quattuor, *SS. Cosmae, et Damiani* in via sacra [1], S. *Petronillae*, *S. Constantiae*, seu *Constantinae*, ut cum aliis mavult Alexander Leslaeus [2], propter Basilicam *S. Agnetis de via Nomentana*, et *S. Stephani Curruum*, seu B. V. de *Sole* prope *Scholam Graecam*, quod prius alii *Solis*, aut *Lunae* Fanum, alii *Deae Volupiae*, aut *Vestae*, quidam *Matutae*, seu verius *Herculi* [3], aut *Portumno* sacrum fuisse contendunt, tum mole sua stabant, nec quidquam restaurandum exhibebant. Nondum vero unum ex aquarum Castellis, quae ad *Thermas Diocletiani* usui erant, seu potius *Sphaeristeriis*, aut *Calidariis*, ut nonnulli [4] volunt, in Ecclesiae usum conversum, ac *D. Bernardo* dicatum fuerat, quod anno tantum MDCVIII. fieri curavit Catherina Sfortia, S. Florae Comitissa. Quod nequeo mihi temperare, quin cum Montfauconio [5] exoptem, ut pariter aliquando tandem fiat de Templo venustissimo *Minervae Medicae* in regione V, sive Exquilina, quod *Pantheum* a Rufo vocatur, proximumque est *Vrso Pileato* ad S. *Vivianae*, seu ad *Capud Tauri*, juxta Palatium Liciniani, ad formam Claudii, uti ex Vivianae actis diserte habetur in vetustissimo Codice Vat. 5696, qui fuerat Canonicorum S. M. ad Martyres. Hujus enim

1 Vide Ciampin. Vet. Mon. cap. VII. et Marangonium p. 257.

2 in epist. ap. Gasp. Odericum in diss. II. p 39. Nardin. lib IV. c. IV. Serlius lib. III. c. 20. Marangon. p. 299.

3 Montfauc. in Diar. It. p. 188. Fabrettus apud Mabill. T. I. Mus. Ital. p. 188. Alex. Donatus p. 104. Io. Henr. a Pflaumern p. 221.

4 Ligorius, Laurus, et Nardinius l. IV. cap. VII. Frid. Lebbegott Pittschelius de Sphaeristerio. Lipsiae 1740.

5 in Diar. Ital. p. 121.

adhuc superest fornix elegantissimus, qui tamen misere in ruinam vergit, et nisi suppetias ferant, brevi omnino periturus est.

§. III.

Quis Templum rotundum S. Andreae in Sacrarium convertit?

Jam vero ad *Nicolaum* V. redeamus. Is morte sublatus, neque maxima, quae mente volvebat, consilia de novo Templo Vaticano exstruendo, deque *Sacrario* excitando, ad exitum potuit deducere, neque ingentem illum *Obeliscum*, qui *prope S. Andreae* Templum inglorius, humili in loco, terraque obrutus paene delitescebat, in Areae Vaticanae meditullio, ante Vestibulum, ac Templi frontem collocare, ut eum statuisse docet Manettus, in haec verba. *Pro* IV. *pusillis, aeneisque Leonibus, quibus Colossus ipse nunc pro basibus, ac sustentaculis paullo superficie sua altioribus utitur, quatuor magnas totidem Evangelistarum Statuas ex solido, liquefactoque aere in staturam humanam fabrefacte conflatas, in superficie soli distantibus inter se proportionibus, secundum Colossi latitudinem ponebat. In summitate vero ipsius Colossi, alteram Iesu Christi Salvatoris Nostri statuam, dextera ejus manu auream Crucem bajulantis, ex aere confectam accomodabat*. Nihilominus fatendum est, verissime Maphaeum Vegium de *Nicolao* praedicasse [1], *summam ejus in aedificando prae omnibus Pontificibus laudem fuisse*. Aliis enim Aedificiis Vrbem mirum in modum exornavit, et si ejus opera profligari potuissent, nulli veterum Imperatorum magnificentiae cessura videbantur. Sed tamen summis etiam laudibus ob id unum efferen-

1 sub initio l. IV. ejus vitae.

dus esset, quod intentatam novae Basilicae Vat. structuram, primus omnium aggressus, Successoribus exemplo fuerit, atque incitamento, ut de nova Templi Mole construenda, cujus futurae magnitudinis rudimenta quaedam in eo posuisse videtur, tandem aliquando deliberarent.

Quod vero anno MDLXXXVI. praestitum a *Xysto* V. feliciter fuit de *Obelisci* translatione [1], a *Paullo* IV, aut, quod serissimum esset, a *Pio* V. de *Sacrario* confectum fuisse, conjicio. Narrat enim M. Antonius Ciappi de Gregorio XIII. [2] *Da Paolo* IV. *fu eletto, et creato Vescovo di Veste, et celebrò la sua prima Messa nella* Sacristia di S. Pietro, *nel giorno di S. Gregorio suo Avvocato*. Nulla profecto, quantum equidem sciam, superest memoria, in *Secretariis majori*, aut *minori* supra descriptis, Altaria exstitisse. Quare nonnemo suspicari posset, Ciappium de Templo rotundo loquutum esse, ubi certe plura exstabant Altaria. Praeterea, ut infra demonstrabimus, usque sub *Paulli* IV. Pontificatu, constat imaginem *B. V. a Febribus* in Oratorio Gregoriano cultam fuisse. Ipsius autem translationem contigisse narrat Alpha-

1 *Praeter ea, quae supra attulimus*. p. 1119. 1120. V. Carmina et Epigr. Varior. in Obeliscum a Sixto V. in Foro Vat. erectum. Romae 1587. 4. Mich. Mercati degli Obelischi di Roma. 1589. 4. Considerazioni sopra gli avvertimenti di Lat. Latini intorno ad alcune cose scritte nel libro degli Obelischi. Roma 1590. 4. Gio. Iodaii Dialogo sopra l' Obelisco innalzato in Vaticano da Sixto V. Roma 1586. 4. Dialogo di Cosimo Gaci, nel quale.... si parla delle valorose operazioni di Sisto V. P. O. M. ed in particolare del trasportamento dell'Obelisco del Vaticano, con alcune allegorie al componimento di quella gran macchina accomodate. Roma 1586. 4. Fontana trasportazione dell' Obelisco Vat. e sua erezione. nel l. III. della descrizione del Tempio Vat. p. 107. Della trasportazione dell'Obelisco Vatic. e delle fabriche di Sisto V. da esso fatte. Roma 1590. fol. e in Napoli 1604. fol. e co' Castelli, e Ponti di Nicola Zabaglia pubblicati da Lelio Cosatti. Roma 1743. fol. Milizia Vite de' più celebri Architetti. Roma 1768. p. 269. e in Parma 1781.

2 Compendio delle gloriose attioni, e santa vita di Gregorio XIII. Roma 1591, 1596, 1606. 4. p. 3.

ranus, quum Templum rotundum, prima ejus Sedes, in *Sacrarii* usum destinatum fuit. Verum monumentorum defectu, quae frustra hactenus conquisivi, certo statui nequit, Templum, de quo agimus, sub *Paullo* IV. *Sacrarii* vicem praebuisse; quod tamen fidenter affirmare licet de *Pii* V. aetate.

Nam Bernardus Gamuccius, qui librum suum edidit anno MDLXV, ubi refert Ectypon Obelisci Templo rotundo continentis, diserte ait. [1] *Per la lettera A, che è nel suo disegno, si dà a conoscere la Porta del Campo Santo, che vi è di rincontro, e per la lettera B. la* nuova *Sacristia di S. Pietro*. Jam tum igitur Templum *D. N. M. Febrifugiae* in *Sacrarii* usum venisse constat. Hoc idem luculenter confirmat Onuphrius Panvinius, quem an. MDLXIX. acerba morte praereptum Resp. Literaria nunquam satis elugebit. Nam in opere de VII. Ecclesiis, quod se *Pii* V. *P. M. incredibili relligione incitatum adornasse* fatetur, quodque tamen, nonnisi post ejus obitum, nimirum an. MDLXX. a M. Antonio Lanfranchi latine, et italice editum fuisse constat, scriptum reliquit [2]. *Templum S. M. de Febre, in quo* nunc *Canonicorum Sacrarium est*. Atque id ipsum pluries testatur in opere mss. de *rebus memorabilibus Bas. Vat.* Ast aliis posthabitis, quae alibi recitavimus, haec seligam, exempli caussa [3]. *Templum antiquum S. M. de Febre*, nunc *pro Sacrario in usu est, Canonicis Vaticanis, in quo omnia Basilicae ornamenta, aurea, et argentea, et serica, vestes sacrae, reliquiae, et libri servantur*. Id ipsum Tib. Alpharanus, qui die XVIII. Octobris, anni MDLXVII, Clericus Beneficiarius renuncia-

1 Le antichità della Città di Roma. Venezia 1565. 4. p. 196. e nella II. edit. di Thomaso Porcacchi. Ven. 1588. 8. p. 181.

2 Le sette Chiese principali di Roma. ivi 1570. 8. p. 1, et 47.

3 T. III. ms. c. XIX.

tus fuit, haud una vice testatur in explanatione Tabulae Ichnographicae veteris Basilicae, ab se in lucem editae anno MDLXXXIX; etsi ibidem, nescio qua de caussa, nunquam Templum *S. M. a Febribus*, *Sacrarium* appellaverit. Quid igitur huc accersam Attilii Serrani testimonium, qui anno MDLXXV. librum suum evulgavit, ubi docet [1] ? *Adeundum est Ecclesiae* Sacrarium, *in quo multae SS. reliquiae servantur, inter quas eminet sanctum, ac omni honore dignum D. Ioh. Chrysostomi Corpus .... in* Sacrario *sacrae hujus Bas. sub Altare SS. Lamberti, et Servatii jacet*. Post haec, multo minus ex me quaeras Pompeji Vgonii auctoritatem, qui opus suum typis consignavit anno MDLXXXVIII, ubi [2] Templum S. M. a febribus, Bas. *Sacrarium* fuisse declarat.

Ceterum animadvertendum est, etsi pro certo habendum sit, usque a *Pii* V. Pontificatu, Templum, de quo scribimus, *Sacrarii* vicem praebuisse, nondum tamen *Sacrarium majus* deletum fuisse. Sed quum jam statuta esset veteris Bas. partis, ubi situm erat, dejectio, putandum est, multo ante, quam re ipsa deleretur, potiorem sacrae supellectilis partem ex eo amotam, ac in Templum rotundum translatam, quod iccirco usque a Pii V. Principatu *Sacrarium* vulgo appellaretur. Non enim audiendi sunt ii, qui vetus *Sacrarium*, *Iulii* II. jussu, dejectum fuisse pronuntiant. Hos enim aperte refellit Alpharani testimonium, tum in latina descriptione locorum, *novello*, ac *majori* veteris Basilicae *Secretario* adjacentium, tum in altera idiomate vernaculo exarata, cujus verba etsi superius [3] a nobis allata, interest nunc

1 de vrb. Vrbis Eccles. Romae 1575. 8. p. 27. 28.

2 Historia delle Stationi di Roma. ivi 1588. 8. p. 101.

3 p. 199.

rursus apponere. *Doppo del Sepolcro*, inquit [1], *di Pio* IV. *appresso il detto fu trasferito nella ruina della Chiesa il sepolcro de Papa Paulo* II. *bellissimo de marmore elegantissimo .... Questa sepoltura di PP. Paulo* II. *stava appresso la Porta della* Sacristia *della Chiesa; a mano manca della Porta di detta* Sacristia, *era quella de Eugenio PP. quarto col suo Altare, dall' altra parte di* Sacristia *a mano destra era quella di Nicolò* V. *et non molto più oltre stava l' Altare di S. Biasio verso la Cappella di Papa Xisto, quali furono tutti disjecti nel rinovar la Chiesa, et trasportare altri in un loco, et altri in altro. La pietra, che era a piede a questo sepolcro, sotto alla quale stava il corpo di detto Paolo* II. *l'anno del Sig.* 1574. *quando ... fu restaurato il pavimento della Chiesa, fu posta nella Nave della Porta* Giudicii, *le sue ossa furno trasportati appresso l'Altare maggiore al loco comune*, ubi dicitur Poliandrum. Ac paullo infra [2]. *Nel* 1573. *si incominciò a demolire, e rimovere l'Altare detto di S. M. de Conventu, ed il Deposito d'Innocenzo* VIII, *e di Francesco Cibo ec. Nel* 1574. *fu trasferito nella ruina della Chiesa il sepolcro di Paolo* II, *di Nicolò* V. *l'Altare di S. Marco, cioè dalla parte meridionale a destra, a sinistra della* Sagrestia *alla parte Boreale, circa il sito, dov'è presentemente l'Altare di S. Sebastiano. A di primo di Settembre l'anno* 1574. *fu trasferito nella Chiesa nova un sepolcro elegantissimo deaurato appresso l'Altar Maggiore* (nimirum ad dextrum pilae maximo tholo suppositae loculamentum, ut alibi [3] tradit idem Alpharanus, ubi nunc Veronicae simulacrum exstat, unde rursus Vrbani VIII. jussu [4], die xv. Jan. an. MDCXXVIII. amotum, ad dexterum latus majoris absidis collocatum

1 lett. G. num. 5. p. 8. ms.
2 ibid. n. 5. p. 11.
3 ms. p. 30.
4 Torrigio Grotte Vat. p. 103. 215.

fuit, duabus tantum Statuis ejusdem Mausolei ad Aedem Farnesianam translatis) *fatto fare dal Cardinal Alessandro Farnese suo Nepote*. Ac demum alibi. *L'anno* 1578. *volendosi far una strada nova per entrare in* Sagrestia, atteso quella vecchia si buttava per terra, *per far i fondamenti della Chiesa nova in questo loco della sepoltura (del Card. Cristoforo Marone) fu fatta una porta*.

At, quum Paullus III. fato functus fuerit, mense Novembri anno MDCXLIX, quumque mirandum ejus sepulcrum, nonnisi post elapsum XII. annorum spatium, egregio Jacobi de Porta opere insculptum fuisse constet, nonne liquet ibidem an. tantum MDLXII. excitari potuisse? Si vero tunc idem sepulcrum, secundam inter, ac tertiam columnam, meridiem versus, in medio secundae navis, quae inter praecipuam, ac postremam media est [1], a tergo Altaris Transfigurationis, circiter XXV. palmos intra D. Andreae parastatam positum fuit; si item Paulli II. monumentum pone ostium *majoris* Basilicae *Sacrarii*, stetit usque ad ann. MDLXXIV; ac laeva ejusdem *Sacrarii*, Eugenii IV. cum sua Cella, dextra Nicolai V. monumentum usque ad idem tempus permansit, quis non videt, *majus* etiam *Sacrarium* superstes adhuc fuisse, atque, ut disertis, ac perspicuis verbis narrat, dumtaxat anño MDLXXVIII. solo aequatum? Quapropter censendum est, quum, quidquid reliquum erat veteris Basilicae a parte meridionali, ex utroque *majoris Sacrarii* latere, usque ad partem Borealem, prope situm, ubi nunc est Ara D. *Sebastiano* sacra, solo eversum fuit, *majus* etiam *Sacrarium* a nobis supra [2] descriptum defecisse, ac tum unum, atque unicum *Templum B. M. febrium* in *novi Sacrarii* usum

1 tab. ichn. n. 53. 2 pag. 852.

plane cessisse. Quae quum ita sint, quisnam inficias iverit, Bullarii Vaticani editores [1], Martinettum [2], Sindonium [3], Chattardum [4], aliosque, qui hujusmodi Templum, *Iulio* II. Pontifice, in *Sacrarium* conversum fuisse tradiderunt, a vero quam longissime aberrasse?

Post haec, primum *B. M. Febrium* imaginis discessum e Templo rotundo, licet conjicere, quod sub ipsa Paulli IV. aetate, quum vel pro Basilicae *Sacrario* destinatum, seu jam in hunc usum conversum esset, contigisse, tenendum est. Haec autem potissima ratio esse videtur, cur neque post ejus discessum, vetus, ac primitivum *S. Andreae* nomen Templo redditum fuerit. Ex eo enim tempore Vaticanae Basilicae *Sacrarium*, sine alia ulla adjectione, nuncupari, et haberi coeptum est; quod etiam fieri consuevit, vel quum tandem eò rediit ipsa *B. M. Febrium* imago. Quod ex Alpharano [5], et Ciampinio [6] aperte deprehenditur, et multo disertius antea Panvinius [7] tradidit.

Quod vero tradidit Karolus Fontana [8], *Xystum* IV. hanc aedem anno MCDLXXI. instaurasse, de *Oratorio Gregoriano*, quô translata fuit *B. M. Febrium imago*, accipiendum esse, satis superque [9] demonstravi. Quocirca, ut paucis omnia complectar, hujusmodi Templum a *Symmacho* excitatum, et *Andreae* dicatum, a *Gregorio* M. rursus consecratum, deinde *B. M. a febribus* sacrum, a *Nicolao* V. instauratum, postea a *Paullo* IV, aut *Pio* V. quantum quidem conjicere licet, in *Sacrarium* conversum, ac denique a *Pio* VI. solo aequatum est. Sed jam singulas ejus partes accuratè inspiciamus.

1 T. III. p. 257.
2 lib. II. p. 217.
3 pag. 87.
4 pag. 227.
5 n. 172. p. 64. ms.
6 n. 172. p. 91.
7 T. III. ms. c. XIX.
8 lib. II. c. V. p. 70.
9 p. 778.

CAPVT IIII.

De ejusdem Templi Altaribus .

Etsi B. *Andreae* Templum, B. *Petronillae* Templo per omnia geminum fuerit, tamen *septem* Cellis, ut ex Alpharani tabula patet, et Paullus de Angelis, Severanus, Bonannius, aliique testantur, instructum erat, contra quam in altero fuisse vidimus, ubi *sex* tantum Altaria, binosque aditus fuisse constat. Sed tamen Joh. Ballionius ita Templum descripsit [1]. *La Sagrestia è fatta all' antica, di architettura gotita, di fuori rotonda, e di dentro ottangolare, fabbricata di terra cotta, colla sua volta, e vi sono* otto *nicchie all' indentro sfondate*. Item Panvinius multo antea scripserat [2]. *Habet octo Sacella, sive absidulas muro inclusas, egregia arte factas*. Ac deinde Ciampinius [3] etiam, in parietum crassitie *octo* Cellas, singulas singulis in angulis habuisse tradit. Sequutus enim est Alpharanum, qui, aeque ac fecit in altera *Petronillae* Templi descriptione, ubi agit de iis, quae erant in Templo *S. M. de febribus*, scriptum reliquit [4]. *Ingrediamur B. M. de febribus Templum, quod integrum adhuc superest, et ab omnibus cerni potest, quod octangulare, et rotundnm est, et* octo Sacella *etiam habet, et est ejusdem mensurae, et formae, sicut supra de B. Petronillae Templo expressimus*. Verum dum haec scripsit, se a semetipso discedere, secumque pugnare, non animadvertit. Ipse enim in tabula ichnographica [5] adnotavit, locum sine Altari patere liberum debuisse, per quem aditus in Templum esset. Nostra ve-

1 Le nove Chiese di Roma per Andrea Fei 1639. 12. p. 42.

2 T. II. ms. p. 140.

3 c. IV. Sect. XIII. p. 89.

4 c. XIII. p. 62. ms.

5 num. 166.

ro aetate, e primis *septem*, *tres* tantum Cellae supererant, quum ob varias temporum vices, aliae *quattuor*, vel dejectae fuerint, vel in alium usum commutatae. Verum de his singulatim, atque ex ordine disseramus.

CAPVT V.

De Altari S. Ludovici, postea S. Clementis.

Altarium tam vetustiorum, quam recentiorum hujus Templi descriptionem exordiar Alpharani verbis, qui ita eam est auspicatus [1]. *Et in primis in dextra parte hujus Sacelli, per quod est ingressus ad hoc Templum, sequitur aliud Sacellum* [2] *cum Altari, quod inter Occidentem, et meridiem est situm, cui consecratum, ignotum, in cujus pavimento, sub marmoribus lapidibus multa Nobilium Corpora requiescunt, inter quae Odonis Ianuensis Episcopi Interamnensis, Xysto* IV. *Pontifice Maximo defuncti, et Durandi de Fagu, Galli nobilissimi.*

Quum vero scriptores omnes Alpharanum sequuti sint, quod huic incompertum fuit, itidem Paullus de Angelis, Ciampinius, Bonannius, Janningus, atque ipse etiam Sindonius ignorarunt. Quodque mirum magis est, Paullus de Angelis, Turrigius [3], Fontana [4], et Joh. Petrus Chattard [5] Episcopum Interamnensem, cum Alpharano *Odonem* perperam nuncuparunt, qui *Ludovicus* procul dubio vocabatur. Sic enim ejusdem inscriptio apud

1 c. XIII. p. 63. ms. Dentro la Cappella, dove sta il nostro Armario, in Sagristia, in mezo al pavimento è questo titulo di sepolcro nella lapide de marmo *De Fagu....* A mano destra, dentro a questa Cappella appresso il d. Sepolcro, segue quest'altro in bel marmore sculpto

2 num. 167. Vide Tab. III. num. 7.

3 pag. 564.

4 p. 86.

5 p. 228.

Vghellium [1]. *Romae decessit an.* MCDLXXII, *sepultusque est in* Sacrario *apud S. Petrum. Ibi humo affixus magnus spectatur lapis cum effigie, subjectoque epitaphio, Ludovicus Ianuensis Episcopus Interamnensis obdormivit in Domino anno* MCCCCLXXII. *die* VII. *Februarii*. Verum hoc luculentius constabit ex ipsa sepulcrali ejus inscriptione, quam alteri *Durandi de Fagu* adjunctam, loco suo evulgabimus.

Sed quod monumentorum copia destituti, de hujus Altaris erectione allati Scriptores statuere minime potuerunt, id affirmare licuit Bull. Vat. editoribus, qui ex Archivo Vaticano, *Alexandri* VI. diploma [2] depromserunt, ex quo apparet, in hac eadem Cella Altare, *S. Ludovico* sacrum, ex *Ludovici* Ep. Interamnensis testamento fuisse exstructum, ac ibidem Sacerdotium, ejusdem Pontificis decreto institutum. Temporis autem injuria, non solum Altare, sed ipsius etiam nomen oblitteratum plane fuit. Ac propterea omnia ibidem Basilicae ornamenta, aurea, et argentea custodiri coeptum est, ac locus ferreis cancellis proinde munitus fuit. Quod ex ipso etiam Panvinio discimus, qui [3] nullum heic Altare fuisse docet, sed tantum in hac absidula, quam ipse *sexto* loco numerat, *Armaria contineri*.

Tandem anno MDCCXXIII, antiquiori S. *Ludovici* Arae, alia S. *Clementis P.*, et M. subrogata fuit, et biennio elapso, ab Equite Petro Leone Ghezio picturis, quibus varia S. Pontificis gesta repraesentabantur, novoque opere praeclare ornata.

In eadem Ara, duplici loculo plumbeo, cupressinis, et marmoreis tabulis contecto, plurium Sanctorum ci-

1 p. 227. T. I. 2 T. II. p. 274. 3 T. II. ms. p. 240.

neres [1], ex veteri consuetudine apud Augustinum [2], aliosque Ecclesiae Patres longe commendata, reconditi fuerunt cum hac inscriptione.

SACRI CINERES MVLTORVM SANCTORVM
ET SANCTARVM XIV. KALEND.
IANVARII MDCCXXVI.

quod item sub mensa Altaris in tabula mormorea legebatur ad hunc modum

SACRI CINERES MVLTORVM SANCTORVM
DIE XIX. DECEMBRIS
MDCCXXVI.

Qui quidem sacri cineres prius a Bonifacio VIII. in Altari S. Thomae, cum reliquiis S. Bonifacii IV. collocati fuerant, uti docet sequens inscriptio apud Sindonium [3]. *Cineres multorum Sanctorum, ac Sanctarum in Vaticana Basilica inter Portas Iudicii, et Ravennianam sub Altare Sancti Bonifacii Papae* IV, *ac sub ejus corpore intra lateritiam tumbam repertos, et in novum Templum Pauli Papae jussu illatos, hic juxta Corpus ejusdem Sancti Pontificis, loculo plumbeo recondendos curavit Evangelista Pallottus anno* MDCVI. *die* XX. *Ianuarii, Pauli Papae* V. *anno primo*. Ac proinde ad novae hujusce translationis memoriam, in hanc *S. Clementis* Cellam, posita fuit hujusmodi inscriptio, ab eodem Sindonio allata. *Sub hoc Altari solemni ritu translati, et renditi fuerunt cineres multorum Sanctorum, ac Sanctarum olim existentes intra septum Altaris Sancti Thomae Apostoli die* XVIII. *Decembris* MDCCXXVI.

Hoc eodem anno XII. Kal. Januarias Benedictus XIII.

1 Relation. divin. Offic. l. I. c. VII. n. 23. 2 in Comment. ad Psal. 126. 3 p. 66.

novum *S. Clementis* Altare sollemni ritu consecrari jussit, quod praestitum est a Karolo Majello Archiep. Emisseno, qui praeterea SS. MM. Maximi, et Severini reliquias ibi reposuit, cum hac inscriptione. *Karolus Majelli Archiep. Emissenus hujus Bas. Canonicus consecravit hoc Altare die* XXI. *Dec.* MDCCXXVI. Ac demum anno MDCCLVI. rursus consecratum fuit, uti docebat hujusmodi inscriptio. *Georgius de Lascaris Archiep. Theodosiae hujus Sacros. Bas. Vicarius consecravit Altare hoc die* XIV. *Nov.* MDCCLVI.

Sed priusquam ex hoc Altari discedamus, ejus pavimentum inspiciendum est, sub quo, in loculo fornicato tumulatus exstabat *Hannibal Albanus*, Card. Tituli Sancti Clementis, Episcopus Portuensis, atque ejusdem Bas. Archipresbyter, qui innumera in Basilicam suae liberalitatis argumenta, perpetuo quodam munificentiae cursu, edidit; in quibus non postremo loco numeranda est Apostolicarum Literarum ad res, personasque Vat. Bas. pertinentium splendida collectio, quam omnibus Vrbis Tabulariis excussis, ab eruditissimis Viris in lucem edendam aere suo curavit, quae *Bullarii Vaticani* nomine, doctorum manibus teritur. Capsae plumbeae, ubi ejus cineres quiescunt, inscriptionem insculptam, in *Sylloge veterum monumentorum* exhibemus.



CAPVT VI.

De Cella SS. Lamberti, et Servatii, seu Reliquiarum, vulgo etiam Cella Canonicorum.

Ad dexteram partem, austrum versus ingredientium, num. 168. altera erat Cella vetustissima *SS. Lamberto, et Servatio* Episcopis [1] dicata, quae tamen aliis duobus nominibus vulgo audiebat. Nuncupata enim quoque fuit *Altare Reliquiarum*, quod ibi omnes *SS. Reliquiae* [2], quae in Vatic. Bas. adservantur, et feria secunda post Pascha, Populo ostenduntur, honorificentissime custodiebantur; ac praeterea *Canonicorum Cella*, nimirum ab eorum sepulturis, quae eôdem e veteri Basilica, ubi prius exstabant, translatae fuerant.

Georgius de Caesarinis, ut ait Grimaldus [3], *ab Eugenio ad Xystum* IIII. *Canonicus S. Petri, Protonotarius Apostolicus, Germanus Frater Iuliani senioris Card. S. Angeli Archipresbyteri dictae Bas. fundator Capellae SS. Servatii, et Lamberti in eadem Basilica, ubi in pace quiescit in Sacrario*, hoc Altare amplissimis reditibus locupletavit, ibique Sacerdotium constituit cum jure Patronatus, ut patet ex quadam supplicatione apud editores Bull. Vat. [4], quam inepta sane, atque insolenti scribendi ratione usus

1 Vita S. Lamberti, seu Landeberti Episcopi Trajectensis in Henric. Canisii Lect. Ant. Tom. II. edit. Basnagii p. 135. et apud Surium die 17. Septembris pag. 172. et in Sec. III. Act. SS. Ord. Bened. P. I. pag. 66. Coost. Suiskeni de S. Lamberto, seu Landeberto Comment. praev. T. V. Sept. p. 518. God. Henschenii de S. Servantio Episcop. Trajecti ad Mosam Comm. Histor. io T. III. Maii p. 209. Anonymi de S. Servatio Episc. Tungrensi, ejus nominis unico, adversus nuperum de S. Arvatio, vel duobus Servatiis commentum Dissert. historica. Leodii 1684. 8.

2 Alph. n. 168. p. 63. vide Tab. III. n. 9.

3 in lib. ms. Descend. Canonic. fol. 21. et apud Turrigium Grotte Vat. p. 253.

4 T. II. p. 200.

nescio qui obtulit Xysto IV, et ex MSS. Jacobi Grimaldi apud Turrigium [1], ubi legitur. *Georgius Caesarinus... Sacellum in Basilicae* Sacrario *SS. Lamberto, et Servatio Martyribus dicavit, ac pro sua, et Cardinalis* (Juliani Caesarini) *animarum expiatione, Sacerdoti ibi missam celebraturo, censum attribuit*; et alio loco apud eumdem Turrigium ex Cod. Chartaceo [2]. *Capella SS. Servatii Episcopi Confess. et Lamberti Episc. Mart. in* Sacrario *Basilicae per Ill. D. Georgium de Caesarinis Sedis Apost. Proton. et Canon. Basil. anno* 1475. *erecta, et dotata fuit jure patronatus, et posteris suae familiae reservato, et jure institutionis Canonicis Basilicae relicto, cum onere, ut Capellanus ter in hebdomada in eadem Capella rem sacram faciat.*

Postquam vero Turrigius Cellae erectionis annum indicavit, Georgium anno MCDLXX. supremum diem obiisse, et in Cella *SS. Lamberti, et Servatii*, in tabula marmorea ejus memoriam insculptam fuisse declarat, hoc modo [3].

GEORGIVS DE CAESARINIS PROTONOTARIVS
APOSTOLICVS FIERI FECIT ET ORNAVIT

Quumque ibidem sibi sepulturam testamento destinaverit, ceteri etiam Canonici, illius exemplum sunt imitati, atque in hac Cella tumulari coeperunt.

Nam antiquum eorum Coemeterium, ut discimus ex diplomate Johannis XXII [4], erat *juxta Ianuas veteris Basilicae*; quod etiam Beneficiariis, ac Clericis commune fuisse prodit Antonius Petri, ubi narrat [5]. *Item an.* MCCCCXIV. *isto die post horam Vesperorum fuit sepultus D. Bernabeus*

1 p. 132.
2 p. 467.
3 p. 253.
4 T. I. Bull. Vat. p. 255.
5 T. XXIV. Rer. Ital. Mur. p. 1050.

Canonicus S. Petri, et sepultus in Porticali Pontificum, ante Portam, quae dicitur Judicii. Ac paullo infra [1]. *Item sciatis, quod die Mercurii* 23. *Ianuarii anno* MCCCCXV, *hora Vesperorum, fuit defunctus supradictus Iacobus Roddi, et sepúltus in Porticali Pontificum, videlicet in Tumba communi Dominorum Canonicorum, Beneficiatorum, et Clericorum.*

Cautum quippe erat; vel multo ante Iohannis Pontificatum, ne quis intra Basilicam sepulturam haberet, absque Pontificis venia. Id enim, ut cetera praeteream exempla, perspicue probant adhuc exstantes in Cryptis Vaticanis hujusmodi tabulae [2]

LICENTIA SEPELIENDI IN
BASILICA S. PETRI CONCESSA
PETRO EXTRIBVNO VOLVPTATIS
ET IOHANNAE EIVS CONIVGI
AB HORMISDA SVMMO PONT.
ANNO DOM. DXXIII.
E RVINIS SERVATA ANNO DOM. MDCVI.
PAVLO V. PONT. MAX.

✠ FL. MAXIMO VC CON
CONCESSVM LOCVM PE
ROME EXTRB VOLVP
ET CONIVGI EIVS IOHAN
PAPA HORMISDA ET TRA
PRAEPST BASC BEATI PETR

1 ibid. p. 1052.

2 Grimaldus in lib. Instrum. Turrigius Grotte Vat. p. 94. Donius Inscr. p. 537. Lodovicus Muratorius in T. IV. Thesauri Inscr. p. 1874. Dionysius in Crypt. Vat. Monumentis p. 58. Tab. XXV.

Huic gemina est altera [1].

LICENTIA SEPELIENDI IN
BASILICA S. PETRI CONCESSA
A IOANNE PP. III. AN. DLXIII.
MARCELLO SVBDIACONO
REGIONIS VI. E RVINIS SERVATA AN.
.MDCXVII.

LOCVS MARCELLI SVBD. REG. SEXTE CONCESSVM SIBI ET POS
TERIS EIVS A BEATISSIMO PAPA IOANNE
QVI VIXIT ANN. PL. M. LXVIII DEP PC BASILI VC ANN XXII
IND. XI VNDECIM. KA IANVARII

Veteris hujusce disciplinae usum Vrbanus IV. memorabili Epistola ad Capitulum Vaticanum inscripta sollicite, ac relligiose revocandum curavit. Ejusdem epistolae particulam omnium primus luce donavit Mabillonius [2], ac deinde Papebrochius [3] recusit. Eam demum omni parte absolutam, integramque ex antiquo regesto Edmundus Martenius, et Vrsinus Durandus [4] ediderunt. Cujus quidem rei notitiam me debere profiteor omnigenae PONTIFICIS vere maximi eruditioni, qui tam insigne monumentum, quod in Bullarii Vaticani editione desideratur, mihi nunquam satis praedicanda benignitate communicavit. Heic itaque eam rursus ad lucis usuram revocabo. *Existentes in Principis Apostolorum Basilica*,

1 Torrigio Grotte Vat. p. 93. Donius Inscript. Class. xx. n. 62. p. 537. Murator. Inscript. Thes. p. CDXXVIII. Gallettus in T. I. Inscript. Roman. p. sv. num. 8. Dionysius Crypt. Vat. pag. 53. Tab. xxiv.

2 Mus. Ital. T. I. p. 51.

3 in Paralip. ad Con. Chronhist. p. 104. in T. vII. Maii.

4 Veterum Scriptorum, et Monumentor. collect. Tom. sI. col. 1358. Ep. vII. ad Capitulum S. Petri, ut non sepeliantur Corpora Indevotorum in Ecclesia S. Petri.

et ubi sanctissimum Corpus ejus celebri memoria requiescit, et a qua cunctae per Mundum Ecclesiae ab ipso pene Christianae Religionis exordio, exemplum sanctae conversationis, et normam sumpsere vivendi, tanta deberetis actus vestros gravitate pensare, et tanta circumspectionis discretione dirigere, ut nihil inveniretur in eis, quod oculos divinae majestatis offenderet, nihilque posset in mentibus Fidelium ad ipsam ex diversis Mundi partibus devota frequentia confluentium, scandalum suboriri. Sed proh dolor! sicut veridica relatione, et frequenti assertione multorum accepimus, ut de aliis sileamus ad praesens, loco, et tempore castigatione debita puniendis, erga Sanctos, quorum gloriosissima Corpora in eadem Basilica requiescunt, sic indevote vos geritis, sic vos irreverenter habetis, quod etiam contra canonicas sanctiones mortuorum Corpora quasi passim in ipsa, in qua vix passus pedis vacat sepultura Sanctorum, praesumptione temeraria tumulatis, coecae cupiditatis illecebritate seducti, potius quam miseratione pietatis inducti. Inde fit, ut plerumque sepultura (sepulcra) reverenda Sanctorum, quae antiquorum Patrum sancta devotio debita diligentia consignavit, ausu sacrilego violantes, cum piis impios, cum justis injustos, et cum sanctis sontes, dispari consortio, ac societate damnabili, impie sociatis. Quod quam sit detestabile in conspectu Dei, et hominum, et quam horrendum, nemo sanae mentis ignorat. Quum igitur haec, per quae Deus omnipotens provocatur, hominum decrescit devotio, et Sanctorum reverentia conculcatur, non debeamus, nec velimus sub dissimulatione transire, mandamus vobis, arctius inhibentes, ne aliquam ecclesiasticam, saecularemque personam deinceps in praefata sepeliatis Basilica, vel permittatis ab aliis sepeliri, absque licentia, et mandato Sedis Apostolicae speciali.

Duriora quidem verba, subjungit Mabillonius, *sed tempori, et occasioni forsan necessaria*. Quum enim Concilium Bracarense II [1], Vasionense [2], et Nannetense [3], praeter Capitulare Theodori Cantuariensis Archiep. [4], et Capitulare Episcopi Vercellensis [5], sepulturas in Ecclesiis fieri vetassent, quas *in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiae* tantummodo statuebant, eas tamen, praesertim in Basilica Principis Apostolorum, passim usurpari aegre tulit Vrbanus. Ceterum absenti Pontifici rem fortasse exageratam fuisse, quisquam facile credat; quemadmodum Benedictum XII, Clementem VI, et Innocent. VI. dum Avenione degerent, sinistra quadam relatione praeoccupatos fuisse scimus, adversus ejusdem Basilicae Canonicos, quos Altaris S. Petri oblationes ad Sedem Apost. spectantes, usurpare insimulabant. Qua de re iidem Pontifices acribus literis, quae in Bull. Vat. [6] recensentur, vehementer conquesti sunt. Verum Innocentius VI. falsae relationis iniquitate, reique veritate comperta, Vaticani Capituli jura, de oblationum perceptione, sarta tecta servavit, omnesque controversias peculiari Constitutione [7] composuit. Quod tamen spectat ad Vrbani IV. decretum, ne quis absque Pontificis venia, in Bas. Vat. tumularetur, post novam ejus constructionem a Paullo V. peractam, ad hanc usque diem relligiose servatum est; quum ibidem soli Reges, et Principes sepulturae honorem nancisci soleant; quemadmodum in Templo Apostolorum Constantinopoli, Valesius [8], Bandu-

1 Can. XVIII.
2 apud Gratianum 13.
3 apud Burchardum, et Ivonem can. VI.
4 c. LVIII. T. IX. Spicil.
5 c. XXIII.
6 T. I. p. 316. 317. 340. 346.
7 ibid. p. 357.
8 in notis ad Sozomen. IX. 2.

rius [1], et Cangius [2] solos Imperatores, et Patriarchas, honoris caussa, sepelire, fas olim fuisse testantur. Id etiam vel apud Ethnicos sollemne fuit, qui, Appiano teste [3], *Sillam transtulerunt in Campum Martium, quem,* ait Strabo, *locum esse relligiosissimum, ubi solos Reges sepelire mos est.*

Sed, ut ad novam Canonicorum sepulturam revertamur, res ab Alpharano diserte traditur, qui ait [4]. *Iuxta hoc Sacellum* [5] *ad meridiem antiquissimum, SS. Lamberto, et Servatio Episcopis consecratum, a Georgio de Caesarinis hujus Basilicae Canonico, et Sedis Apostolicae Protonotario, satis optime dotatum, in cujus etiam sepulcrorum penetralibus sub marmoreo lapide ipse requiescit. Hoc Sacellum* Canonicorum *appellatur, eo quod Canonicorum Corpora ibi humari consueverunt. In his enim penetralibus D. Iacobus Herculanus Senior, Herus meus colendissimus, nunquam ex animo delendus, cum reliquis antiquioribus Canonicis, in lignea ex nuce arca conditus in pace requiescit.* Incompertum vero est

1 in Imperic Orientali p. 878.

2 Heroa, seu Tumuli Imperatorum in Constantinopoli Christiana. V. Montfauc. in Bibl. mss. p. 982.

3 in lib. I. Bell. Civ.

4 ms. p. 63. Nella Cappella di S. Lamberto, di S. Servatio, et di S. Gio. Crisostomo, quale è delli Canonici, se conservano le reliquie de questa Basilica, et sotto l'Altare, sta il Ven. Corpo de d. S. Gio. Crisostomo, consecrato detto Altare ultimamente da Mons. Santoro Arcivescovo di S. Severino. In d. Cappella al pavimento sò doi sepulture de Canonici di S. Pietro, coo queste arme del Capitolo, et infra l'una, e l'altra vi è in mezzo una gran lapide de marmo con questo Titulo: *Georgius de Cesarinis Prothonotarius Apostolicus Canonicus fieri fecit, et quiescit.*

In quesia med. sepoltura credo, sia sepolto Maffeo Vegglo Canonico, et fu sepolto in questa med. dentro una bella cassa de legno a man sinistra il mio Padrone, et Pñe Colmõ R. M. Iacopo Herculano Canonico, et Altarista dignissimo, et antichissimo di questa Chiesa, dal quale tutte prefate cose ho imparato, quale sapeva beo questa S. Chiesa, innante che fusse ruinata, atteso dalli teneri anni haveva servito questa S. Chiesa, et io essa era stato allevato primo Chierico, dopo Beneficiato, ultimamente Canonico dalla S. M. di Paolo III. fu fatte, quale se viveva, l'avrebbe esaltato a più degnissimo loco.

5 num. 148.

quo tempore Canonicorum generatim haec sepultura esse coepit; etsi non dubium sit, quin hoc, Seculo xv. exeunte, plus minus contigerit. Quamobrem apud recentiores Scriptores, parum temporum ratio constat, quod hanc Cellam *Canonicorum*, vel ab initio appellatam esse censent, quum hoc ei nomen serius accesserit, ut alterum *Reliquiarum*, de quo idem pronunciari potest. Ceterum huic usui aptior profecto locus inveniri non poterat. Nam Philippus Bonannius [1] post *Sacrarii* Altarium descriptionem, haec habet. *Narrat Severanus* [2] *sub his detecta fuisse a quodam Coementario Cosmo Florentino, totidem similia Sacella, quando jacta fuere nova Basilicae fundamenta*.

Plura ibidem hac de caussa reperta sunt Virorum illustrium monumenta, quorum nomina heic recensebimus, inscriptionibus infra rejectis. Heic enim quiescebant cineres *Card. Francisci Barberini*, cum Inscriptione. Hujus rei memoriam servavit Petrus de Sebastiani, inquiens [3]. *In una picciola Cappelletta fu seppellito l'anno 1679. a' 10. Dec. il Card. Francesco Barberini, Decano del S. Collegio, in età di ottantatre anni, e sessanta di Cardinalato, soggetto in vero di gran capacità, e di un governo impareggiabile*. Pone Patrui cineres, Cor Fratris Filii *Karoli Barberini* Card. exstabat, quod duae inscriptiones indicabant. Praeterea ibidem conditum erat Cor *Card. Francisci Nerlii*, tribus adjectis inscriptionibus, atque ossa Canonicorum *Riccardi Hovvard de Norfolcia*, et *Hieronymi Petronii*, cum epitaphiis. Aliorum vero Canonicorum, qui ibidem, absque eodem inscriptionis honore, quiesce-

1 p. 30.
2 p. 97.
3 Viaggio sagro, e curioso delle Chiese più principali di Roma. ivi 1683. 8. p. 10.

bant, memoria exstat in Necrologio Bas. cujus loca, post allatas Inscriptiones, evulgabimus.

§. I.

De Cathedra S. Petri ibidem aliquando custodita:

Perquam insigne huic Cellae decus accessit, ex eo quod aliquamdiu *S. Petri Cathedra* in ipsa custodita est. Quum enim antiquitus ritus vigeret mittendi Neophytos, sacro regenerationis lavacro recens ablutos, ad eam venerandam, ut colligimus ex sermone [1] Leonis M., et Ennodio [2], iccirco eadem inter alias Basilicae reliquias in hac Cella servabatur, eamque ceteri quoque Christifideles miro cultu prosequebantur. Idque ex eo praecipue liquet, etsi praeter Marangonium [3] animadversum a nemine adhuc viderim, quod in *Indiculo Sanctorum Oleorum* quae Gregorius M. ad Theodelindam transmisit [4], adnotetur, *de Oleo de Sede, ubi prius sedit S. Petrus*. Qua in re Majores nostri Alexandrinos, et Hierosolymitanos imitati sunt, qui suorum Antistitum Marci [5], et Jacobi [6] sedilia diu, ac relligiose conservarunt, quemadmodum etiam Veneti, Marci cathedram, in qua Aquilejae resederat, summo in honore semper habuerunt [7].

Grimaldus haec de loco, quo sua aetate servabatur, memoriae tradidit [8]. *In Tabernaculo, quod exstat in Ca-*

1 In Serm. 1I. de sua assumpt.

2 circa finem libri Apologetici.

3 nel Pellegrino divoto p. 95.

4 V. Borgia de Vat. Conf. B. Petri p. 197.

5 in Actis MSS. a Valerio relatis in Eusebii Hist. Eccl. p. 374.

6 Euseb. Hist. Eccl. c. xix. p. 343. et cap. xxxI. lib. vII. p. 374.

7 V. Menardum, ad Sacramentarium Gregorii M. pag. 85. 94. Basnagium. ad Baron. T. I. p. 535. Ioh. Andr. Schmidium. in disquis. de Cathedris Doctorom veterum, Ienae 1657. Christophorum Samium. de Cathedris Apostolorum. Regiomonti 1701. Sarnellium nel Lume a' Principianti P. I. p. 156. et Costadonium. de Templo Torcellano.

8 p. 55. et apud Sind. p. 41.

pella veteris Basilicae SS. Servatii, et Lamberti, ac sacrarum reliquiarum, ex latere Evangelii, in medio parietis suis portis recluso, intus serico panno rubro ex parte posteriori, cum vexillo S. Hyacinthi tecto, religiose custoditur Cathedra, in qua Petrus Apostolorum Princeps primum Romae sedit, nobili tegumento ex auro, et serico ad flores magnos rubros, crispante auro, cum imaginibus Xysti IV. *tota contegitur*. Nam Xystus IV, ut antiquum morem de Sedibus primorum Pontificum exornandis, ab Augustino ad Maximum Episcopum Donatistarum, et a Baronio [1], aliisque memoratum, renovaret, anno MCCCCLXXXI. *die* XXII. *Februarii*, quemadmodum refert in suo *Diario* Raphael Volaterranus [2], *in Vesperis descendit in Basilicam Petri in veste domestica, tamen familia comitatus, obtulit* Sacrario *Basilicae aureum pannum intertextum auro ad cooperiendam Cathedram Apostoli Petri, quae in eodem Templo cum summa veneratione servatur, ac se praesente, suo munere operiri illam jussit, et taliter ornatam in locum suum deferri mandavit a majoribus Templi Sacerdotibus, incensis cereis praecedentibus, cantantibus quoque nonnullis ad caeremoniam pertinentibus*.

Sed tamen, quum haec *Cathedra* diutius, uti docet Turrigius [3] ex Alpharano, et Grimaldo, in altera *S. Annae* Cella permanserit, tunc nos etiam de ea paullo diutius disseremus. Nunc in hujusce Altaris ornamentis latius persequendis immorandum est, cui integro fere Seculo elapso, post suam erectionem, novum veluti columen accessit.

1 ad an. XLV. n. II. 2 T. XXIII. rer. Ital. Murat. pag. 122. 3 p. 564.



§. II.

De S. Chrysostomi Corpore ibidem adservato.

Ex *aditu* Templi *S. Petronillae*, ubi primum positum fuisse vidimus [1], *S. Ioh. Chrysostomi* Corpus ad Cellam *Sanctorum Lamberti, et Servatii* translatum, atque in pretioso labro aegyptiaco reconditum fuit. Hujus rei testimonium profert M. Attilius Serranus, qui sic habet [2]. *Adeundum est Eccl.* Sacrarium, *in quo multae SS. reliquiae servantur, inter quas eminet sanctum, ac omni honore dignum D. Ioh. Chrysostomi Corpus*. Ac rursus. *Romam translatum in* Sacrario *sacrae hujus Basilicae sub Altare SS. Lamberti Episcopi Singiensis, et M. et Servatii Episc. et Confessoris jacet*. Idemque in Catalogo reliquiarum Bas. confirmat, inquiens [3]. *Corpus S. Ioh. Chrys. Ep. CP. et Confessoris in Sacrario*. Habes praeterea Alpharani locum, cui Severanus [4], et Ciampinius [5] subscripserunt, qui est hujusmodi [6]. *In hoc item Sacello, nostris temporibus, ut supra retulimus, Corpus S. Iohannis Chrysostomi sub Altare honorifice collocatum est in nobili marmoreo labio aegyptiaco, cui etiam honori dicatum Altare fuit, consecratum a Iulio Antonio Sanctorio Card. S. Bartholomaei in Insula, nunc S. Severinae Archiep. ad preces Antonii Caraffae Cardinalis, tunc hujus Basilicae Canonici, anno Domini 1566.*

Praeterea id etiam constat ex ipsa ejusdem Altaris consecratione in ejus honorem, ac *SS. Lamberti, et Servatii* peracta, Pii V. jussu, anno MDLXVII, quemadmodum docet Schedula ibi reperta, quae sic habet apud

1 p. 1096.
2 de VII. Vrbis Eccles. Romae 1575. 8. p. 27. 28.
3 ibid. p. 114.
4 p. 136.
5 cap. IV. sect. XII. et XIII.
6 ms. p. 63. num. 168.

Sindonium[1]. ✠ *Anno a Nat. D. N. I. C.* 1567. *die Dominica* 27. *mensis Aprilis, Pontificatus SS. D. N. Pii Papae* V. *anno secundo. Iulius Antonius Sanctorius miseratione divina Archiepiscopus S. Severinae, auctoritate ejusdem Sanctissimi D. N. consecravit hoc Altare in honorem SS. Conf. et Pont. Ioannis Chrysostomi, et Lamberti, atque Servatii, et tam Corpus Beati Iohannis Chrysostomi Praesulis, quam reliquias SS. MM. Sebastiani, et Christophori in eo inclusit.*

Haec autem schedula reperta fuit, quum sacrum hoc pignus, Vrbani VIII. jussu, Kal. Maii anno MDCXXVI. recognitum fuit, priusquam ad ejus honorem, cultumque amplificandum, ad Cellam Xystinam instauratam, ac magnifice ornatam, ac sub ara, ubi nunc quiescit, comitantibus quampluribus Cardinalibus, Praesulum Romanorum flore, ac permultis praecipue Orientalibus, et Alumnis Scholae Graecae, faces accensas prae manibus gestantibus, hymnosque graeco idiomate concinentibus, sollemni ritu collocaretur. Quae sane Ioh. Bapt. Vaccondii errorem aperte produnt, qui[2] in *Choro Canonicorum* veteris *Basilicae S. Iohannis Chrysostomi* Corpus olim quievisse scripsit.

Gaspar Alverus testes hujusce translationis, binas inscriptiones protulit, ex utroque Altaris latere exstantes, quas item Sindonius recusit[3]. Eorum prima est hujusmodi[4]. MDCXXVI. *mense Maii, die prima sub hoc Altare, facta solemni Processione, repositum fuit Corpus Sancti Ioannis Chrysostomi una cum infrascriptis reliquiis, videlicet de velo B. M. V. de Spatula S. Stephani Protom. de Costa S. Laurentii M. de Spina S. Sixti P. et M. de Sanguine, qui fluxit ex latere B. Francisci Stigmatizati, de Capillis, de Cili-*

1 p. 76. 2 p. 110. 3 p. 110. 4 Roma in ogni Stato P. II. p. 178.

cio, de Tunica, de Habitu ejusdem, in quo mortuus est, de Cute Capitis S. Antonii de Padua, sicut in instrumento celebrato per I. B. Nardonum Pub. Not. ad quod....

Altera vero sic habet [1]. MDCCXXVI. *mense Iulio, die* XXII. *festo S. M. Magdalenae Ill. et Rev. D. Scipio Card. Burghesius hujus Bas. Archipresbyter, olim Arch. Bononiensis, facultate tam sibi vigore suorum privilegiorum competenti, quam a SS. D. N. Vrbano* VIII. *specialiter ad hoc concessa hoc Altare continens Corpus S. Ioh. Chrysostomi, cum reliquiis in altero marmore in cornu Evangelii notatis, juxta consuetum ritum consecravit, et in honorem B. M. V. S. Ioh. Chrysostomi, S. Francisci, et Antonii de Padua dedicavit, et indulgentiam centum, et quinquaginta dierum, in die Anniversario consecrationis visitantibus concessit.*

De tribus hisce locis Bas. Vat. ubi servatae fuerunt, hodieque servantur SS. Doctoris exsuviae, erudite disseruit Janningus [2], cui calculum adjecit Vir aeque doctissimus Joh. Stiltingus [3], ubi acta jampridem promissa [4] ejusdem *Chrysostomi*, in vulgus emisit.

Et sane decuit, ut quum primum ex Armenia, hortatu Proculi Patriarchae, a Theodosio Juniore Arcadii Filio, uti a Cosma Vestiario apud Baronium [5], Theodoreto [6], Theodoro Lectore [7], Suida [8], Nicephoro [9], et Zonara [10] accepimus, insigni pompa, intra *Sacrarium* Aedis SS. Apostolorum, Constantinopoli locatae fuerint, postea Romam translatae, itidem in *Sacrario*, deinde in nobilissima Basilicae Vat. Cella, augustiorem, quam

1 V. pag. 110.
2 T. vII. Iunii p. 157.
3 T. IV. Sept. p. 694.
4 in T. II. Ianuarii.
5 in Annalib.
6 Hist. Eccl. lib. v. c. xxxvI.
7 in Collect. lib. II.
8 in Lex.
9 lib. IV. c. XXXVI. et XLIII.
10 in Vit. Arcadii Imp.

olim, tumulum perpetuo manciscerentur. Jure igitur de Chrysostomo Baronii [1] verba usurpanda esse ducam, ita Gregorio Nazianzeno gratulantis, quod e CP. in Bas. Vat. translatus esset. *Ecce pro Byzantio, Deus rependit Romam, pro nova antiquam, pro illa exigua Anastasia, augustissimam Basil. Vaticanam, Urbis ornamentum, Orbis miraculum, pro tenui denique sepulcro, fornicem triumphalem.*

Praeterea discimus ex Alpharano [2], in hac item Cella, *magnam Crucem argenteam fuisse* CC. *librarum pondo, quae aliquando ad Altare SS. Philippi, et Iacobi in mediana Basilicae navi stetisse putatur.* Quocirca Panvinius [3] in hac absidula, quam *quintam* vocat, inesse scripserat, *Altare Crucifixi, sub quo reconditus est Corpus S. Ioh. Chrysostomi Archiep. Constant. in quo aliquando fuit Crucifixum argenteum, a Carolo M. Bas. Vat. donatum, quo in pios usus converso, aliud ei simile ligneum factum est.* Sed heic Crucem argenteam, quae ab Alpharano memoratur, cum altera D. N. Crucifixi imagine a Panvinio permutatam, infra declarabitur.

Eodem die, et anno, quo alterum *Clementis*, hoc etiam Altare denuo consecratum fuit a Thoma Cervino Arch. Nicomediensi, qui ibidem sacras exuvias SS. MM. Modesti, et Valentini reposuit. Anno vero MDCCXLIII. Benedictus XIV, quum ob postremam *S. Ioh. Chrysostomi* translationem, Altare *Subseliarii* pro Manium piorum expiatione, privilegiis ornasset, pari honore [4], SS. *Lamberti, et Servatii* Cellam, pristinam *Chrysostomi* sedem, voluit afficere.

Eorumdem SS. MM. effigies, quae Cellam ornabant,

1 in Martyr. Rom. die II. Iunii.
2 ms. n. 168. p. 63.
3 T. II. ms. p. 140.
4 T. III. Bull. Vat. p. 318.

a quodam Mediolanensi, vulgo *Moranzone*, depictae erant; verum nostra aetate aliô translatae fuerant, inque eorum locum supposita Joh. Baptistae imago a Taddaeo Zuccheri depicta. Verum de singulis ornamentis, quibus Cella prae ceteris *Sacrarii*, miro cultu, novoque opere instaurata renidebat, si tanti sit ea cognoscere, consule Joh. Petrum Chattard [1], qui ea accurate, fuseque descripsit.

Heic autem tantum placet adjicere, quod ab ipso Chattardo praetermissum est, sacram Capitis ejusdem S. *Lamberti* partem, quae, ut ait Grimaldus [2], *fuit reposita anno 1636. in Capite argenteo, impensa Illm̃i, et Rm̃i* D. Aegidii *Vrsini de Vivariis Vat. Bas. Canonici, et Datarii Apostolici*, âb eodem Aegidio, Vrbano VIII. adnuente [3] S. M. de Anima donatam fuisse, ac debito honore illuc translatam, in Altari ejusdem S. Lamberti, intra argenteam thecam, ad speciem humani capitis effictam, collocatam.

Verum ut ceterorum Historicorum, qui de Templis, eorumque vicibus, ritibusque pertractant, consuetudinem imitandam susciperem, sacra Lipsana heic recensenda essent, quibus haec Aedes, quasi de Thesauro, quodammodo gloriari videbatur. Sed ne Altarium descriptionis filum abrumpam, in *Sylloge Monumentorum* duplicem eo-

1 T. I. p. 232.

2 in Catal. reliq. ms. p. 36. Il Capo di S. Lamberto Vescovo di Trajetto M. veniva custodito dentro di una Cassa di legno indorata. Negl' Inventarj degli anni 1454, 1455, e 1489. si legge, che questa parte di Capo fu posta in un vaso d'argento adornato con eleganza da Niccolò PP. V. Fu poi spogliato dell' argento nel sacco dato da Borbone. Alli 22. di Marzo dell'anno 1636. fu di nuovo riposto in una Teca d'argento, fatta a spese dell'Illm̃o e Rm̃o Mons. Egidio Orsini de Vivariis Canonico di questa Basilica, e Datario di N. Sig. si leggono queste parole

CAPVT S. LAMBERTI
EPI. ET MAR.

3 Tom. III. Bullar. Vatican. p. 243.

rumdem Catalogum, alterum ab Alpharano, alterum a Grimaldo digestum, attexendum curavi. Itaque pios lectores, harumque rerum studiosos, illuc libenter amandamus. Equidem heic tantum pauca dicam de Stola lata, et perlonga, opere phrygionico accuratissime variata, filisque aureis intertexta, quae ibidem servabatur, eamque ob oculos ponam iisdem verbis, quibus eam descripsit Paullus M. Paciaudus, cujus florentissimam eruditionem, et singularem in scribendo elegantiam nunquam satis praedicabo. Postquam meminit sacrae stolae contextae filis aureis, quam Theodoretus [1] Constantinum M. Macario Hierosolymorum Episcopo dono dedisse narrat, *haec*, inquit [2], *quia a Viro egregia virtute conspicuo adhibita creditur, inter reliquias merito adservata est. Sanctorum imagines acu pictae, Stolam a vertice usque ad extremam oram distinguunt. In ea autem parte, quae collo aptatur, tres orbiculi sunt aurea corona circumdati; iis subtili artificio* αἱ προτομαὶ *suis nominibus notatae, visuntur. Orbiculo, qui medius est, Servatoris Iesu* IS. XC. *dextrorsum Mariae Virginis* ΜΗΡ. ΘΥ, *sinistrorsum Divi Baptistae* ΙΩ. ΠΡΟΔ. *Atque haec stola, si quid recte conjectamus, ante flammeum Patriarchae Iohannis acu elaborata videtur*.

Extra hanc *Reliquiarum* Cellam, ad laevam, e regione aenei simulacri Paulli IV, Gaspar Alverus [3] se-

1 Hist. Eccl. lib. II. c. XXVII.

2 Antiq. Christ. de Cultu S. Joh. Bapt. p. 237. V. Ios. M. Suaresium de vestibus litteratis. Vasione 1652. 4. Philippum, et Albertum Rubenium. l. 1, et II. Elect. et lib. 1. de re vestiaria cap. 2. Ferrarium Analect. de re Vestiaria p. 47. Steph. le Moine. in exercit. ad verba Ierem. XXIII. c. VI. pag. 101. Bern. Montfauconium. in Palaeogr. Graec. l. I. c. II. Ciampinium. in T. I. Vet. Mon. p. 9. Sarti de Casula Dyptica. Faventiae 1753. cap. III. §. VI. Capycium de vetusto Altaris Pallio. Neap. 1785. in T. I. Opuscul. pag. 133. Steph. Borgia de Cruce Veliterna p. 81. Petr. Zornium. T. II. Opusc. Sacr. p. 759. Andream Ritterum. de vestibus sacris, certis litteris notatis. Lipsiae 1703. Winchelmano Storia dell'Arte T. II. p. 370.

3 T. II. p. 206.

pulcralem ponit Inscriptionem *Iohannae Cordubae*, quam ceteris loco suo adjiciemus.

CAPVT VII.

De Altari S. Annae.

Ex *Reliquiarum* Cella, ad tres alias olim progressus erat, duabus jam descriptis altitudine aequales, quae tamen postremis temporibus, aliquantulum deprimendae fuerunt, quo in superiori earum parte, cubicula exstrui possent, ad *Bibliothecam* superius descriptam, una cum Basilicae Tabulario conservandam.

Haec autem, inter Orientem, et Meridiem posita erat, et in ejus parietibus, uti Alpharanus testatur [1], super Altare depicta, *Salvatoris* imago visebatur. Ceterum, cui sacra, a quo vel erecta, vel dotata esset, latebat; nisi forte *Servatori* dicatam fuisse, ex ejus imagine conjiciendum. Sed, eodem Alpharano teste, ibi multa etiam Nobilium Virorum Corpora humata fuisse patet, inter quae *Paullus Fortiguerra* sub marmoreo lapide conditus est, ut ex literis in marmore insculptis cernitur. Quod ab Alvero [2] confirmatur, qui refert in hujusce Altaris pavimento sepulcrum exstitisse cum insignibus gentilitiis trium repagulorum, et carmine tetrasticho, quae *Fortiguerrae* tumulum ornabant.

1 ms. n. 169. p. 63. Vide Tab. III. n. II. 2 loc. cit. p. 601.

7 X



§. I.

De Cathedra S. Petri ibidem adservata.

Praecipuum hujusce Cellae decus, et ornamentum fuit *Cathedra S. Petri*, quae, priusquam ad Altare *Reliquiarum*, transferretur, ibidem, ut supra [1] innui, relligiosissime adservabatur. Ac licet plures de eadem petractarint, heic tamen operam non inutilem lectoribus fore judicamus, si cunctas ejus vices, ac translationes studiose inquiremus.

Hanc autem Michael Leonicus Sacrarum Caeremoniarum Praefectus [2] *prope B. Petri Corpus* olim conditam, indeque erutam fuisse tradit; cui quidem sententiae Alpharanus [3], Bonannius [4], ac Phoebeus [5] subscripserunt. Solebant enim Veteres Episcoporum cadavera suis Cathedris imposita ad sepulturam efferre, cumque iis inhumare, ut Baronius Stephani Papae [6], ac Petri Episcopi Alexandrini [7] exemplis, luculenter demonstrat.

Quidquid tamen de hujusmodi re statuendum sit, *Cathedram* in Cella prope Januam, quae *Aurea*, vel *Sancta* nuncupatur, antiquitus positam fuisse, Turrigius declarat. Hinc ex eodem [8] ad Altare *Adriani M.* translatam fuisse scimus. Sed antiquiores hujus rei testes audiamus. Ait enim Vegius [9]. *In ipso Altari S. Adriani factus est alius locus egregie ornatus, ubi collocata est Cathedra, super quam sedere B. Petrus, dum sollemnia ageret, consueverat*. Paria sunt, quae de eadem reddit Alpharanus, inquiens [10]. *Iuxta S. Leonis Oratorium, sequebatur S. Adriani primi Ora-*

1 p. 1245.
2 in ms. Bibl. Barber.
3 ms. p. 6. 4 p. 132.
5 p. v. de identitate Cathedrae.
6 ad an. 260. n. iv.
7 ad an. 310.
8 pag. 564. 9 num. 124.
10 ms. n. 15.

torium, in quo B. Petri sedes, sive Cathedra in marmoreo operculo egregie fabrefacto, summo cum honore custodiebatur. Quibus adjiciam, quae in hanc rem scripsit Grimaldus [1], qui haec habet. *Adrianus* I. *non longe ab Ara SS. Leonum, in dextero Templi brachio, in honorem S. Adriani M. Sacellum construxit, in quo, loco ad hoc decentissime fabrefacto, praedictam B. Petri Cathedram, populi devotioni venerandam exposuit, in eoque custodiri mandavit.* Ac dum ibidem exstaret, sedente Alexandro II, ut tradunt Mallius, Turrigius [2], et Bonannius [3], seu potius Alexandro IV, ut narrat Joh. Caballinus apud Severanum [4], *S. Petri lignea Cathedra, exorto forte incendio, et omnia circumcirca late depascente, in mediis flammis, divina, ut credimus, virtute illaesa permansit.*

Inde vero ad hanc *S. Annae* Cellam deducta fuit, quod ante Honorii III. aetatem contigisse putem, quum in celebri membrana a Cl. Nerinio edita scriptum sit [5], quod Canonici, *a muro Basilicae B. Petri, in quo est imago vitreo opere depicta, et a janua aenea ante S. Petronillam, usque ad locum, ubi* Cathedra B. Petri *reponitur, funditus usque ad intima effoderunt.* Quod tamen pro comperto habemus, Gregorii XIII. aetate, ut Alpharanus testatur [6], *in hoc etiam Sacello sedes, sive Cathedra S. Petri pulcherrima, supra quam sedebat, quum munia Pontificalia exercebat .... honorifice* servabatur.

Postquam vero hoc Altare, quod *Cathedrae* S. Petri sacrum hactenus fuerat, a Paullo V, ut infra ostendemus, *S. Annae* dicatum fuit, ad alteram Cellam SS. *Lamberti, et Seevatii*, ut supra [7] vidimus, inter alias Basi-

1 in Catal. ms. reliq. p. 59.
2 de Sacr. Troph. p. 120. Grotte Vat. pag. 566.
3 p. 132.
4 T. I. p. 152.
5 c. XII. p. 209. V. pag. 1091.
6 ms. n. 169. p. 63.
7 p. 1245.

licae reliquias avecta fuit. Ac demum, *lignea sedes Sancti Petri antiquissima ex ebore elaborata*, ut legitur in MS. Tabularii Basilicae apud Turrigium [1], *in Sacristia relligiose adservata* est, donec Vrbanus VIII. anno MDCXXXIV. eam in Cella, ubi nunc sacri Baptismatis latices custodiuntur, honorifice collocavit.

§. II.

De Festo Cathedrae Antiochenae.

Festum *Cathedrae Antiochenae*, ubi septennii spatio Princeps Apostolorum sedit, ut, quidquid contra sciscant Nic. Vedelius [2], Anonymus Gallus [3], aliique, invicte demonstrant Pet. Boschius [4], et Sandinius [5], VIII. Kal. Martii a vetustissimis usque temporibus celebratum est. Nam Calendarium Bucherianum [6], quod sub Liberio Pontifice, vel circa medietatem Seculi quarti, scriptum videtur, exhibet VIII. *Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra*; atque inter Sermones S. Leonis Magni, nonnullos legimus ab eo habitos *in Cathedra S. Petri*. Nil igitur nos moveat Le-Cointii [7], Pearsonii [8], et Mazochii [9] auctoritas, qui Polemii, vel Polemei Silvii laterculo ad an. CDXLVIII. spectante permoti, ubi indicatur VIII. *Kal. Mart. Depo-*

1 p. 573.

2 Commentarius de tempore utriusque Episcopatus Apostoli Petri, seu historia Episcopatus Antiocheni, et Romani refutata lib. II. Genevae 1624. 8, et Francof. 1940. 8.

3 de Primatu Rom. Pontific. Lond. 1770. lat. et gall.

4 in Tract. hist. Chron. de Patriarchis Antiochenis

5 disp. III. de Cathedra Antiochena.

6 de Doctrina Tempor. p. 168. et apud Ruinart. in Act. MM. pag. 541. et apud Fr. Blanchin. T. II. Anast. in Prolegom. p. 9. V. Observationes in Prosperi Aquitani Chronicon, ejusque, et Anonymi Cyclum a Muratorio editum, in Anonymi Laterculum Paschalem a Bucherio edit. Amst. 1733. 4.

7 T. II. Annal. Franc. p. 73.

8 ad an. 258. Annal. Cyprian.

9 Comm. in Marm. Neapol. Kal. p. 891.

sitio S. Petri, et Pauli, Silvii tempestate, *Cathedrae* festum nondum invectum, sed VIII. *Kal. Martias*, memoriam passionis SS. Petri, et Paulli dumtaxat esse celebratam contendunt, de qua consulendus Cathulphus [9] in epistola ad Karolum M. Siquidem, ut pluribus egregie demonstravit Stephanus Borgia [10], significari potuit Silvii verbis, *Depositio S. Petri de Cathedra, et Paulli commemoratio*, quum nullo unquam tempore utriusque Apostoli cultus fuerit dissociatus; eo magis, quod in vetustissimo apographo Martyrologii Hieronymiani apud Janningum [11] memoretur XV. *Kal. Febr. Depositio Cathedrae Petri Romae*, utpote in Martyrologio Hieronymiano Epternacensi apud Georgium [12], habetur XV. *Kal. Februarii Depositio Sanctae Mariae, et Cathedrae Petri in Roma*; quibus etsi alterum *Cathedrae Romanae* festum, de quo mox agemus, innuatur, tamen aperte ostenditur, *depositionis* voce, translationem potius, quam diem mortis anniversarium, interdum indigitari; ac propterea in Silvii laterculo, VIII. Kal. Martias, non Apostolorum Martyrium, quod III. Kal. Julias Scriptores omnes agnoscunt, sed *Cathedrae Antiochenae* festum indicari [13]. Ejus enim mentio fit in Sacramentariis Gregoriano, Gellonensi, et Regio, in Codice S. Theodorici, ubi notatur festum *venerabilis Cathedrae S. Petri*, et in Martyrologio Adonis [14].

Eadem die in Basilicam *Cathedra* e *Sacrario* deferebatur ante Altare *Subseliarii*, ubi publice Fidelium veneratio-

1 T. II. Hist. Francor. p. 667.
2 de Vaticana Confessione B. Petri p. CXII.
3 T. V. Junii p. 474.
4 ad diem 18. Januar. pag. 50.
5 V. T. IV. Spicil. Dacherii p. 629. et T. XIII. p. 395. T. III. Anecdot. Martene p. 1553. 1565. 1574. 1595. 1607.
6 V. Chimentellium de honore bisellii c. XIX. et Pitiscum in *Cathedra*.

ni exponi consueverat. Hujus autem Festi celebritas, in quo, ut monet Mallius [1], *Lectorium B. Petri ornabatur*, Romae instituta fuit, ad abolendam Gentilium superstitionem, epulas, et vina hac die deferendi ad tumulos mortuorum, quos, *quasi animae de Corporibus egressae*, ut ait auctor Serm. xv, olim inter Augustinianos relati [2], *carnales cibos requirerent*, iis vesci, stolide putabant.

Audi, quid in hanc rem scriptum reliquit Guliemus Durandus [3]. *Consuetudo facta fuit a gentibus, quod singulis annis, mense Februario, die certo, epulas offerebant super tumulos suorum mortuorum, quorum animas credebant circa tumulos conversari, et ideo refici, sed eas Daemones de nocte sumebant; et propter hanc consuetudinem exstirpandam Ecclesia instituit, ut eo die, quo talia fiebant, celebretur Festum* de Cathedratione *S. Petri*. Quae quidem a Joh. Beleto fusius exponuntur in *Rationali divinorum Officiorum* [4], cujus verba refert etiam Jac. de Voragine, quae talia sunt. *Ab epulis Festum hoc est appellatum* B. Petri epularum. *Fuit enim consuetudo veterum Ethnicorum, ut singulis annis, mense Februario, certo quopiam die epulas ad Parentum suorum tumulos apponerent, quas nocte Daemones consumebant, quum inde non minus falso, quam ridicule animae refici credebantur. Putabant enim hujusmodi epulas ab animabus circa tumulos errantibus absumi. Haec autem consuetudo, atque hujusmodi falsae opinionis error a Christianis vix exstirpari potuit. Quod quidem quum Viri Sancti animadvertissent, ac penitus illam consuetudinem extinguere voluissent, instituerunt* Festum de Cathedra S. Petri, *tam de illa, quae fuit Romae, quam quae Antiochiae, idque illo eodem die,*

1 T. II. Mus. It. in App. Ord. XI. p. 159.
2 Serm. I. et xv. de SS. in append. de divers. Serm. LXXIV.
3 de div. Offic. V. Torrigio Grotte Vat. pag. 572.
4 c. LXXXIII. p. 191. edit. Venet. 1561.

quo abominanda illa ab Ethnicis fiebant, ut sollemni hoc festo, pravae illius consuetudinis festum omnino exstingueretur.

Nihilominus hujusmodi superstitionem [1] diu apud Christianos perseverasse, ipsumque *B. Petri* nomen cum ea temere commixtum fuisse constat, ut praeter Belethum tradit Gavantus, qui hoc festum notat sub hoc titulo [2]. *Sollemnitas, et Festum epularum B. Petri*. Haec eadem Festivitas, alio nomine, *Cara Cognatio* nuncupabatur; cujus quidem appellationis rationem explicat Ptolemaeus Silvius in Laterculo. [3] VII. *Kal. Mart. Depositio S. Petri, et Paulli*. Cara Cognatio; *ita dicta, quia tunc, etsi fuerint vivorum Parentum odia, tempore obitus deponuntur*. Propterea Patres Conc. Turonensis II, ut pravam hanc consuetudinem depellerent, ita sapientissime providerunt Can. XXII. *Sunt, qui in festivitate* Cathedrae *Domni Petri Apostoli cibos mortuis offerunt; redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores, et post Corpus Domini, sacratas Daemoni accipiunt escas, Contestamur illam sollicitudinem tam Pastores, quam Presbyteros gerere, ut quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare, quae ad Ecclesiae rationem non pertinent, eos ab Ecclesia sancta auctoritate repellant.* Hanc superstitionem usque in Africam manasse docent Tertullianus [4], Augustinus [5], aliique [6]; ac praesertim Hiero-

1 Wolphangus. Gaspar Troppsneger. de Epulis Vet. Chr. sepulcralibus. Witt. 1710. Sertorius Vrsatus. in Monum. Patavin. p. 122. Fesselius. lib. I. Adversar. Sacr. c. XII. Ianus Guilielmus. Verisimil. III. 8. Stuckius. Antiquitat. Convival. lib. 25. Gabriel Marquartus. de Epulo ferali Vet. Lipsiae 1693, et 1710. 4. Mich. Christ. Hannovius. de Epulis feralibus. Gedani 1728. Carmeli dell' uso di far Conviti sopra i sepolcri. p. 189.

2 T. II. §. VII. c. III. p. 202.

3 V. Steph. Borgia de Vat. Confessione B. Petri p. 107.

4 de Resur. carnis et de Test. animae cap. IV.

5 de morib. Eccl. adv. Manich. c. XXXIII. Serm. 120. de diver. et in epist. LXIV. ad Aurelium, et ad Psalm. XLVIII.

6 Petrus Damiani. lib. I. epist. 20.

nymus Macer in *Hierolexico*, haec ait [1]. *Festum epularum, Festum Cathedrae S. Petri, in quo die Christiani, praecipue in Africa, epulari solebant, de quibus D. Augustinus lib.* vI. *Confess. c.* 11. *quum, inquit, ad memorias SS. sicut in Africa solet, pultes, et panem, et merum attulisset. Mos est gentilium superstitione introductus, qui in eodem prorsus die, super mortuorum sepulcra, cibos collocare solebant.*

Quae tamen insania, temporis decursu, sensim evanuit, eamque in Italia praesertim defecisse scimus, priusquam S. Monica ad ejus oras appelleret. Deinde enim *Cathedrae Antiochenae* sollemnitas omni relligione celebrata est, et *Cathedra* eodem die e *Sacrario* ante Aram *Subselliarii*, Canonicorum humeris, ob reverentiam deportata, uti liquet e Nicolai III. diplomate [2], ubi assignantur, *denarii, qui dantur Canonicis portantibus ad Altare, et reportantibus Cathedram S. Petri.* Praeterea Canonicis mediam oblationum partem deberi tradidit Grimaldus, ubi retulit [3]. *Ex antiquo Instrumento in pergameno quorundam capitum libelli antiquissimi a dicto P. Mallio compilati, super antiquitatibus, et consuetudinibus d. Bas. ut in memorato Archivo capsula* 2. *fasciculo* 252. *videre licet, dum agit de Oblationibus, haec inquit. Oblatio, quae offertur in Cathedra, ex quo extrahitur, usque dum reponatur, medietas est Canonicorum, altera Ministeriorum. Quae autem infra tempus ibi ponuntur, Canonicorum sunt. Similiter fit de Oblationibus Sudarii, quando extrahitur, usque dum reponatur,*

Baronius. ad Martyrol. 3. et 13. Bollandistae. die xvIII. Ian. Balutius. ad Capit. Reg. Franc. lib. vI. cap. 194. p. 472. Turnebus. lib. xxIII. Advers. cap. Iv. Rosweidus. ad Paulini Epistol. xvI. Livinejus. ad Panegyr. p. 332.

1 p. 271.

2 T. II. Bull. Vatic. pag. 183. et apud Turrigium Sacri Trofei Romani c. xxI. della Cattedra, dove sedeva S. Pietro in Roma. pag. 124. e nelle Grotte Vat. pag. 567.

3 fol. 56.

et infra . Scalae autem , et tabulatum ante' Sudarium , et omnia , quae spectant ad apparatum ejus , de oblationibus , quae ibi offeruntur , fieri debent , praeter luminaria Lampadarum . Idemque Mallius memorat ' *Candelas sex , quae ponuntur in Choro , de oblationibus Cathedrae .*

Sollemnem vero *Cathedrae* translationem , praeter Turrigium [2] , et Volaterranum [3] , aperte indicat Antonius Petri , qui in suo *Diario* ad annum MCDXII. die XXI. Februarii , haec memoriae consignavit [4] . *Cathedra S. Petri fuit posita ante cancellos in Choro majori per totam Missam , quam celebravit D. Card. Petrus Fernandus Friaz , a Clemente* VIII. *Pseudo Pontifice creatus . Item post Missam fuit posita in suo loco prope Crucifixum , ut moris est .* Quis autem hujusmodi ritum improbaverit , qui una cum Ioh. Scheffero [5] , Gisberto Cupero [6] , Ducangio [7] , Meursio [8] , et Ioh. Taffino [9] , vel ipsas Deorum imagines sollemni pompa circumgestatas , aut in thensis circumductas fuisse sciat ?

Insequenti vero aetate , in more positum fuit , ut non solum ante aram *Subseliarii* deferretur , sed ut ex eo loco , a Vaticano Clero , faces accensas praeferente , ad Aram principem Basilicae sollemni pompa deduceretur . Qua de caussa factum est , ut in Canonicorum locum , seni Capellani sufficerentur , qui eam suis humeris , illuc deferrent , ubi , ut refert Sindonius [10], in contignatione ibi de industria constituta collocabatur , ac frequentissimo populi concursu per integram diem colebatur .

1 V. Torrigio Grotte Vat. p. 566.
2 p. 151.
3 T. XXIII. rer. Ital. Murat.
4 apud eumdem T. XXIV. p. 1023.
5 de re vehiculari .
6 in Harpocrate p. 130. 165.
7 in Glossario Graeco .
8 in Graecia feriata p. 4.
9 de anno Seculari . Tornaci Nervior. 1641. 4. et in Tom. VIII. Thes. Graev. p. 549. 551. 553.
10 pag. 42.

Dignum autem notatu est, quod discimus ex Anonymo, Valerii Dorici typis excuso, qui ait [1]. *In festo, quod dicitur* Cathedra Petri, *ponitur foras ad Chorum cum sollemnitate, ubi homines per suam devotionem eamdem attingere possunt*. Quod certatim praestare studebant cingulis holosericis versicoloribus, quae *Cathedrae* reverenter admota, in domos suas osculando secum ferebant, et tamquam rem veneratione dignam relligiose custodiebant, ut docet Grimaldus, hujusmodi verbis [2]. *Praeter eximiam devotionem universorum Christifidelium erga tam excelsam ligneae Cathedrae, in qua BB. Petrus Romae Pontificatum gessit, reverentiam, non sunt reticenda cingula, quae in utriusque Cathedrae festivitatibus, et per annum huic Sedi admota, et ad varias Mundi partes delata, divina operante gratia, parturientes Mulieres intercessione B. Petri mirum in modum adjuvant, periculo eximunt, ac sanitati restituunt*.

Sed praecipue memorandus est ritus vetustissimus a Romanis Pontificibus servatus, qui quotannis festo *Cathedrae* die, dum sollemni sacro interessent, in ea sedere consueverunt. Cujus quidem caeremoniae usum declarat Benedictus Canonicus, ubi ait [3], ad hunc diem. *Statio in ejus Basilica. D. Papa debet sedere in Cathedra ad Missam*. Quod item peragebatur, quum quis Pontifex renunciatus esset. Nam vel a primis Ecclesiae incunabulis usus obtinebat, qui iccirco *canam consuetudinem*, ut ait Anastasius [4], redolebat, *ut is, in quem Sacerdotes, et Clerus convenissent, in Patriarchium Lateranense duceretur, et in solio Pontificio sublimatus, quum pedum beatorum osculo*

1 Torrigio Grotte Vat. p. 575.

2 in Catal. reliq. p. 60.

3 apud Mabillonium Tom. II. Mus. Ital. in Ord. XI. p. 133.

4 T. I. in vita S. Marci pag. 1109. et Sergii T. III. §. VII. p. 42.

a Proceribus, et Populo, Pontifex acclamaretur, proximo autem die Dominico, manto Pontificali indutus, ad Ecclesiam S. Petri, cum hymnis, et canticis equitaret, ubi in Apostolica sacratissima Petri Cathedra collocatus, recitata super eum collecta, ab Episcopo Hostiensi, ex institutione S. Marci Papae, Pallio Pontificali indueretur, ac ita Vrbis, et Orbis Pontifex constitutus, Missarum sollemnia ageret. Quod ipsum, praeter testimonium Othonis Frisingensis [1], si opus esset, probari posset Joh. Pinadellii verbis, quae refert Turrigius [2] in hunc modum. *Quum antea novus Pontifex solum ad Cathedram S. Petri deduceretur, cui insidens possessionem acciperet.*

Postremo illud etiam addendum est, hunc diem nonnullis in locis ad Episcoporum ordinationem fuisse destinatum, ut ex S. Samsonis Episcopi Dolensis vita colligimus, ubi legitur. [3] *Honorifico exceperunt obsequio, eumque Abbatem nolentem, in Monasterio .... diem consuetum habentes, quando ad Episcopos ordinandos in eodem loco convenirent, id est D. Petri Apostoli Cathedra.*

§. III.

De Festo Cathedrae Romanae.

Quod supra diximus de Festo *Cathedrae Antiochenae*, idem, Turrigio teste [4], quotannis fieri consuevit xv. Kal. Febr. qua die festum *Cathedrae*, in qua Petrus Apostolus Pontificatum maximum in Vrbe auspicatus, ibique, ut ait Gregorius [5], *quiescere, et praesentem vitam finire dignatus est*, toto Terrarum Orbe celebrandum a Paullo IV.

1 de Gestis Frideric. Imper. lib. II. pag. 67. 7. et 72. 2 pag. 566.
3 in T. I. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 165. et in T. VI. Iulii Boll. p. 568. et in Bibl. Floriacensi Ioh. a Bosco. Lugd. 1605. 8. P. I. p. 464. 4 3. 151.
5 in epistol. XL. ad Eulogium Episc. Alexandr. T. II. lib. VII. pag. 888.

institutum fuit, seu verius antiquae [1] celebritati restitutum. Nam, ut constat e Lectionario Luxoviensi [2], praesertim in Galliis hac die Festum *Cathedrae B. Petri* praecedebat *Festum Assumptionis B. V.* quod die XVIII. Iannarii olim celebrari mos erat [3]. Voluit itaque Paullus, ut idem *Cathedrae Romanae*, veritatis Magistrae, ac divinorum arcanorum interpreti ubicumque haberetur honos, qui plurium seculorum intervallo habitus fuerat Festo *Cathedrae Antiochenae*.

Exinde ritus invaluit, ut ea die, Cardinalis Presbyterorum postremus, ad Altare princeps Bas. rei divinae operaretur, impetratis prius literis Apostolicis, quae super unam e Columnis aerei Fastigii Sepulcri Apostolici suspendebantur. Id enim antiquitus in more positum fuisse constat ex Petro Amelio, qui ait [4]. *Antequam Cardinalis induat, presentetur Bulla, quomodo Papa dispensat cum eo, quatenus possit celebrare super Aram S. Petri, et per totam diem pendet ante Regias* [5], *et ita in omnibus aliis Missis, quae super illud celebrabantur*. Id vero ad nostra usque tempora, *Cathedrae* festo die, servatum est. Nam SS. D. N. PIVS VI, omnium postremus fuit, qui, vi diplomatis, e Columna suspensi, dum adhuc esset Cardinalis, ibidem sacrum sollemne celebravit. Siquidem li-

1 Tom. IV. Spicileg. Dacherii p. 622. et T. XIII. p. 392. Tom. III. Anecdot. Martene p. 1551. 1564. 1564. 1573. 1594. et in Tom. III. de antiq. Eccles. Rit. pag. 568.

2 in T. I. Mus. Ital. Mabillonii p. 297.

3 ibid. p. 56. 298. 300. 301.

4 in Ord. XV. §. XVII. de Circumcisione Domini p. 455. V. p. 163.

5 *Ad haec Mabillonius* p. 456. Certe hujusmodi Bulla ibidem appendi solet etiamnunc; atque ita factum vidimus die festo S. Petri in Bas. Vatic. ubi ad unam e Columnis, quae Ciborium sustinent, haec Bulla posita est. *Rem narrat in T. I. Mus. Ital. p.* 55. Festo S. Petri Missa sollemnis in ara principe Vat. a Card. Cibo celebrata est. Diploma concessae facultatis per Pontificem, cui soli sacra facere in hoc Altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor Columnis, quae Baldachinum fulciunt.

teris datis die xx. Dec. anni primi sui Pontificatus, hujusmodi privilegium Cardinalibus Archipresbyteris Basil. perpetuo addixit [1].

Ejusdem vero Cathedrae translationis ritus ad Cellam Subseliarii, et ad aram principem Basilicae servatus est, donec e Cella Vrbani VIII, Bernini opera, aerea altera Cathedra, auro circumtecta, inclusa, et ab aeneis, auratisque Ecclesiae Doctorum, quorum duo Latini, totidemque Graeci, Statuis erecta, ac sustentata, sub augustissimi Templi majori apside ab Alexandro VII. collocata est.

De hac porro Cathedra, deque utriusque delationis ritu, ac caeremoniis multa erudite congesta sunt a Turrigio [2], et Sindonio [3]. Verum prae ceteris, ut alios omittam [4], consulendae sunt eruditissimae dissertationes Ant. M. Phoebei de *identitate Cathedrae*, et Cajetani Cennii de *Cathedra Romana*, quae Tomo IV. Anastasii, editionis Blanchinianae intexta est, ubi plura, et exquisita de utriusque Cathedrae sollemnitate proferuntur.

1 V. Cl. Steph. Borgia de Vat. B. Petri Confess. p. 49.

2 p. 562. 575. 3 p. 69. 46.

4 V. Baronium. ad an. XLV. Iacobum Naclantum. Tractatio, quando Petrus Romam accesserit, et quot annos in illa Cathedram Pontificiam tenuerit. in ejusd. Opp. Ven. 1567. f. T. I. p. 175. et Godofr. Henschenium. T. iI. Ianuarii die xviiI. Conr. Ianningum. T. iiI. Feb. d. xxiI. p. 283. Papebrochium. Dissert. de Sede S. Petri Antiochena, et Romana, et utriusque initio. in Propylaeo ad Acta SS. Maii p. 11. Fleurium. Tom. v. Iunii p. 459. Mabillonium. de Litur. Gallic. Sollerium. in notis ad Vsuardum. Florentinium. in not. ad Mart. Hieronym. Scheltratium. T. I. Ant. Eccl. pag. 611. et 673. Barpth. Piazzam. in Eph. Vat. Dom. Georgium. in notis ad Martyr. Adonis. Alex. Mazochium. in Calend. Neapol. p. 49. et seq. Caj. Merati. in Observ. ad Gavant. T. iI. Sect. viiI. c. iiI. n. xviiI. Ios. Mariam del Pezzo. Difesa de' lib. Liturg. e del Card. Tomasi cap. iI. §. viI. n. vI. Ant. Franc. Vezzotium. T. iv. edit. Thomas. p. 3. et T. vI. pag. 267. Vincent. Alexand. Constantium. cap. iiI. in Append. Opp. Card. Cortesii. Steph. Borgia. in Vatic. Confess. B. Petri p. xI., et cviiI. et seq.

§. IV.

De Martyrum Peristromate ibidem custodito.

Jamvero ad nostram Cellam redeamus. Ibidem, ut cum Ciampinio [1] auctor est Alpharanus [2], *Martyrum Culcitra, qua eorumdem SS. MM. Corpora operiebantur, quum ad hanc Basilicam, juxta Corpus B. Petri ad sepeliendum efferebantur*, honorifice servabatur, quae item *Stragulum Martyrum sanguine adspersum*, vocari consuevit. Quanta enim cura, ac relligione veteres Christiani Martyrum sanguinem, vel in spongiis colligerent, ut in ampullas studiose inferrent, vel pannis, ac linteaminibus exciperent, pererudite demonstravit Mabillonius de cultu SS. ignotorum [3].

De eodem *stragulo*, quod a nonnullis fertur ad sepelienda Zenonis [4] Tribuni militum, ac decem millium ducentorum trium MM. Corpora inserviisse, quos Martyrologium Rom. die XXIV. Junii *nobiles primitias Romanorum MM.* appellat, referunt Turrigius [5], et Aringhius [6] in quodam Archivi Bas. ms. ita legi. *In Basilica S. Petri exstat pannus, quo, tempore persecutionis, Viri pii, et timorati utebantur, ad sepeliendum SS. Martyribus* (sic) *Corpora. Reliquia insignis, et maximae devotionis*. Non multo post addunt, in veteri Kalendario ms. haec haberi. *Die* XXII. *Iunii. Decem millia Martyrum. Habemus de eorum reliquiis, et eo die multitudo Mulierum confluit ad Basilicam, flexis genibus gradus ascendentium, et faculas accensas in manu gestantium, sacrumque pro Martyribus postulantium*. Sic enim Virgines nubiles Conjugatorem, Nuptae foecunditatem, ut ait idem Turrigius, sibi pollicebantur.

1 p. 90. 2 ms. n. 169. p. 63.
3 Tridenti 1724. §. IV.
4 Io. Bapt. Sollerii de S. Zenone M. et Sociis Romae notitia in T. II. Iul. Boll. p. 687.
5 p. 124. 6 lib. II. c. IV. n. VII.

Item in vetusto Kalendario ejusdem Basilicae, die xxI. Julii, Festum S. Praxedis indicatur, hac notula adjecta [1]. *Habemus Culcitram Martyrum*. Nam a vetustissimis usque temporibus in Bas. Vat. celebrabantur *vigilia cum silentio, et jejunio* [2], festumque MCDLXXX. MM. Persarum, qui in Cosroes presecutione obierunt, ac quorum acta in Bas. Passionario, plus minus xI. Seculi, occurrunt [3]. Verum XIV. Sec. ineunte, haud amplius de MM. Persis occurrit mentio, iisque substitutus fuisse videtur cultus x. mille MM. [4].

Hoc idem stragulum supra Pontem ligneum, qui sub arcu Triumphali veteris Basilicae, ante sacram Petri Confessionem exstabat, olim, ut tradidit Alpharanus [5], publicae venerationi exponebatur, die Adscensionis. Praeterea, ut ex altero Archivi MSS. colligitur [6], *quando se tiene fora alla Chiesa la Cultra de' Martiri dall'Ascensione al primo d'Agosto, se gli mette una lampada continua notti, et giorno*. Ejusdem cultus ita meminit Paul. Aringhius [7]. *Culcitra, quae cooperiendis BB. MM. Cadaveribus, dum haec post caedem recenti adhuc sanguine resperse in Vat. Caemeterium a Fidelibus tumulanda deferrentur, inserviebat .... dignum pietatis monumentum, ac sacris Athletarum Christi exuviis nobilitatum, quorum pretiosissimi sanguinis guttas hausit, summo venerationis cultu inter ceteras reliquias servatur, et conspicienda Populo, ac veneranda proponitur, certis quibusdam sollemnioribus diebus, sed praecipue festo Domini-*

1 Notizie, Regolo, e Orazioni in onore de SS. MM. della Bas. Var. per l'esercizio divoto, solito praticarsi in tempo, che sta ivi esposta la loro sacra Coltre. Roma 1756. 8.

2 in Arch. I. A. 4. p. 52. Garampi p. 38. Antonelli Miss. Later. p. 218. Papebroch. Acta SS. T. IV. Iunii p. 188.

3 Garampi p. 30.

4 ibid. pag. 3. Rodolph. Tungrensis de Canon. Observ. Missale segn. B. 68. 70. 72.

5 c. IV. p. XXXV.

6 Garampi Opusc. cit. p. 28.

7 Rom. Subterr. lib. II. c. IV. num. VII.

cae Adscensionis die, ingenti pompa, ac musico concentu, et usque ad primam mensis Augusti diem, magna confluentium devotione invisitur, ad consequendos sacrarum Indulgentiarum Thesauros. Quotidie vero, toto hoc temporis spatio, usus invaluit, ut Concio in Bas. haberetur; ac proinde anno MCCXCIX. orta est controversia, ab Archipresbytero, et Capitulo dirempta, inter Fratres Praedicatores, Minores, et Eremitanos [1]; *Quis eorum deberet proponere Verbum Dei ad praedicandum publice in ipsa Basilica, in Festo Adscensionis D. N. I. C. post Vesperas, et sequentibus diebus, usque ad Calendas Aug. inclusive*. Cujus quidem usus vestigium adhuc exstat in Concione, quae, pio Joh. Bapt. Vives instituto [2], quotannis ibidem habetur, festa die Vinculorum S. Petri. Putandum vero est, diem J. C. in Coelos adscendenti sacram, prae ceteris selectam fuisse, ad sacrum hoc Peristroma, et insignem *Veronicae* Reliquiam [3] palam ostendendam, quod in pluribus Ecclesiis [4], eadem die, sollemnis pompa, circumgestatis SS. Reliquiis, habebatur, ut triumphalis Servatoris Nostri in Coelos ingressus, una cum Sanctorum Choris, imago quaedam exhiberetur [5].

Nunc idem sacrum Peristroma, in majori parastata, una cum *Capite B. Andreae*, pie adservatur, atque de podio, post Vesperas diei Adscensionis, adstante Clero Vaticano, Fidelium adspectibus, et venerationi sacris caeremoniis protenditur, eademque sollemnitate reponitur post

1 Garampi loc. cit. pag. 43. ex Arch. Pergam. cass. vI. fasc. 267.

2 ibid. p. 26. ex Actis Capitul. an. 1631.

3 ibid. p. 41. et apud Albertinium in lib. de Mirab. Vrbis.

4 ibid. p. 40.

5 ibid. p. 40. V. Durand. Rat. Div. Offic. lib. vI. p. 393. Ioh. de Ioh. de div. Sicul. Offic. pag. 312. 313. Rab. Maur. lib. II. c. XLVII. Martene de Ant. Eccl. Rit. Tom. Iv. p. 434. Serarium, Eveillon, et Ioh. de Bonis de Processionibus Ecclesiasticis opus Historico-Theologico-Canonicum. Mediolani 1773. 4.

Vesperas Kalendarum Augusti, ut Barpth. Plazza [1], et praestantissimus Card. Jos. M. Garampius diligenter adnotarunt [2].

§. V.

De Reliquiis majoribus ibidem reconditis.

Sub hujus Altaris mensa, asservabatur capsa ferrea, ubi repositae fuerunt *Reliquiae*, quas vocant *Majores*, *sacratissimi Sudarii*, seu *Vultus Sancti*, aut *Veronicae* [3], *sacrae*

1 in Eph. Vat. p. 356. et 456.

2 Suole esporsi questa reliquia alla publica venerazione nella festa dell'Ascensione di N. S. dopo li secondi Vesperi sulla Loggia del gran Pilastro della Cuppola, dove si conserva continovamente il Venerabile Capo di S. Andrea Apostolo, e resta esposta in d. Loggia sino al primo giorno di Agosto, festa dei Vincoli di S. Pietro, in cui, dopo i secondi Vesperi, viene indi rimossa, e riposta nel suo luogo. Alla funzione sud. si aggiunge anche un sermone, sopra la divina Providenza, e ciò per pia intenzione di Mons. Gio. Batt. Vives, che volle, si facesse presso la Confessione di S. Pietro. Il Rmo Capitolo Vaticano aderì a' suoi pii desiderj alli 23. di Giugno dell'anno 1651, e fissò perpetuamente il giorno della festa de' Vincoli di S. Pietro, in cui dovesse farsi detto Sermone Mons. Ludovico Bianchetti, Maestro di Camera di PP. Gregorio XIII e Canonico di d. Basilica, per la venerazione, che portava a questa sagra Coltre, fecela ricoprire tutta con un ricco tappeto di velluto rosso, fregiato in mezzo con una Croce d'oro. L'anno del Giubileo 1775. nel mese di Maggio, fu di nuovo ricoperta tutta di lama d'oro, contornata di raso bianco, e gallone parimente d'oro, sopra del quale sono ricamate riccamente in oro varie corone, palme, e monogrammi, essendo Custodi delle sacre reliquie i Sig. Canonici Mons. Guido de' Bagni, e Valenti. Nell'occasione, che fu disfatta, ne fu posta una porzione in un Reliquiario, autenticata dalli medesimi, per poterla con più comodo mostrare al Popolo, la seconda Festa di Pasqua di Risurrezione. La d. Coltre ora si conserva nell'istessa Loggia, da cui si espone, dentro di una Cassa con triplici serrature, fatta a tale effetto. Nel piede del reliquiario fatto di nuovo si legge

EX CVLCITRA SANCTORVM MARTYRVM

In Catal. reliq.

3 Consule, si lubet, M. Ant. Dominicy de Sudario Capitis Christi, asservato in Ecclesia Carducensi. Cardu. 1640. 4. Chifflet. de Linteis Sepulcralibus Christi Salvat. Antuer. 1624 4 Baillet hist. des Fêtes Mobiles art. 12. des Instruments de la Pass. Bollandum. T. I. Febr. die IV. Papebrochium. in respons. ad Exhibit. Error. Mabillonium. in Mus. Ital. T. I. p. 87.

Lanceae [1], *et Capitis S. Andreae*, in minoris navis Basilicae veteris dejectione, e suis Altaribus, et loculis eversis remotae. Earum translationis testem habeo locupletissi-

Honoratum a S. Maria. Paris. 1716. 4, et in T. II. Anim. in Reg. et Va. Crit. Ioh. Franc. Dunod de Charnage Diss. sur le S. Suaire de Besancon. dans l' Hist. de l' Eglise de Besancon 1750. T. II. 4. Herbelot Histoire de la S. Face, conservée dans l'Abbaye de Monstrevil. Reims 1628. Laon 1660. et 1723. Ioh. Harduinum Explic. d' une Inscription, qui est au bas d' un tableau de N. S. qu'on appelle la Veronique, ou la S. Face. dans le Iourn. des Scavans Mart. 1707. p. 518. et in Harduini Op. Select. p. 917. Amst. 1709. fol. Gretserum T. I. Op. pag. 101. August. Calcagnini dell'Imagine Edessena, o sia del S. Sudario, che N. S. G. C. mandò al Re Abagaro.... con un distinto ragguaglio di tutti i sacri Sudarj, Volti S. e Sindoni, che sono in venerazione nella Cristianità. Genova 1639. 4. Ioh. Reiskium de imaginibus Iesu Chr. quotquot vulgo circumferuntur. Ienae 1671. 1685. 4. Sandinium in Histor. de Christo Domino cap. xix. Philippum M. Dionysium. in Boll. Vat. Cryptar. Mon. p. 38. Ern. Salom. Cyprianum. in diss. de Sudariis Christi. Ien. 1704. et Lips. 1726. 4. Gallum scriptorem Anonymum. dissert. phisico-theologiques.... sur un Tableau, de I. C. qu'on appelle la Sainte Face. Amst. 1742. Torrigio Grotte Vat. p. 81. Martinetti Pregi della Basil. Vat. p. 23. aliosque. V. p. 855.

1 Vide sis, Innocentii VI. Bullam a Gretsero, Seelen, Nicolao Stapborst, T. II. Hist. Eccl. Hamburgi pag. 616. et Christiano Lunigio. in Contin. I. Spicilegii Eccles. pag. 78. editam. Gretserum. T. I. pag. 101. in Syntagmate de SS. reliquiis, et regalibus monumentis, praesertim quadruplici lancea Dominica, Mauritiana, Constantiniana, et Carolina. Lambertinium. de Beat. et Canon. l. iv. P. II. c. xxxI. n. xIII. Bull. Vat. T. p. 346. Tom. II. p. 4. 6. 16. 18. 374. Tom. III. p. 236. 266. 282. 291. in Append. pag. 15. Richard. Gibbonum. in Alph. Palaeotti Hist. admiranda.... et lucubratione de instrumentis dominicae Passionis. Duaci 1616. 4. Francisc. Quaresmium. de V. vulneribus Iesu Christi. Ext. in Thes. Theol. Philol. Amstel. 1702. T. II. pag. 394. Gisbertum Voetium. de perfosso latere Christi. in ejus disputat. Theolog. select. Part. II. p. 195. Vltrajecti 1655. 4. Gasp. Sagittariom de Lancea, qua perfossum Christi latus. Ienae 1673, et in Thes. Theol. Philol. T. II. pag. 381. Abr. Calovium de fluxu sanguinis, et aquae Christi Laterali. Vit. 1679. Ioh. Andr. Quenstetdtium de Aqua ex Chr. latere profluente. Vit. 1687. et in Men.h. T. II. p. 388. Ioh. Christianum Ritterum de eodem argumento. in Tom. II. Thes. Theol. Phil. p. 388. Ioh. Henr. a Seelen. Commentation. de festo lanceae, et clavorum, quibus Corpus Christi fuit perfossum, in Ducatu Bremensi diu celebrato. Ext. in ejus Miscell. Lubecae 1734. 8. Part. I. pag. 359. Thomam Bartholinum. de latere Christi aperto. Lugd. Batav. 1646. 12. Enochium Svvantenium. de lancea militari, qua Christi latus perfossum. Rostochii 1686. Ioh. Davidem Koelerum. de Imperiali sacra lancea. Altorfii 1731. 4. Chronicon Paschale. de Lancea, et Spongia repertis sub Heraclio Imperatore pag. 385. et Besense. de Lancea reperta Antiochiae ad an. 1098. T. v. Script. Ital. Muratorii pag. 135.

mum Iac. Grimaldum, qui ait [1]. *Hasce insignes reliquias* VIII. *Kal. Februarii* MDCVI. *translatas in Basilicae Sacrarium, in postremo Archivi cubiculo* (quod, uti monuimus [2], situm erat, supra hanc Cellam) *Evangelista Cardinalis Pallottus Basilicae Archipresbyter, suis manibus, intra ferream capsam aureis pannis intus ornatam posuit, et tribus clavibus bene munivit; quarum unam, quae media est, manubrio ex auricalcho ornatam, in crumena ex brocato albo, et rubro positam, idem Cardinalis tradidit Fabio Blondo Patriarchae Hierosolymitano, Pontificiae familiae Praefecto, ut sanctissimis manibus Pontificis traderet. Nam vetustissima viget usque hodie consuetudo, ut Summus Pontifex Sudarii, ac Lanceae penes se jugiter clavem unam habeat, reliquas Canonici Basilicae, et nullus alius .... Ante Archivi loci fenestram tres assidue ardebant lampades argenteae.*

Eodem vero anno, die XXI. Martii, tunc recurrente feria tertia magnae hebdomadae, inde amota haec sacratiora Relligionis monumenta, et in editiorem locum majoris parastatae, sollemni pompa translata sunt, e regione alterius ad Septentrionem, ubi, ut notat idem Grimaldus, anno MDCXII. die XXIX. Novembris *S. Andreae Apostoli Caput* in conditorio collocatum fuit. Sed ejus vice Vrbanus VIII. Sanctiss. *Crucis* reliquias ex *S. Anastasiae*, et S. *Crucis in Hierusalem* desumptas adjecit anno MDCXXIX. [3], populo ostendendas post *sacram cuspidem*, et ante *Salvatoris* imaginem, Sudario exceptam. Ibi adhuc exstant eodem clausa loculo, ad quem nemini patet accessus, exceptis Bas. Vat. Canonicis, qui eas feria IV. majoris hebdomadae in *Coena Domini*, *Parasceve*, *Sab-*

1 in lib. Instr. p. 82. et apud Sindonium pag. 79.

2 pag. 1253.

3 Torrigio Grotte Vat. p. 217. 280. 421. V. pag. 657.

bato S. Dominica, *et Feria* II. *Paschatis*, *Adscensione Domini*, *Dominica* I. post Octavam Epiphaniae, et die III. Maii in *Inventione S. Crucis*, pulsantibus Campanulis [1], ex Odeo populo ostendunt. De quo ritu, qui est in Ecclesiae more positus, institutoque Majorum, consule, si lubet, Petrum Morettum [2].

. §. VI.

Cur hoc Altare S. Annae dicatum fuerit ?

Quum ann. MDCVI. XIII. Kal. Nov. in veteri Bas. dejectum fuisset Altare, *Antonio Seniori* erectum a Can. Nicolao de Astallis, deinde a Can. Matthia de Paparonibus, Alpharano teste [3], dotatum, et *S. Annae* dicatum, situm inter Portas Argenteam, et Romanam, ubi Schola Stratorum, sive *Societas Paraframariorum S. R. E. Cardinalium*, ut tradit Grimaldus [4], *sua officia jugiter exolvebat* [5], Paullus V. hoc Altare, quod *Cathedrae S. Petri* sacrum primitus fuerat, in *Annae* honorem dicari jussit. Ibidem collocata fuit imago *S. Annae* a Michaele Angelo Caravaggio depicta [6],

1 ibid. pag. 383. Nic. V. fece fondere le tre Campane, che suonano in *S. Pietro*, quando si mostra il Volto S. et in esse vi è l'arme sue, et intorno queste parole. *Nicolaus Papa V. fecit anno Iubilei* 1450. *Crescentius de Perusio me fecit.*

2 Statuti della V. Archiconfraternita di S. Anna de' Parafrenieri della Santità di N. S. e de' Signori Cardinali, Ambasciatori e Principi. come pure de' Servitori de' Signori Prelati, e Cavalieri Romani. Roma 1751. 4. p. 13.

3 ms. n. 34. p. 24. Infra la Porta Argentea, et Porta Romana vi è un altro Altare antichissimo, de più nome intitolato, prima chiamato di S. Antonio Ab., poi del Spirito S., adesso se chiama l'Altare de S. Anna, dove officia la Compagnia de' Parafrenieri degli Rmi Cardinali, et alla parte del Evangelio in marmore è insculpto questo titulo *Hoc opus et Altare erigi, ac consecrari fecit Venerabilis Vir Dnus Nicolaus de Astallis Canonicus hujus Basilicae sub vocabulo S. Antonii Heremitae Confessoris, per manus Ven. Patris Dni Raymundi Epi Reatin. ac Dni PP. in Vrbe Vicarii, concessa indulgentia unius anni per ann. Dni M. CCC. XLIIII. mensis Martii die XXIII.*

4 in lib. Instr. p. 11.

5 de ritu Ostensionis Sacrar. reliquiar.

6 *Grimaldus pag.* 147, *et apud Sindonium de Alt. in S. Annae honorem di-*

cujus vice postremis temporibus alia visebatur, *Veronicam* repraesentans, lineum nempe velum, in quo Christus imaginem sui vultus impressit, quem ante passionem extersit, sine pennicillo expressa, uti supposita docebat inscriptio. *Per Vgo de' Carpi intajatore fata senza penelo*. De hac imagine exstat facetum Bonarotae, Vasario iconem risu indigitanti, responsum [1]. *Sarebbe meglio, che avesse adoperato il pennello, e che l' avesse fatta di miglior maniera*. Haud absimile videtur, quod legitur in Catalogo Codicum MSS. Bibliothecae Paullinae [2]. *Finivi librum totum sine manibus istum*.

Denique hoc Altare Benedictus XIV, dum esset Theodosiae Archiepiscopus, et Bas. Canonicus an. MDCCXXVI. XII. Kal. Januarii, sollemni ritu consecravit, ibidemque SS. MM. Constantii, et Justi exsuvias reposuit, cum hac inscriptione

Prosper de Lambertinis Archiep. Theodosiae hujus
Bas. Canonicus consecravit hoc Altare die XXI. *Decem.*
MDCCXXVI.

cato p. 78. Nota, quod Parafraenarii non potuerunt Sacellum in novo Templo obtinere, licet Iconem S. Annae, manu Mich. Ang. de Caravaggio eximii pictoris in pegmate, sive spatio Arae, cui unus tholus ad Septentriones superjacet, in qua S. Ioh. Chrysostomi Corpus condendum est, ipsorum impensa posuissent.

1 T. II. Vit. Vasari p. 422. edit. Palear.

2 Lipsiae 1686. 12. p. 441.



CAPVT VIII.

De Cella SS. Andreae, et Iacobi Majoris.

Haec Cella aliam excipiebat multo nobiliorem, quae in Orientem vergebat num.170, quam perperam Sindonius [1], et Bull. Vat. editores [2], *SS. Andreae, et Iacobo Minori* dicatam fuisse tradunt, quum Alpharanus [3], cui Ciampinius [4] adhaesit, *SS. Andreae, et Iacobo Majori* sacram fuisse, diserte scripserit. Ac profecto probabilius videtur, *Andreae* Apost. qui *vocatione primus* fuit, Jacobum cognomento *Majorem*, Fratrem Johannis Theologi, quem Christus pluris, quam minorem, fecit, fuisse conjunctum.

Si quis autem, hoc eodem loco exstitisse Altare a *Symmacho B. Andreae*, dum Templum rotundum construxit, primitus consecratum putaret, is, meo judicio, non erit reprehendendus. Verisimile enim est, *Callixtum* III, qui hoc Altare non minus ei, quam *Iacobo Majori* dedicavit, pristinam S. *Andreae* memoriam, quae sub *Nicolao* V. [5] decessore suo adhuc vigebat, aliqua ex parte conservare voluisse.

§. I.

De Callixti III. *sepulcro.*

Quum non modo idem *Callixtus*, Cellam Altari marmoreo magnificentissime exornaverit, cum marmoreis utriusque Apostoli simulacris, sed etiam marmoreum ibidem sibi sepulcrum constituerit, iccirco Paullus de Angelis, quem Janningus [6] sequitur, *Sacellum, et sepulcrum Cal-*

1 p. 80. 2 V. pag.1211. 4 p. 90. 5 V. p. 1211.
3 ms. p. 170. p. 64. 6 157. n. 392.

lixti III, *et Alexandri* VI, *et quorumdam Cardinalium, multorumque Nobilium*, generatim vocavit, nulla SS. Apostolorum mentione injecta.

Quantae vero pulcritudinis esset hoc *Callixti* sepulcrum, conjicere licet ex ornamentis anaglypticis, et simulacris, quae illud vestiebant, quaeque etiamnum in cryptis Vaticanis supersunt, a Turrigio [1], et a Dionysio [2] descripta. Verum in primis ex iis eminuit imago marmorea, quae vulgo *Pietatis* appellabatur, Christumque repraesentabat, protensis, vulneratisque manibus, quae in Cryptis Vaticanis, ut docent Turrigius [3], et Sindonius [4], hodieque servatur, cum hac inscriptione. *Imago haec marmorea Christi pietatem excitantis erat ad sepulchrum Callixti* III. *hic Vrbano PP.* VIII. *anno* 1631. *affixa*.

Panvinius, et Ciacconius intra marmoreum hoc sepulcrum, Pontificem conditum fuisse existimarunt. Primus enim scribit [5], *sepultus marmoreo Mausoleo, in* Sacrario *Basilicae S. Petri, sine epitaphio*. Alter vero post vitam a Stella conscriptam, de qua vide Papebrochium [6], sic ait [7]. *Corpus Nepotes ejus in Vaticano, ad sinistram Basilicae B. Petri, marmoreo tumulo sepelierunt in Templo rotundo, quod* S. M. in febribus *dicitur, et hodie pro* Sacrario, *quod Sacristiam vocant, in usu est, et olim Apollinis Templum fuisse putatur, Nicolai* V. *impensa restitutum*. Ceterum Ciampinius [8], et Oldoinius [9], Cenotaphium fuisse tradiderunt, et Callixtum *humatum in tumulo quodam, instar aulae, concamerato, in penetralibus hujus Sacelli*. Quod uterque ab Alpharano accepit, qui ita scriptum reli-

1 p. 99. 101. 344. et 479.
2 Tab. XXVI. p. 60. XXVIII. p. 69. et XXIX. pag. 73.
3 p. 102. 4 p. 150.
5 T. II. ms. p. 126.
6 in Con. Cron. hist. pag. 127.
7 T. II. col. 983. 8 p. 91.
9 T. II. in addit. col. 986.

quit [1]. *Iuxta hoc Sacellum sequitur aliud Sacellum longe nobilissimum, quod Orientem respicit, SS. Andreae, et Iac. Majori Apostolis dicatum, a Callixto* III. *exornatum, in quo idem Pontifex Altare marmoreum, marmoreisque Apostolorum imaginibus exornatum erexit, eximiumque, et marmoreum sepulchrum sibi extruxit; in cujus denique Sacelli penetralibus, instar aulae, tumba ex humanis decedens, conditus fuit cum hac inscriptione in marmorea tabula Callixtus* III. *P. M.*

§. II.

Num Alexander VI. *in eodem loco sepultus fuerit?*

Restat nunc, ut de alterius Pontificis sepultura disseramus. Nam *in hanc eamdem tumbam*, ut cum Alpharano [2] pergam, *nostris quidem temporibus, Corpus Alexandri* VI. *Papae, et Henrici Borgiae Ducis Candiae Filii Diac. S. R. E. Card. ex priori loco, ubi antea tumulata jacuerant, translata fuerunt; quin etiam juxta praefatum Callixtum, tres etiam Cardinales Hispanos, videlicet Franciscum Illoris Valentinum, Diac. Card. Tit. S. Mariae Novae, et Ioh. Borgia Presb. Card. S. Susannae, nec non Ioh. Lopez Presbyterum Card. Tit. S. Mariae Transtyberim, juxta suum dilectissimum Dominum sepultos fuisse, nostri seniores tradiderunt.*

Panvinius [3], et Grimaldus [4] sepulcralem *Henrici* Car-

1 ms. n. 170. p. 64.

2 ms. n. 170. p. 64. La Cappella coll' Altare di Papa Callisto III. Ispano di Casa Borgia fu dedicata a S. Andrea, et S. Iacomo Mag. come se vede per le Statue di essi Apostoli. Papa Calisto fu sepolto nel mezo di questa Cappella sotto la sepoltura, in una Cameretta; et in quel medesimo luogo fu trasportato PP. Alessandro VI. et un altro Cardinale Henrico Borgia, et accanto a Calisto sono stati sepolti tre altri Cardinali, cioè Francesco Illoris, Valentino, et Gio. Borgia suo Nipote, et Ioes Lopes Cardinalis. Il titolo

CALLISTVS III. PONT. MAX.

3 T. III. ms. p. 80.

4 in lib. Instr. p. 183.

dinalis inscriptionem, Ciacconio incompertam, servarunt, quam nos loco suo proferemus. Reliquas aliorum trium Cardinalium, qui eodem tumulo sepulti sunt, nobis aetas invidit.

Heic autem animadvertendum est, *Alexandrum* VI, in eodem *Callixti* Sepulcro, ab initio minime conditum fuisse, ut minus recte nonnulli, ac praecipue Oldoinius [1] existimarunt. Exstat enim etiamnum Sepulcralis Statua jacens ejusdem *Alexandri*, opere anaglyptico exsculpta, in extrema veterum Cryptarum parte, uti videre licet apud Dionysium [2], qui eam illustrat, quae praeter allatam Alpharani auctoritatem satis nos docet, *Alexandri* VI. sepulcrum, aliud a Callixti III. sepulcro primitus fuisse. His accedit, quod Panvinius in ejusdem vita hoc monumentum *vile* appellat; atque alio loco [3] tradit, *sepultum lateritio monumento in* Sacrario *S. Petri*, *quod paullo ante dirutum est*, *Corpusque ibidem sub terra conditum*. Quod certe non faceret, si in tumba, prope nobile, ac magnificum *Callixti* III. Cenotaphium, primo conditus *Alexander* fuisset. Sed ut omnem, si quae forte superesset, ambiguitatem removeret, alibi ita loquitur [4]. *Templum antiquum S. M. de Febre .... habet Altaria tria. Ibi sepulti sunt Callixtus* III. *marmoreo sepulchro*, *Alexander* VI. *in terra*. Quae quidem Ciacconius [5] confirmat, ejusdem *Corpus in Sacrario Bas. Vat. lateritio*, *et vili monumento sepultum fuisse* narrans. Verum, etsi haec omnia deessent testimonia, rei fidem faceret Inscriptio a Grimaldo allata, ac mox evulganda.

Caussa vero errandi fuit, quod hoc sepulcrum insta-

1 in T. III. Ciacc. col. 162.
2 Tab. XLVII.
3 T. II. ms. p. 127.
4 T. III. ms. p. 27.
5 T. III. col. 151.

bili, incertaque sede, non solum in *Sacrario*, sed etiam in Basilica vagatum est. Nam primum *Alexandri* Corpus, ut post Alpharanum [1], et Grimaldum [2], Ciampinius [3] testatur, juxta parietes *Altaris SS. Cosmae, et Damiani*, quod infra describimus, in tumulo lateritio depositum fuit. Deinde, quum Cellam occuparet, in *Callixti* Patrui sepulcrum illatum est, quod deinde in *Obelisci* translatione, propter machinas disjectum fuit, ut docet inscriptio in tegmine capsae plumbeae incisa, a Grimaldo [4] relata. Id etiam confirmavit Hieronymus Ferrutius [5], qui *frangendum* fuisse tradidit *parietem* Sacrarii, *ut Obeliscus a sua priori sede, ubi abditus quodàmmodo erat, ac semisepultus in latenti, et angusto loco, in forum Principis Apostolorum* transferretur, *ex eoque sepulchrum Callixti* III. *P. quod in ea Sacrarii parte intrinsecus exstabat, tollendum, atque in Ecclesia reponendum*. Itaque intra Basilicam, utriusque Pontificis ossa collocata sunt, nimirum in exteriori muro, quem Paullus III. exstruxit, e regione Cellae, ubi *Sacramentum* Augustum hodie adservatur, in navi ad Aquilonem, quae media est majorem inter, et ultimam.

Habemus autem ex Alpharano hujusce in Basilicam e *Sacrario* translationis testimonium, quum ita scripserit [6]. *A parte Evangelii, inter columnas majoris navis Basilicae, ubi aliquando jacuit Cadaver Paulli* III. *anno Domini* 1586, *e Templo* S. Mariae de febribus, *fuere translata Cadavera Callixti* III, *et Alexandri* VI, *quum fuit transvectus Obeliscus ex illo loco ad Plateam, jussu Xysti* V. *et*

1 ms. p. 64.

2 in lib. Instr. p. 138. et apud Dionysium p. 120.

3 pag. 91.

4 in lib. Instr. p. 138.

5 in Supplem. ad Marlianum, et apud Ioh. Henric. a Pflaumern in Mercurio Hospiti fido p. 350.

6 apud Sindon. p. 80. et in ms. n. 90. pag. 36.

propterea fuit demolitum Sacellum Callixti III, *et eorum sepulcra, quae ibi impedimento erant ad depositionem Obelisci*. Quae non solum hujusmodi translationem aperte produnt, sed etiam, quae supra [1] diximus, *de Obelisci* collocatione, qui ab hujus Cellae tergo exstabat, egregie confirmant.

Sed in veteris Basilicae demolitione, anno MDCV, die XIX. Octobris, amborum Pontificum Cadavera prope Cellam Xysti IV. in Subseliarii usum exstructam delata sunt, ut ex Turrigio habemus, qui tradidit, in sepulcrali monumento *Alexandri* VI, hanc inscriptionem fuisse insculptam. *Alexandri Papae* VI. *effigies marmorea*. Ac deinde subdit [2]. *Ejusdem Alexandri Corpus repertum fuit una cum altero Callixti* III. *in singulis eorum sepulcris die* XXIX. *Octobris anno* MDCV. *ac prope Chorum translatum fuit .... amborum sepulcra, juxta Altare imaginis B. M. de Succursu, quae nunc est in Sacello Gregoriano, retro organum visebantur*. Quae quidem sumpta fuisse reor ex Jac. Grimaldo, qui haec habet [3]. *Translatio Corporum Callixti* III, *et Alexandri* VI. *prope Chorum Sixti* IIII. *Die* XIX. *Oct.* 1605. *Fuerunt translata ossa Callixti tertii, et Alexandri Sexti, quae erant retro organa, et posita prope Chorum Sixti Quarti, praesentibus ibidem Ill. et Rmo D. Ant. Card. Zapata, et Exc. D. Marchione de Villiena Oratore Catholico, ac Rmo D. Io. B. Vives Prot. Ap. de numero*.

Tandem, quum idem Ioh. Bapt. Vives [4] a Paullo V. postulasset, ut Pontificis utriusque cineres ad *S. Mariae de Monteserrato* deportarentur, annuente Pontifice, III. Kal. Februarii MDCX. privatim ad eamdem Aedem delata fue-

1 p. 1275.
2 p. 345.
3 fol. 7.
4 V. Rud. Venuti Numismata Pont. p. 16.

runt, ubi hodie jacent. Si quis vero totam harum translationum historiam habere cupiat, eam a Grimaldo, cujus heic verba subjicimus, usque adhuc magnam partem inedita, primum accipiat [1].

1 Die Sabbati trigesima Ianuar. MDCX. In mei etc. p̃ns et personaliter constitutus R̃mus D̃nus Ioannes Bap̃ta Vives Valentinus Sedis Apostolicae Protonotarius, de numero participantium, in Sacrario Sacrosantae Vatic. Basil. P̃p̃is Ap̃lorum, tenens manibus suis quoddam memoriale S̃mi D. N., necnon quandam Schedulam, seu fidem Ill̃mi et R̃mi D̃ni Card. Cusentini, accessit ad sepulcrum felicis recordationis Callisti Papae Tertii, et Alexandri Papae Sexti, situm ante Sacellum Chori Sixti Quarti, ad effectum illud aperiendi, et inde ossa praedictorum Pontificum transferendi ad venerabilem Eccl. S. Mariae Montis serrati, Coronae Aragonum de Vrbe, juxta mentem S̃mi D. N. Papae; cujus originalis memorialis tenor talis est, prout sequitur, quod penes me Notarium, servandi gratia in Archivo dictae Basilicae remansit. Beatissimo Padre. Havendosi da guastare il Sepolcro di Alessandro Sesto, et Calisto Terzo, che sta nella fabrica vecchia di S. Pietro, Mons. Vives, a nome del Regno di Valenza, supplicò alla Santità Ṽra, si degnasse dar licenza di trasferire l'ossa di detti Papi nella Chiesa nationale di detti Papi, sotto il nome della Madonna di Monserrato, per poter ivi fabricare novo sepolcro, et la Santità Ṽra se ne contentò, con conditione, che l'Arciprete di d. Chiesa se ne contentasse, il quale non farà difficoltà, ogni volta che li constarà la volontà della Santità Vostra; supplica per detto Oratore, si degni rimettere questo memoriale al Sig. Cardinale di Cosenza, Arciprete di S. Pietro, per esecuzion di d. gratia, che il tutto si haverà per gratia della S̃tà Ṽra, quam Deus etc. In fine dicti memorialis leguntur haec verba, scripta manu Ill̃mi et R̃mi D̃ni Card. Cusentini Archipresbyt. Die octava Iunii MDCVIII. feci verbum cum Sanctissimo, qui supra narrata concessit. E. Card. Cusentinus Archipresb. a tergo dicti memorialis. Alla Santità di N. S. et infra al Signor Card. di Cosenza; ac inferius, Per Mons. Vives Agente del Regno di Valenza. Tenor fidei. Evangelista Pallottus, miseratione divina tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presb. Card. Cusentinus Vat. Bas. Archipresb. Fidem facimus, et attestamur, qualiter SS. D. noster D̃ns Paulus divina providentia Papa Quintus, vivae vocis oraculo nobis facto concessit, et dari praecepit Venerabili Eccl. S. Mariae Montis Serrati, Regionis Arenulae de Vrbe, nationis Aragonorum, et pro ea R. P. D. Io. Bapt. Vives Valentino, Sedis Apostolicae Protonotario, de numero participantium, Corpora felicis recordationis Callisti Papae Tertii, et Alexandri Papae Sexti, recondita in quodam sepulcro marmoreo, in veteri Basil. S. Petri, prope Sacellum Chori Xysti Quarti, ad effectum illa transferendi ad praefatam Ecclesiam S. Mariae, ibiq. tumulanda, et condenda juxta jussionem praelibati S̃mi D. Nostri. In quorum fidem p̃tes manu nostra subscripsimus, sigillique nostri jussimus impressione muniri. Datum in nostro Archipresbyterali Palatio, die xxvI. Ianuar. MDCX. E. Cardinalis Cusentinus. Locus ✠ Sigilli. Quod memoriale, et Schedulam p̃tam reposui in Archivo dictae Basilicae, lecta prius intelligibili voce, ante

dictum sepulcrum, coram d. Rm̃e D. Io. Baptista, ac testibus infrattis. Tum Coementarii aperuerunt sepulcrum, factum in modum Pyramidis, ornatum a lateribus, figuris marmoreis SSrum Callisti Papae, Vincentii Ferrerii, Nicolai, et Augustini. In facie erat tabula marmorea sculpta his litteris.

CALLISTVS.PAPA.III. ALEX.PAPA.VI.

Quo aperto, extraxerunt inde capsam ligneam, in qua erat alia capsa plumbea, in cujus tegmine haec inscriptio incisa est.

OSSA
CALLISTI . III. ET . ALEXANDRI . VI.
E . GENTE . BORGIA . SVMMORVM . PONTIFICVM
ALEXANDRI . CORPVS . IN . SACRARIO
BASILICAE . CVM . SACELLVM . VBI
QVIESCEBAT . OCCVPARET . IN . CALLI
STI . PATRVI . SEPVLCRVM . MARMO
REO . OPERE . E . REGIONE . SCVLPTV
A . BASILICANIS . ILLATVM . EST
DEINDE . IN . OBELISCI . TRANSLA
TIONE . SVB . SYXTO . V. PROPTER
MACHINAS . CALLISTI . SEPVLCRO
DISIECTO . AMBORVM . PONTIFICVM
OSSA . SVB . LAPIDE . REPERTA . IOAN
NES . BAPTISTA . VIVES . VALENTINVS
APOSTOLICAE . SEDIS . PROTONOTARIVS
DE . NVMERO . ET . SVBDIACONVS
IN . BASILICA . VETERI . DECENTER
PONI . CVRAVIT . IN . CVIVS . DEMO
LITIONE . SVB . PAVLO . V. IDEM . OB
HONOREM . COMMVNIS . PATRIAE
ET . AD . ANIMI . SVI . DEVOTIONEM
ATQVE . OBSERVANTIAM . ERGA
ILLVSTRISSIMAM . GENTEM
BORGIAM . SIGNIFICANDAM
IN . HVNC . LOCVM . TRANSTVLIT
ANNO . MDCV.
PRAESENTIBVS . ILLVSTRISS . ET
REVERENDISS. D. D. CARDINALE
ZAPATA . AC . EXCELLENTISS.
D. MARCHIONE . DE . BILLENA
ORATORE . CATHOLICO .

Lecta dicta inscript. fuit aperta Capsa, et testes infratti, ac ibi circumstantes viderunt ossa eorumdem Pontificum. His actis, fuit clausa, et in Sacrarium Basilicae cum luminibus delata, et posita in quedam armario. Super quibus etc.

p. 126. Eadem die xxx. Ianuar. 1610. hora 23. In mei etc. pñs et personaliter constitutus, ptus Rm̃us Dñus Io. Bapta Vives Valentinus, Protonotarius Aplicus de numero participantium, cum interventu RR. DD. Bernardi Ludovici della Cabra

§. III.

De Viris illustribus in hac Cella tumulatis.

Priusquam ex hac Cella egrediamur, addendum est, quod Alpharanus de eadem memoriae tradidit. *Ante hoc etiam Sacellum*, inquit [1], *multi etiam praefati Callixti* III. *et Alexandri* VI. *Familiares in pavimento sub marmoreis lapidibus, ut ex inscriptione liquet, tumulati fuerunt, scilicet Petrus Caranza, Apostolicus Protonotarius, ex Calatrava Archi-*

Clerici Caesaraugustani, et Raphselis Monar Clerici Maioricen. Priorum, ac Magnifici Dñi Ioannis Ieronymi Rabbassae Secretarii dictae Eccl. S. Mariae Montisserrati de Vrbe pñtium etc. in Sacrario memoratae Basilicae accessit ad armarium praedictum, apertum a Dño Francisco Maccionetto Sacrista, et lectis ibi publice supradictis scripturis, ac inscriptione capsae plumbeae, visisque praedictorum Pontificum Callisti, et Alexandri ossibus, ab infrattis testibus, et aliis ibi circumstantibus, accepit ex armario capsam cum iisdem ossibus, quae tunc posita fuit supra feretrum contecta panno aureo. Dicto psalmo De profundis, cum ℣. et oratione pro iisdem Summis Pontificibus, Portitores elevarunt feretrum, ac praecedentibus luminibus, et Presbyteris per viam Aleaandrinam, recta extulerunt esdem Corpora ad eamdem Eccl. S. Mariae Montis serrati, eodem Rño Protonotario, Chianadiense Epo, Prioribus, et Secretario ptis, meque Notario subsequentibus, Super quibus etc.

p. 116. Eadem die xxx. Ian. MDCX. hora prima noctis cum dimidia. In nostrorum Ioanns Hierorymi Rabbassae publici Notarii, et Secretarii Venerabilis Eccl. S. Mariae Montis serrati de Vrbe, et Iacobi Grimaldi, etiam publici Notarii, Archivistae Archivi Sacrosanctae Basilicae Pñpis Aplorum, in solidum rogatorum, presens, et personaliter constitutus supradictus Rñus Joannes Baptista Vives Valentinus in pta Venerabili Eccl. S. Mariae cum interventu, et pñtia supranominatorum DD. Priorum ejusdem Ecclesiae, cantato Responsorio, Libera me Dñe, cum V. et Oratione dicta ab ipso Rño Dño stola induto, cum aliis subsequentibus, lectisque publicis ptis scripturis, et ossibus eorumdem Summorum Pontificum Callisti Tertii, et Alexandri Sexti ab infrascriptis testibus, et aliis ibi circumstantibus inspectis, ac etiam a dictis Dñis Prioribus, idem Rñus Protonotarius tradidit, et consignavit eandem capsam cum ossibus eorumdem Maximorum Pontificum dictis Dñis Bernardo Ludovico della Cabra, et Raphaeli Monar Prioribus memoratae Ecclesiae S. Mariae, in vim gratiae contentae in d. memoriale Smi D. N. Pauli Quinti Pontificis Maximi. Qui Dñi Priores eadem ossa in dicta plumbea capsa condita de manu ejusdem Rñi Dñi Ioan. Baptistae accipientes, vice, et nomine dictae Eccl. S. Mariae in ea decenter asservanda, gratias quantas maximas eidem S. D. N. egerunt. Super quibus etc.

1 ms. n. 170. p. 64.

diaconus, Alexandri VI. ab arcano cubiculo familiaris, et D. N. Regas ex Astralico citeriore Callixti III. Secretarius, necnon Barcinonen. Thesaurarius. Item Bartholomaeus Valiscar Valentinus Sedis Apostolicae Subdiaconus, Cancellariaeque Notarius dignissimus. Necnon etiam et Melchior Casanova, Sedis Apostolicae Protonotarius, et Antonius Gurree Vmbriac en. Episcopus, una cum B. Petro sacram omnium fidelium resurrectionem exspectantes. Singulas autem Inscriptiones, in *Sylloge veterum Monumentorum*, accurate referemus, atque illustrabimus.

Denique cum Panvinio [2], et Sindonio [3] notandum est, in hoc loco Presbyteros rem divinam facturos, sacris vestibus amiciri consuevisse; quod usque ad *Sacrarii* dejectionem a Bas. Beneficiariis, aliisque Sacerdotibus factum fuisse, nosmet ipsi oculis usurpavimus.

CAPVT VIIII.

De Altari, in cujus pariete primitus depicta fuit effigies D. N. M. Febrifugiae.

Cellae *SS. Andreae, et Iacobi Majoris* continens erat altera *B. M. a Febribus* sacra, num. 172, in cujus pariete antiquitus depicta fuit celeberrima ejus imago, ex qua deinde totum Templum *S. M. Febrium* cognominatum fuisse vidimus. Aequum est igitur, ut, quidquid ad vetustam hanc effigiem pertinet, accurate pervolvamus.

2 T. II. ms. p. 140.

3 in Descr. Hist. Altarium, et Reliq. Bas. Vat. p. 80. de ea parte Sacrarii, in qua a Sacerdotibus fit praeparatio ad Missam, et a Beneficiatis sacrae vestes ad divina peragenda sumuntur.

§. I.

De Imagine D. N. M. Febrifugiae.

Ea semper fuit mens, quidquid contra nonnulli, ac praesertim doctissimus P. Lazerus [1] contendant, primaevis illis nostrae Relligionis cultoribus, ut quod superstitiose ab Ethnicis usurpatum fuerat, in sacrum usum saniori consilio converterent, ac quodammodo refingerent [2]. Atque id praeter ea, quae de *Cathedrae Antiochenae* festo adnotavimus, praestitum ab iis etiam fuisse videtur, quum rotundum hoc Templum Deiparae consecrarunt, cui vota precesque fundebant, ut febri laborantes praecipue adjuvaret, ac morbo levaret.

Nam apud antiquos, qui [3] Inferos, vitia, pestes, morbos, mortem, paupertatem, pavorem, pallorem, oblivionem, senectutem, mortem colebant [4], *Febris*, ut ait Minutius Felix [5], *dedicata fuit*, ac Plinio [6], et Val. Max. [7] adstipulantibus, *Febrem ad minus nocendum, Templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area*

1 de falsa Veter. Christianorum rituum a ritibus Ethnicorum orig. Romae 1777.8. et in Discipl. Populi Dei Fleury a Franc. Ant. Zaccaria, Venetiis recusx T. I. p. 97.

2 Marangoni delle cose Gentilesche ad uso delle Chiere. Roma 1744. 4. Ioh. Matth. Gesneri Rituum, quos Romana Ecclesia a Majoribus suis gentilibus in sua Sacra transtulit, enarratio. Goetting. 1751. 4.

3 Plinius lib. II. c. vII. Vossius lib. IX. de Idololatr. c. 37. et 39. Guil. Choul de Relig. veterum Romanor. Franc. Pomey Pantheon Misticum. Alex. ab Alexandro lib. I. cap. 13. Adrian. Iunius lib. III. animadv. c. I. Martin. Lipenius In Strenarum hist. Tom. XII. Graev. pag. 411.

4 Gottlob. Henr. Richterus, de Ate, Dea noxae, ex judicio veterum. Dissert. Vitembergae 1743. 4. Phil. Bern. Moreau de Mautour dissertation sur la Peur, et la Paleur, divinitez representèes sur des medailles romaines. V. dans l'Hist. de l'Acad. des Inscript. T. v. p. II. Lud. Guil. Iunius de cultura Morti Deae olim exhibita. Diss. Lipsiae 1743. 4. Wilh. Christ. Iuss. Chrysander. Symbola phylologica de Templo Mortis apud Lacaedemonios. Gottingae 1748. 4.

5 in Oct. c. XXV.

6 lib. II. cap. vII.

7 lib. II. cap. v.

Marianorum III, *in summa parte Vici Longi*, *in eaque remedia*, *quae corporibus aegrotorum annexa fuerant*, referebantur. Illam propterea inter Deos Averruncos relatam, omni honoris studio prosequebantur, eique nunc *Divae*, nunc *Sanctae*, nunc *Magnae* cognomen a veteribus inditum est, ac pro liberatione varie blanditum, ut videre est apud Gruterum, qui refert hujusmodi inscriptionem apud Transylvanos [1], a Thomasino [2], et Pitisco [3] recusam

FEBRI . DIVAE . FEBRI .
SANCTAE . FEBRI . MAGNAE .
CAMILLA . AMATA . PRO .
FILIO . MALE . AFFECTO . P.

Quorum amentiam [4] recte Cicero [5] insectatus est, ac Prudentius etiam exagitavit, iis versibus [6]:

Par furor illorum, *quos tradit fama*, *dicatis*
Consecrasse Deas Febrem, *Scabiemque sacellis*.

Rectius igitur Majores nostri, jam inde ab antiquissimis temporibus, hanc B. V. imaginem praecipuo cultu venerari instituerunt, ut morbum, quo nullus humanae vitae infensior, ac frequentior est, sua virtute averteret, ac propulsaret.

1 num. 1. p. xcvII.
2 de donariis Veterum. Vtinae 1639. 4. c. xxxv. de votis pro aegrotantium salute, et in T. xII. Thes. Graev. p. 800.
3 in Lexico in *Fanum Febris*.
4 Fam. Nardinius. in Roma vet. p. 1337. in T. IV. Thes. Graevii. Marlianus. in Vrb. Romae Topograph. p. 162. in T. I. Thes. Graevii. Borrichius. in Ant. Vrb. Rom. facie p. 1524. in T. IV. Thes. Graev. Elmenhorstius in Minutio Felice p 233. Laurentius in Var. Sacr. Gentil. cap. vI. Struvius in Ant. Rom. cap. I. pag. 168.
5 lib. III. de nat. Deor. c. 25. et lib. II. de legibus.
6 in Haman. v. 157.

§. II.

Imaginis aetas inquiritur .

Etsi *D. N. M. Febrifugiae* imago vetustissima sit , tamen longe antiquior etiam, quam reipsa est, habita fuit, omnesque ferme Scriptores, Templum rotundum, cujus historiam persequimur, usque ab initio a Christianis in ejus honorem dicatum fuisse, tradiderunt. Quae certe res si ita se habuisset, ad remotissimam antiquitatem confugiendum foret. Erecta enim a Constantino M. in honorem Principis Apostolorum Basilica, statim Christianorum pietas, profanum hoc Templum, ut ipsi volunt, ei contiguum, in sacrum usum vertisse, ac Deiparae dedicasse, dicenda esset. Quod tamen ex ipsa ejus effigie, quae etsi antiquissima est, non tamen primae illius aetatis vetustatem redolet, minime factum, facile erat deprehendere. Nam, ut Sarnellius [1], et Bonarotius [2] animadvertunt, antiquiores Deiparae imagines Puerum Jesum in ejus gremio exhibebant, ut contra Nestorianam haeresim, Christifideles θεοτόκον confiterentur. Deinde vero Latini contra Graecorum morem, Jesum, quamvis Infantulum, stantem plerumque repraesentarunt ante Matrem, quae eum peramanter utroque brachio complectebatur. Et sane, ut cetera mittam exempla, Gregorius III. [3] *fecit in Oratorio Sancto, quod Praesepe dicitur, imaginem auream Dei Genitricis, amplectentis Salvatorem Domini*. Sed operae pretium erit, veram antiquae hujusce iconis aetatem diligentius explorare, variasque ejus-

1 La Vergine SS. ab antico dipinta col suo divinissimo figliuolo in braccio . in T. IX. Liter. Eccl. p. 24.

2 Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro. Tav. I. fig. II. et III. p. 10.

3 apud Anastas. §. VIII. p. 40.

dem translationes, ac vices, ceterasque cognomines imagines accurate indicare, quae in caussa fuerunt, ut apud Scriptores, quod certae cuidam aetati, ac loco tribuendum erat, alteri praepostere tribueretur.

Prima igitur mentio, quantum quidem mihi observare contigit, hujus imaginis, occurrit apud Vegium, qui Eugenii IV. aetate floruit, atque haec memoriae consignavit, postquam *B. Andreae* descripsit Altare. *Huic contiguum est*, inquit [1], *aliud Altare a sinistra parte introitus, dicatum nomini S. Dei Genitricis Mariae* a febribus *appellatum, quod praecipuum quidem, et a Populis quam maxime prae summa devotione cultum, frequentatumque est, propterea quod innumerabiles vota illi facientes, enixeque se commendantes, a febri quotidie sanentur*. Quae quum imaginem miraculis celebrem, ac Populorum frequentia insignem testantur, antiquiorem eam etiam Vegii aetate fuisse produnt. Verum incompertum mihi est, quo primum tempore in Templi pariete depicta fuerit, quum nulla hujus rei documenta apud Scriptores quaerenti se obtulerint.

Ceterum quum Mallius [2] scribat, aliud Templum, *Apollinis* Templo contiguum, *vocari Sanctus Andreas*, quin ullam *B. M. de febribus* mentionem faciat, nondum ejus aetate, nempe Sec. XII, fuisse in hoc Templo positam, pronum erit arguere, frustra reluctante Raph. Sindonio [3], qui eam, nescio quibus rationum momentis adductus, in annum confert MCC. Hoc idem de Sec. XIII. conjicere licet. Anonymus [4] enim, qui tunc libellum de *mirabilibus Romae* concinnavit, *Ecclesiam S. Andreae* fuisse Tem-

1 p. 82.
2 c. 11. p. 41.
3 p. 88.
4 p. 290.

plum *juxta memoriam Caesaris*, contiguum alteri *Apollinis* Templo tradidit, quin verbum de hac imagine B. V. fecerit. Quare ejus originem ad multo recentiorem, uti quidem re ipsa est, vel certe videtur, aetatem retrahendam puto. Quin etiam Sec. adulto xIV. tribui fortasse poterit, quod cum iis, quae a Vegio Sec. xv. de ejus celebritate tradita sunt, perbelle congruit. Ac proinde quis non Martinettum incuset, qui asseveranter pronunciare non dubitavit [1], Templum *Deiparae a febribus usque ab initio* fuisse dedicatum?

Quod vero minime dubium est, ut in Templo depicta fuit, magna Populi relligione coli coepit, et quotidie magis miraculis inclarescere. Haec enim Onuphrius Panvinius de eadem literis consignavit [2]. *Hoc Templum devotissime olim colebatur, frequentabaturque a Populis, quod vota illi facientes, enixeque se B. V. commendantes, a febri quotidie sanarentur*. Quae item Alpharanus confirmat, ubi ait [3]. *Sed juxta praedictum Callixti* III. *Sacellum, sequitur aliud Sacellum* [4], *quod fuit hujus Templi principale Sacellum, B. M. V. e febribus nuncupatum, unde totum hoc Templum nomen accepit cum Altari, in cujus parietibus erat antiquissima, venerandaque imago ejusdem B. M. Filium amplexantis, et a dexteris, et a sinistris paullo inferius erant imagines summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Imperatorum, Regum, Reginarumque, etiam nobilium Virorum, ac Mulierum se Genitr. Dei Mariae enixe commendantium.*

1 lib. II. p. 118.
2 T. III. ms. c. XIX. p. 27.
3 ms. p. 64.
4 n. 172.



§. III.

Quonam tempore Templum rotundum B. M. febrium cognominari coepit?

Quamquam novi *B. M. febrium* nominis fama, *B. Andreae* nomen, cui Symmachus e solo Templum construxerat, coepit extinguere, nondum tamen Sec. xv. apud vulgus plane adhaesisse videtur, etsi Vegius *B. M. de febribus Altare* esse dixerit, in Templo contiguo *S. Petronillae*. Nam in diplomate Nicolai V, qui scilicet Eugenio IV. successit, nominatam fuisse vidimus disertis, et perspicuis verbis [1], *Capellam* S. M. de febribus, *seu* della Freve, *in* Ecclesia S. Andreae *sitam*. Itemque ex alio loco alterius diplomatis ejusdem Pontificis eruitur, nondum, tunc temporis, totum Templum ejus nomine venisse. Heic enim [2] aeque *Capella* tantum *B. M. de febribus* nominatur, hujusmodi verbis. *Capellam S. Apolloniae sitam in, seu prope dictam Basilicam, juxta* Capellam B. M. de Febribus.... *concedimus, et donamus*.

Haec tamen ab editoribus Bullarii Vaticani parum considerate accepta video, qui ita adnotarunt [3]. Non *loquitur de Templo, sed de* Capella S. M. de febribus, *hoc est, de* Sacrario, *in ipso veteris Templi aditu erecto, ubi* B. M. de febribus *vetustissima imago aliquando consedit*. Et paullo infra [4]. *Patet etiam hoc Altare* (S. Apolloniae) *a veteri* Sacrario, *in quod* B. M. de febribus *imago translata fuerat, haud multum abfuisse*. At id ipsum unde iis constaret, cur non declararunt? Equidem, quotquot habemus Bas. Vat. Ichnographias, earumque expla-

1 T. II. p. 131.
2 T. II. p. 140.
3 ibid. p. 141.
4 ibid. p. 141.

natores perquam diligenter ad unum excussi. Ceterum S. *Apolloniae Altare* a nemine memoratum offendi. Ac propterea sponsionem facerem, nisi id ipsum et iis incompertum fuerit. Nam si notum iis fuisset, locum profecto indigitare, minime praetermisissent. Verum, si *Capellam S. M. della Fievre* superius a Nicolao V. in diplomate anni MCDXLIX. nominatam, *in Sacello vetustissimo, quod hodie pro Sacrarii commodo inservit*, (etsi alia de caussa, quam veritas efflagitabat, uti supra [1] observavimus), exstitisse fassi sunt, quî fieri potuit, ut *Capellam S. M. de febribus*, quae anno MCDLIII, hoc est, quadriennii tantum spatio interjecto, ab eodem Pontifice indicatur, quaeque eadem certe omnino esse debuit, alio tamen loco collocare, atque in *Sacrarium antiquissimum*, in ipso veteris Templi *aditu* primitus erectum, transferre, illis in mentem venerit?

Equidem non inficias iverim, hanc imaginem eô loci olim translatam fuisse. Verum, praeterquamquod id longe post Nicolai V. aetatem accidisse demonstrabimus, B. V. imago non translata fuit in *vetus Sacrarium*, sed in *Oratorium Gregorianum* a *Gregorio* IV. conditum, ubi prius steterat *Secretarium antiquissimum*, uti supra probatum est, ac denuo nunc confirmabitur. Hoc tamen erratum, non tam editorum Bull. Vatic. proprium fuit, quam omnium ferme Scriptorum, qui, ubi fuit Cella SS. *Andreae*, et *Gregorii* a Pio II. constructa, *Oratorium Gregorianum*, temere posuerunt. Quare, allata Nicolai V. diplomatum verba, si quidquam intelligere, aut judicare possum, aperte declarant, sub ejus Pontificatu, imaginem *B. V. de febribus* non fuisse aliô translatam, sed in

1 p. 1210.

S. Andreae Templo permansisse, quod tamen nondum pristinum suum nomen prorsus amiserat. Eodem Seculo exeunte, *Cellulam* a Volaterrano, et *Capellam S. M. de febribus* a Burcardo, et in Necrologio nominatam comperiemus. Quae quidem, ni fallor, demonstrare videntur, nondum totam Aedem rotundam ab ejus nomine vulgo nuncupatam fuisse.

Verum quum Albertinus, qui Julii II. aetate vixit, *Templum Martis*, jam inde *Oratorium S. M. de febribus* nuncupaverit, quod Necrologium, etsi *Capellam* vocet, ubi loquitur de obitu *Ansuini Prioris Beneficiatorum*, tamen eodem vocabulo totum Templum indicasse constat, itemque in veterum Inscriptionum collectione, a Mazochio adornata anno MDXXI, quattuor Inscriptiones offenderim, quae *apud Sacellum B. M. de febribus* exstabant, Sec. XVI. ineunte, in Templi possessionem plane quodammodo constitisse, ac *B. Andreae* nomen penitus oblitterasse, arguendum est.

Atque id etiam ex insperato *Andreae* Capitis adventu repetendum est, quod quum *Pius* II. in Cella ab se intra Basilicam erecta, uti probavimus [1], collocasset, quotquot erant, *Andreae* studiosos ad se jamdiu avocabat, quin amplius, ejus colendi caussa, *Templum rotundum* celebrarent, in quo Imago *B. M. Febrium* praecipue colebatur.

Et sane Andreas Fulvius [2], et Marlianus [3], qui libros suos ediderunt annis MDXLIII, et MDXLIV, *Martis* Templum *D. Mariae Febrium* dicatum fuisse scribunt, quibus consentiunt L. Faunus, qui anno MDXLVIII. opus suum

1 p. 702.
2 Antic. di Roma. Vinegia 1543. 8. p. 155.
3 Ant. Vrb. Romae 1544. fol. cap. xxI. p. 111.

evulgavit [1], et Anonymus de *Mirabilibus Vrbis Romae* eodem anno in lucem editus [2], quem longe diversum, ac posteriorem esse puto ab eo, quem edidit Montfauconius, etsi non pauca ex eodem in suum opus derivaverit.

§. IV.

De prima Imaginis translatione.

Quum Templum rotundum *B. M. febrium* in Basilicae *Sacrarium* propediem vertendum esset, imaginem B. V., toto pariete circumsecto, in *Oratorium Gregorianum*, translatam fuisse puto. Nam, etsi ex monumentis, quae usque ad hunc diem reperire licuit, haud ante Paulli IV. Pontificatum, Templum rotundum *D. N. M. Febrifugiae* in *Sacrarii* usum destinatum fuisse constet, tamen usque sub ejusdem principatu, Deiparae effigiem in *Oratorio Gregoriano* exstitisse, minime dubitandum est. Id enim manifeste colligitur ex tabula marmorea, quae in Aede Caeciliae V. et M. trans Tiberim hodieque visitur, quamque heic accurate exprimendam curavi.

1 de antiquitatibus Vrbis Romae. Venetiis 1548. 1549. 1552, et in Tom. I. Thesauri Antiquitatum Romanarum Alberti Henrici de Sallengre p. 171.

2 Romae per Valer. Doricum. 8. in calce descriptionis Bas. Vat.



D. O. M.

IL . ℞^{DO} . MONS^{OR} . GREG. MAGALOTTO . VESCHO . DE . CHIVSI
SORA . MAVRA . MAGALO . ABB. DEL . MONEST. DE . S. CICILIA
ET . M^{A} . MARSILIA . LORO . MATRE . LASSORNO . AL . MONASRIO DE
S. CECILIA . ꝑ . L'AIA . LORO . ET . TVTTI . LORO . DEFONTI . A . DOI . M.
D'ORO . I . ORO NEL MOTE . DELLA . FEDE . VNA . CASA RETRO BACHI
VNA . I . CAPO . MARZO . DOI . CASE . AL . CAPO . DE . FERRO . DOI
BOTHEGHE . IN . PIAZZA . MONT^{RA} ITE . BARILI . 14. DE . VINO . ET V^{A}.
4TA . DE VVA Δ. 15. CHI DEVE L HOSPITALE . DE . S^{TO} . IO. LAT^{NO} . OGNI
ANO . ET OLTRA . LE . ꝑDETTE . CASE . ET . DENARI . LA . MRE . ABB. HA
SPESO . IN . MEGLIORAMENTI . IN DCO . MON^{RIO} Δ 3000 COMO APPARE
AL . CATASTO . DEL . MON^{RIO} CON OBLIGO CHE L'ABB. ET .
MONACHE . IN DCO . MONESTER. ꝑ . TEPOR. EXISTEN .
SIANO . OBLIGATE . IN . ꝑPETVO . FAR . CELEBRAR . OGNI
SETTIMANA . TRE . MESSE . V^{A} ALL'ALTARE . DEL . CORPO
DE . XPO . L'ALTRA . ALL'ALTAR . DELLA . M^{A} DEFORA . LA . TERZA
NELLA . CAPELLA . DEL DCO . R^{DO} VESCOVO . ET . PIV . VNA
MESSA . CANTATA . IN . DCA . CAPP. NEL . DI . DE . DEFVNTI . ꝑ
L'ANIMA . D. MONS. ITEM . V^{A} MESSA . NELLA . CHIESA . DE . S^{TA} .
MARIA . I . TREVIO . NELLA . CAPP. DI . S. PAVLO . OGNI . 7NA . ITEM . V^{A}.
MESSA . ALLA . CAPP. DE . S^{TA} . MARIA . DELLÀ FEBRE . A . S. PIETRO
OGNI 7NA ET . MANCANDO . DETTE . ABB. ET . MONACHE . D. FAR . CELEBRARE .
DCE . MESSE . COME . DI . SOP. AL . TEMPO ꝑDETTO . CHE . DICTI DENAR
ET . ROBBA . SVCCEDA . AL HOSPITALE . DE . S. IO. LATERANO
LA SO^{PA}DCA . SOR . MAVRA . MAGA . AB. AFA . FAR . Q^{TA} MEMORIA A DI XX D'OTB
NEL . ANO

DEL SIG^{RE} M. D. LVIIII. [1]

1 Alveri Roma in ogni Stato P. II. p. 390. Galletti T. I. Inscr. Rom. p. cccxxIII.

8 C

Dubia profecto res videretur, num heic innuatur Cella, quae primitus eidem Deiparae dicata in *Templo rotundo* exstitit, an potius altera, quae in *Oratorium Gregorianum* translata fuit; nisi omnem ambiguitatem penitus submoverent subjectae Paulli V. literae [1], ubi legi-

[1] Paolus PP. V. Dilecte Fili Salutem, et Apostolic. Ben. Nobis nuper nomine dilectarum io Xto Filiarum Abbatissae, et Monialium Monasterii S. Caeciliae de Vrbe, Ordinis S. Benedicti. expositum fuit, quod ipsae ratione cujusdam Legati per bo. me. Gregorium Magalotti, dum in humanis ageret Epsum Closinum, ac q. Mauram etiam Magalottam Monasterii Abb. nec non Msrsiliam ipsorum Gregorii Epi, et Maurae Matrem d. Monist. relicti Missam unam, qual. Hebdomada in *Cappella Beatae Mariae de Febre* nuita, tunc prope Basilicam Principis Apostol. de eadem Vrbe sit. *nunc autem solo aequata*, celebrari facere tenentur, et quidem haetenus, ut asserunt, usque ad Mensem Iulii anni 1597. duas tantummodo Missas ratñe Legati hujosmodi quolibet Mense eelebrari curarunt, ab illo vero tempore easdem celebrari facere omiserunt. Cum autem, sieut eadem expositio subjungebat, d. Abbatissa, et Moniales, ut infra Missas non solum celebratas reduci, ac onus Missae Hebdomadalis huñodi pro maiori eorum comoditate ad sui Monast. Ecclesiam transferri summopere desiderent; Nobis propta. bum. sopplicari fecerunt, ut sibi in praemissis oppñe providere, de benignitate Aplica dignaremur. Nos igitur Abbatissam, et Moniales ptas specialibus Favoribus, et gratiis prosequi volentes, et earum singulas quibusvis esenis., suspensionis, et interd., aliisque Ecclicis. seutiis, cens. et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet ionodat. existant, ad eff. pñtium dumtaaat consequen. hac seri absolventes, et absolut. fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per pñtes committimus, et mandamus, ut Missas non celebratas huñoi ad duodecim anniversaria semel celebran. aucte nostra Apostolics redoeas, nec non onus Missam unam qualit. Hebdomada, ut ptur, celebrari faciendi e d. Cappella ad d. Monasterii Ecclesiam, et in ea sitam Cappellam, vel Altare sub invocatione Beatae Mariae marmore expresiae dta aocte transferas, et translatum esse deeernes, non obstan. pro Missis; nec non Gregorii Episc., ac Mauiae ipsorum Matris pris voluntatibus, quas in, et quo ad hoc sufficienter commutamus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuseumque.

Dat. Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 28. Februar. 1609. Poñtus ñri anno quarto. Scipio Cobellutius. Foris vero. Dilecto Filio in alma Vrbe ñra, et ejus districtu, in spiritualibus Vicar. ñro gli, seo ejus Viceg. I. Savanier Loco ✠ anuli Piscat.

Paulli V. literis ex Tabulario Monasterii S. Caeciliae prolatis, hoc alterum ex eo depromptum monumentum, ad rei illustrationem, opportune subiungam.

Adì 9. di Giugno 1597. Io Baldassare Aquilano, deputato alla cura delle Messe votive in S. Pietro di Roma, confesso aver ricevuto dalla R. Mre Abbatissa di S. Cecilia, scodi due, e baj. 40. quali sono per tante Messe celebrate nella

tur. *Missam unam, qualibet hebdomada in* Capella B. M.

Capella della Madonna Sma *della Febre* li Mesi di Giugno, Luglio, Ag., Settembre, 8bre, 9mbre, e Xbre dell'anno 1596. e Genn., Feb., Marzo, Aprile, e Maggio del 1597. ed io Fede del vero ho fatto la pñte di mia ppa mano questo dì, ed anno supra.

Io Baldassare sud. m. p.

Gregorius Magalottus, Clusinus Antistes, Bononiae decessit an. MDXXXVII, atque in Vrbem relata ejus ossa Maura Soror amantissima, S. Caeciliae, Parthenonis Antistita, exstructo sepulcro in vateri Templi Sacrario, collocanda curavit, hoc epitaphio [1]

HAC . SITVS . EST . VRNA . MAGALOTTVS . CERNE . VIATOR
QVOT . MODO . MORS . ROMAE . PVBLICA . DAMNA . TVLIT
HOC . VIVO . PIETAS . VIVEBAT . IVSQVE . FIDESQVE
HAEC . TRIA . NVNC . ILLO . DONA . SVPERNA . IACENT
HVNC . IGITVR . PLORET . SIC . PATRIA . ROMA . QVOTANNIS
VT . SVPERVM . PIETAS . IVSQVE . FIDESQVE . GEMVNT
M. D. XXXVIII.
MAVRA EIVS GERMANA
HVIVSQVE AEDIS
ABBATISSA POST TVMVLI
HONORES OSSA
BONONIA ADVEHI
ATQVE HIC PIE
LOCARI CVRAVIT

1 apud Vghelliom in Ital. Sacra T. III. p. 649. Mandosium in Bibl. Rom. Cent. I. p. 39. Alveri. Roma in ogni Stato P. II. pag. 390. Piazza Gerarchia Cardinalizia p. 385. Iac. Laderchi Acta S. Caeciliae Virg. et Mar. et Transtiberina Basilica seculorum singulorum monumentis asserta, ac illustr. Romae 1723. T. II. 4. Galletti Inscr. Rom. Tom. I. p. cccxxiiI. num. 18.

In eadem Aede, super Ianuam Monasterii, haec altera exstat Inscriptio [2]

MAVRA MAGALOTTA ABBATISSA A CLEMENTE
VII. ET FRANCIOTTO CARDINALI VRSINO PREPO
SITO HVC ACCITA ÆDEM HANC DIVÆ CÆCILIÆ
SACRAM QVAM MONACHI HVMILIATORVM S.
BENEDICTI ANTEA OBTINEBANT IN PRESENTIS
MONASTERII EIVSDEM ORDINIS MONIALIVM
FORMAM REDEGIT EAMQVE PENE COLLABENTEM
RESTITVIT ADIECTIS INSVPER HORTIS QVOꝶ ETIAM
VT HONESTIOR VSVS ESSET CLAVSTRALI EOS MVRO
CINXIT ANNO A PARTV VIRGINIS MDXXXXI.

2 V. Laderchi T. II. pag. 338. Galletti T. I. Inscript. Roman. p. DXVII. n. 26.

Itemque versus Portam ejusdem Aedis legitur

de Febre *nuncupata, tunc prope Basilicam Principis Apostolorum de eadem Vrbe sita*, nunc autem solo aequata, *celebrari facere tenentur*. Quid, rogo, disertius, ac luculentius ejusdem Pontificis testimonio, qui, ut mox declarabimus, anno post *Oratorii Gregoriani* dejectionem, hujusmodi literas protulit? Quis igitur amplius dubitet, ibidem Templum rotundum, haud ita pridem deletum indicari? Itaque perspicuum est, primum Deiparae imaginis e Templo rotundo discessum, ante annum MDLVIIII. contigisse.

Neque vero, cur hujusmodi translationem multo ante actam fuisse existimemus, usque hactenus ratio esse videtur. Nam, etsi supra attulimus Epitaphium *Sancti de Pazillis*, ibidem positum plus minus anno MDXXII [1], *Guidonis Vaini* anno MDXXX [2], *Bapt. Talliaferri* MDXLVIII [3], et Jac. Fabii anno MDLI [4], tamen animadvertendum est, eadem dumtaxat ab Alpharano, et Grimaldo, in *Oratorio*

D. O. M.
MAVRA MAGALOTTA ROM.
PER TRIENNIVM ABBATISSA
MONASTERII CAMPI MARTII
DEINDE A CLEMENTE VII.
PONT. MAX. ABBATISSA PER
PETVA MONASTERII SANCTAE
CÆCILIÆ CREATA QVE INSTI
TVIT INSTAVRAVIT ET DOTAVIT
OBIIT AN. DNI. M. D. LVI. XVI.
KL. IVNII VITÆ SVÆ AN. LXXII.
SCHOLASTICA SERLEONIA
ROM. ABBATISSA EI SVFFECTA
POSVIT [5]

1 p. 743.
2 p. 745. V. Turrigium Grotte Vat. p. 600.
3 p. 747.
4 p. 747.
5 Laderchi T. II. p. 351. Galletti ib. n. 27.

Gregoriano, quod eorum aevo *Aedicula B. M. de febribus* nuncupabatur, fuisse descripta. Contra vero esset, si vel in iisdem Inscriptionibus, vel in Necrologio, aut in aequali monumento, quod mihi quidem incompertum est, *Oratorium Gregorianum*, jam tum *B. M. de febribus Oratorium* diceretur.

Quae quum ita sint, nescio, quonam pacto concilianda sint, quae de hac translatione memoriae tradidit Alpharanus in hunc modum [1]. *Quae utique imago vetustissima (Basilicae Sacrario disjecto, et hoc Templo pro Basilicae Sacrario occupato) una cum toto pariete ex Altari avulsa, ad Secretarium Basilicae, juxta S. Gregorii Oratorium translata est; unde factum est, ut postea Secretarium Ecclesia S. M. de febribus, et Templum S. M. de febribus Sacrarium Basilicae, usque in hodiernum diem praenominarentur*. Heic enim fatendum est, Alpharanum, non satis enucleate, rem aperiisse. Nam quo pacto fieri poterat, ut haec imago transferretur in Basilicae *Secretarium*, si idem Alpharanus, illud *disjectum* fuisse affirmat? Ecquis non videt, hanc porro fuisse caussam, cur de sede sua B. V. Imago moveretur, quod nimirum, veteri exciso, vel, ut rectius loquamur, propediem excindendo *Secretario*, Templum, ubi prius colebatur, in *Secretarii* usum destinatum fuit? Quare locus, in quem translata ea imago tunc fuit, *Secretarium* amplius non erat, sed *Oratorium Gregorianum* supra *Secretarii antiquissimi* ruinas a *Gregorio* IV. jamdiu aedificatum; idque contigisse putandum est, ob statu-

1 num. 142. p. 64. *atque alibi in vernacula Bas. descriptione* L'Imagine della V. M. lu translata alla Cappella, detta Secretario di S. Pietro con tutto il muro, dove son de' Papi, Cardinali, Imperatori, et Re, et Regine, et altri Nobili, che si raccomandano alla d. imagine SS. antiquissima. Et perciò il d. Secretario adesso si chiama la Madonna della febbre.

tam *majoris Secretarii* disjectionem, quod tamen multo serius e medio sublatum fuisse demonstravimus.

Rectius igitur prima haec *Deiparae a febribus* translatio a Severano declaratur, qui ita scribit [1]. *In fine Porticus, meridiem versus, visebatur Oratorium, sive Sacellum a Gregorio* IV, *qui floruit sub annum Dñi* DCCCVII, *exaedificatum cum tribuna, seu apside ex opere musaico, ad cujus aram principem argento coopertam, transtulit Corpus Sancti Gregorii M. et sub aliis tribus in eodem Sacello recondidit Corpora SS. Sebastiani, Gorgonii, atque Tiburtii.... appellatum tandem ultimis temporibus, et usque ad nostram aetatem Sacellum istud fuit* S. M. a febribus, *propterea quod devotissima quaedam imago Virginis, per quam Deus febricitantibus multas impertiebatur gratias, eó fuerit transportata, ex alio ejusdem nominis Sacello, quo praecipue frequentabatur in ipsius Templo rotundo, ubi nunc est Sacrarium Basilicae*. Quae quum veritati apprime sint consentanea, non solum quô primum B. V. Imago translata fuerit, egregie demonstrant, verum etiam, quod [2] supra statuimus de situ *Oratorii Gregoriani, supra antiquissimum*, ac *prope novellum Secretarium* erecti, mirifice confirmant. Jure igitur Panvinius pronunciavit [3]. *Secretarium vetus, quod olim S. Gregorii, hodie S. Mariae de Febre imperite* dicitur.

Hoc tamen nequaquam assequuti sunt Bullarii Vaticani editores [4], qui vetustissimam hanc imaginem *in vetus Sacrarium in ipso veteris Templi aditu erectum translatam fuisse* pronunciant. Atqui sic *Sacrarium* cum *Oratorio Gregoriano*, uti ceteri, confundunt. Etsi enim alibi

1 p. 65.
2 p. 740.
3 de vil. Eccles. p. 47.
4 T. II. p. 140. et 141.

ad S. Gregorii Cellam translatam fuisse scribunt, tamen de altera *Gregorii* Cella, quam a *Pio* II. erectam probavimus [1], ibidem loquuti sunt, ubi aliud etiam *Sacrarium* exstitisse dicendum esset, si, uti scripserant, imago B. V. in *Sacrarium* translata fuerat. Sed ne quis me immerito, Viros, alioqui eruditissimos, exagitare insimulet, eorum verba audiamus. *Quamprimum*, inquiunt [2], *Basilicae* Secretario *disjecto*, (*quod nempe erat, ubi nunc Sacellum Clementinum, seu S. Gregorii M.*) *ineunte Sec.* xv. *Iulio* II. *Pontifice, Templum S. M. de febribus in* Sacrarium *cessit, imago illa cum toto pariete avulsa ad* S. Gregorii Sacellum *est translata, in posterioris, minorisque navis partem supremam Alph. Tab. Ichn. n.* 85. Quae quidem in lubrico esse videntur. Nam, ubi nunc Cella Clementina, *Secretarium majus* situm erat, quod usque ad *Gregorii* XIII. aetatem stetisse demonstravimus. Praeterea longe post Julium II, hoc idem Templum in *Sacrarii* usum cessisse vidimus. Ac demum eidem Alpharano repugnarunt, qui B. V. effigiem ad *Cellam principalem Secretarii* num. 142. translatam fuisse tradidit, nunquam vero ad Altare n. 85, ubi *Pius* II. *Andreae Caput* collocavit, etsi incaute illud idem esse scripserit in honorem S. *Gregorii*, a *Gregorio* IV. aedificatum; ac propterea non *in Oratorio Gregoriano*, sed *juxta S. Gregorii Oratorium* sitam fuisse affirmaverit. Quamquam aeque falsum esse vidimus, *B. M. febrium* imaginem in *Secretarium* translatam fuisse, quae tantum in *Cella Gregoriana*, ubi prius steterat *Secretarium antiquissimum*, collocata fuit.

Neque vero Typographi oscitantiae vertendum est, quod loco, quem supra attulimus, numerus 85, pro alte-

1 pag. 702.   2 T. III. p. 257.

ro irrepserit. Alibi [1] enim etiam, quum de *Gregorii* Cella a *Gregorio* IV. exstructa disserunt, prave cum Alpharano in eodem loco eam collocasse animadvertimus. Quae sane eorum errorem aperte produnt, ex quo factum est, ut in alium etiam incurrerent, quum ad hoc Altare a *Pio* II. erectum, et B. *Andreae*, ac *Gregorio* dicatum, *B. M. febrium* imaginem translatam fuisse dixerunt. Quare si rem, uti se habebat, dicere voluissent, B. Virginis effigiem ad *D. Gregorii* Cellam, quae *prope novellum Secretarium*, et *supra Secretarium antiquissimum* a *Gregorio* IV. jampridem erecta fuerat, translatam fuisse, scribere debuissent. Quae quidem non arguendi libidine, toties inculcavimus, sed ne quis tantorum Virorum auctoritate permotus, errasse nos in antiquiorum Bas. Vat. *Secretariorum* numero, ac loco decernendo, atque in translationibus imaginis *D. M. Febrium* recensendis suspicetur.

Nunc, quum satis probatum sit, *Oratorium Gregorianum* supra *Secretarium antiquissimum* statuendum esse, ac rursus ex allatis argumentis certum sit, illuc B. V. imaginem e Templo rotundo, in *Sacrarii* usum destinato, translatam fuisse, illuc nos etiam ingrediamur, oportet, ut, quo ejusdem Oratorii loco sita fuerit, inspiciamus.

Itaque, quod supra [2] animadvertimus, *septem* in hoc Oratorio fuerunt Altaria, *tria* ad meridiem, *tria* ad Aquilonem, *unumque* ad occasum. Horum elegantissimum, ac praecipuum totius Oratorii, Altare B. V. sacrum, ab Alpharano, et a Paullo de Angelis, aliisque fuisse traditur. Cujus imaginis fama ibidem collocata, quum latius in dies crebris prodigiis inclaresceret, eodem modo, quo *B. Andreae* nomen prius oblitteraverat in *Templo rotundo*,

1 T. I. p. 47. T. III. p. 101. 2 p. 697.

ubi pridem in pariete depicta fuerat, *Gregorii* etiam nomen, cui primum dicatum fuerat Oratorium, sensim apud vulgus delere coepit. Quod tamen exolescere vel tum coepisse existimarim, quum *Pius* II. S. *Gregorii* exsuvias ex eô transtulit ad Altare, ubi *Andreae Caput* collocaverat. Quum enim Patrum nostrorum pietas illuc quotidie deinde conveniret, ut ei vota febricitantium praecipue exaudienti supplicaret, factum est, ut tantum ibidem *Gregorii* cultui detraheretur, quantum famae, ac nomini *B. M. Febrium* accresceret; ex cujus inde nomine, Oratorio nomen ab omnibus inditum fuerit.

Quod liquido apparet ex Panvinii locis, quae supra [1] attulimus, ac quibus haec etiam addenda sunt. Ait enim [2]. *In Porticu ante Basilicam S. Petri, prope vetustissimum* Secretarium, *quod nunc* S. M. de febre *dicitur, sepulta fuerunt Corpora....* Et rursus [3]. *In Secretario, quod nunc dicitur* S. Maria de Febre, *ante Basilicam S. Petri Apostoli, quiescit Benedictus* P. Panvinio autem concinit Ciacconius, qui de Gregorio loquens ait [4]. *In extrema Porticu ante Basilicam S. Petri Apostoli prope* Secretarium, *quod nunc dicitur* S. M. de Febre.... *conditus est*. Ex quibus consequens est, *Oratorium S. Gregorii*, Ecclesiam *B. M. de Febribus* in posterum absolute fuisse nuncupatum. Sic etiam Attilius Serranus inquit [5]. *Dum ex Ecclesia exitur a dextera parte, juxta Portam* Judicii, *est vetustissimum* Secretarium, *quod nunc* S. M. de Febre *dicitur, ubi sepultus est S. Benedictus P. In Altari exstat antiqua V. M. imago, miraculis non obscura*. Item Sebastianus Fabrini disserens

1 p. 776.
2 de vil. Eccl. p. 52.
3 ibid. pag. 53.
4 T. I. col. 406.
5 de vil. Ecclesiis. Romae 1575. 8. pag. 29.

de Portis veteris Bas. scriptum reliquit [1]. *L' altra a man destra vicina alla* Cappella di S. M. della Febre, *si chiama la Porta del Giudicio, perchè per essa si portano dentro i morti per seppellirli.*

§. V.

De tabulis lapideis Gregorii III. *ad novi Altaris, in Oratorio Gregoriano, ubi collocata fuit Deiparae imago, ornatum diffractis.*

In fabricae usus, dum hoc Altare exstruebatur, misere detruncatas fuisse putat Phil. Dionysius [2] celeberrimas *Gregorii* III. tabulas lapideas, quarum fragmenta nunc in Bas. Vat. hypogaeo ad meridiem, in *Capella S. Mariae de Febri*, vel de *Porticu* adservantur. Alteram enim earum partem ad Altaris frontem ornandam, alteram ad pavimentum sternendum adhibuerunt. Quod palam quivis potuit dignoscere, quum prius earum fragmentum, dum haec ara relligione liberaretur an. MDCVIII, repertum est, ac posterius in ejusdem pavimento anno MDCXVIII, uti Grimaldus [3] enarrat.

Hae sane Vegii aetate integrae visebantur, qui de veteri Templo *S. Stephani* verba faciens, de iis etiam haec habet [4]. *Neque vero licet multis in locis antiquis de eo mentio fiat, aliquid tamen vetustius legi, quam duas tabulas marmoreas, positas in utroque latere Oratorii S. Mariae in Cancellis, quarum auctor Gregorius III. Videmus ibi nonnulla, quae infra, quum ad Oratorium ipsum vetustum* (ventum) *fuerit, dicemus, statuisse observanda a Congregationibus trium Monasteriorum, apud Basilicam S. Petri po-*

1 Dichiarazione del Giubileo dell'anno S. Roma 1575. 8. p. 29.

2 p. 14.

3 Instrumenta Authentica translationum p. 170.

4 n. 112. p. 80.

sitis, ipsique servientibus, SS. scilicet Ioh. et Paulli, S. Stephani, et S. Martini.

Verum, quum veteris Basilicae pars, in qua exstabant, solo aequata fuit, ut laxius novi Templi area explicaretur, insignia haec marmora, mutila, ac diffracta, una cum aliis monumentis, magna ex parte interciderunt. Quam Basilicae ruinam, ut omnes sacrarum antiquitatum, et bonarum artium amatores adhuc dolent, aegerrime tulit Mich. Angelus Bonarota [1], et Bramantis audaciam, nimiamque celeritatem accusavit, quod, ut citius veteris Basilicae parietes dissolverentur, ac nova moles assurgeret, pretiosas Columnas a Constantino erectas prostraverit, in plures partes diffractas, quas in novam Aedem servare commode poterat, et quamplurimas picturas, musiva opera, Pontificum, insigniumque Virorum imagines, atque inscriptiones everterit. Verum, quae in priori omissa fuit cura, in posteriori Bas. partis orientalis demolitione sub Paullo V. feliciter adhibita est. Quum enim providentissimus Pontifex, uti constat ex supplici libello, qui exstat in Archivo Vaticano, exoratus fuisset, ne misceri, confundique omnia pateretur, ut olim Iulius II, numquam satis laudando decreto mandavit, antequam vetus, quae adhuc stabat Basilica, dirueretur, eam in paginis accurato calamo delineari, ex quibus deinde in Cryptis Vaticanis, ab eodem Pontifice exornatis, coloribus fuit expressa.

Ceterum, ut ad marmoreas Gregorii tabulas revertamur, in iis Phil. Dionysius [2], rejectis aliorum [3] sen-

1 Condiv. in ejus vita p. 74.

2 pag. 11.

3 V. Turrig. p. 68. Ciampinium. p. 101. de Sacr. Aedif. Epiph. Gizi. p. 56. Scholiastam Venetae edit. Concilior. T. VIII. pag. 218. Labbeum. Tom. I. p. 541. Ioh. Dom. Mansium. in supplem. ad Con. Veneto-Labbeana. Ioh. Christ. Amadu-

tentiis, gesta Synodalia inscripta fuisse putat ad Conciliare decretum, seu privilegii definitionem habitam in Vatic. Basilica, qua *Gregorius* III. [1] sanxit, ut in honorem Domini Salvatoris, Sanctaeque ejus Genitricis, Sanctorum Apostolorum, omniumque SS. Martyrum, et Confessorum, perfectorumque Justorum, toto Orbe Terrarum requiescentium, a trium Monasteriorum Monachis, et Missarum sollemnia a Presbyteris hebdomadariis, in Cella ab se, ad ortivam faciem australis parastatae, sustinentis arcum principem, seu triumphalem Vatic. Bas. exstructa celebrarentur. Ac propterea haud vana conjectura arbitratur, Frontonem [2], aliosque Viros eruditissimos [3] originem sollemni diei *pandicularis*, aut *communicarii*, honori Caelitum universorum tributi, non ex *Gregorio* IV, uti plures Scriptores [4] contendunt, sed ex hac *Gregorii* III. constitutione repetendam judicasse; eodem modo, quo Festi omnium Martyrum institutio *Bonifacio* IV. attribuitur, quae tamen ab altera distinguenda est, quae non multo post Pentecosten [5], in Dominica omnium SS. [6] peragebatur.

Nunc igitur referam, quae in utriusque lapidis fragmentis idem Dionysius reipsa exstare tradidit, relligioni

tium. nella Dissertazione de Officio Archidiaconi. p. 21.

1 Anastas. in ejus vita. Petr. Mallius §. 2.

2 in Kal. Rom. ad diem 1. Nov.

3 Hugo Menardus, Mabillonius, Sollerius, Franc. Pagius. in Brev. ad Vit. Ben. IV. Meratus. in observ. ad Gavant. in rubr. Brev. Sect. VII. c. XIII.

4 Le Cointe. T. VII. Annal. pag. 26. Gaspar Barthius. ad Guil Britonem p. 50. Thom. Ittigius. Observatio de festo omnium SS. Ext. in Misc. Lipsien. T. I. pag. 300. Steph. le Moine. in notis ad varia Sacra p. 964. Marinus in vita Procli. c. XXXVI. Baronius. in Martyr. 1. Novemb. Lazeri Consecrazione del Panteon fatta da Bonifazio IV. Roma 1749. pag. 13.

5 Chrysost. hom. LXXIV. de MM. totius Orbis. T. I. p. 895.

6 Allatius de Hebdomadis, et Dominicis Graecorum n. XXXI. V. Binghamum de generali omnium MM. festivitate. T. IX. p. 259.

mihi ducens, ne transversum quidem, quod ajunt, unguem, ab ejus editione recedere [1].

ROTHEOPHANIOSERGIOIORDAN
SEVIOHANNEADSTANTIBVSQVOQVEDIA
CONIB: MOSCHOARCHIDIACONOZACCHARIA
IOHANNE . THEOPHVLACTOATQVEGEMMVLO
VELCVNCTOCLEROANTEFATVSDOMNVSGRE
GORIVSAPOSTOLICVSPAPADIXITREDVCOAD
ANIMVMSCISSIMIFRATRESMEIQVALIAMIHI
ETQVANTAMIRABILITERXPS. DS. NOSTERCON
TVLERITBONAETQVOMODOMEINDIGNVMAD
TANTIAPICISSVAPIETATEDIGNATVSFVERIT
EVOCAREETSTVPESCONIHILALIVDVALENS
RETRIBVEREPOTENTIAEEIVSNISISOLASAGE
REGRATIASETINDESINENTIPRECEGLORIOSVM
EIVSCONLAVDARENOMENQVISENIMVTAIT
PROPHETALOQVATVRPOTENTIAS. DNI. AVDITIS
FACIATOMNESLAVDESEIVSVELQVIDRETRIBVAM
DNO. PROOMNIBVSQVERETRIBVITMIHICALICEM
SALVTARISACCIPIAMETNOMENDNI. INVOCABO

TRAES
GREGORIVS *Sanctissimus* . . . .
APOSTOLICVS *Papa dixit* . . . .
SCISSIMIINTEN*tio mea e* . . .
POSITIONIEAQVAEA*nobis Christi* . . . .
QVORAMBEATIPETRI . APO*stoli* . . . . .
SVBINTERDICTVANATH*emate* . . . . .
SCTISSIMIEPISCOPIETVENE*rabiles Presby*
TERI . RESPONDERVNT . GRA*to duci* . . .
TERDICTVAPOSTOLICAE *auctori* . . .
HAECQVAESALVBRICONS*ideration* . . . .
VISASVNTSTABILIRIDEB*eant neve*
QVISAVDEATEXSISTERET*emerator*
GREGORIVSSCISSIMVSACB*eatissimus Apos*
TOLICVSPAPADIXITSIQV*is contra*
PRIVILEGIIDEFINITIONEMVE*nire temptave*
RIT . ANATHEMASIT . ETRES*ponderunt om*
NESTERTIOANATHEMAS*it*
GREGORIVSGRATIADIEPIS*copus Ca*
THOLICAEATQVEAPOST*olicae Vr*
BISROMAE . HVICPRIVILE*gio*

1 Tab. IV, et v. p. 8. Torrigio Grotte Vat p. 70. Ciampini de Sacr. Aed. p. 101. Gizi descriz. della Bas. Vat. p. 56. Alveri Roma in ogni Stato Part. II. pag. 188. Gio. Battista Vaccondio Notizie Istoriche delle IV. Basiliche. Roma 1700. 12. p. 121.

Ad hanc etiam *Oratorii Gregoriani* Cellam, praeter alia monumenta, quae supra [1] descripsimus, omnino referenda esse suadet temporum ratio, quae in Necrologio obversantur, in hunc modum. *A dì* 5. *Settembre* 1565. *morse el Rmo Cardinale Palsgut* (sic) *posto nella* Febre.

Sed tandem, quum Paullus V. Vaticanum Templum augere, et numeris omnibus absolutum, Romanorum, et Advenarum oculis proponere statuisset, hoc etiam Oratorium, a *Gregorio* IV. constructum, cui postea *S. M. de Febribus* nomen adhaeserat, una cum locis continentibus, solo aequandum fuit. Haec enim habemus apud Grimaldum [2] *de dissecratione Altaris S. M. de febribus, die* VII. *Augusti* MDCVIII. *R. D. Germanicus Fidelis Canonicus Major Sacrista, apponendo manum elevationi marmoreae tabulae Altaris, siti in apsida Aediculae S. Mariae de Febribus, juxta Porticum ipsum dissecravit. In sigillo Arae erant reliquiae involutae serico, quarum nomen oblitteravit vetustas, cum granis incensi, quas in Sacrarium reverenter detulit. Super quibus etc.*

Quumque, praeter hujusce *Oratorii Gregoriani* B.V. deinde dicati, ac super *antiquissimi Secretarii* ruinas erecti positum, nos etiam ejus longitudinem, âc latitudinem docuerit Grimaldus, utrumque ab eo, quem Turrigius [3] etiam sequutus est, praestat recipere [4]. *Dictum* Secretarium, *cujus major pars, dimidium scilicet ampli cubiculi, etiamnum cernitur longa vetustate informe, et hominum incuria obsoletum, ad scopas, et scamna continenda conversum est. Ex fornicis autem crassitudine, parietibus, aliisque vestigiis, periti Caementarii, antequam illud demolirentur, quid de longitudine,*

1 p. 742.
2 in lib. Instrum. p. 111.
3 in lib. Instr. fol. 60.
4 p. 436.

et latitudine judicarent, a me interrogati, longitudinem fuisse palmorum circiter LXXX. *latitudinem* XXXX. *dixerunt*.

§. VI.
De secunda, ac tertia Imaginis Translatione.

Hoc loco, ea quae a nobis paullo ante [1] de Bull. Vat. editoribus dicta sunt, quoniam huc etiam pertinent, velim, cogitatione, atque animo repetantur. Ii enim quum, Deiparae imaginem in Altari SS. *Andreae, et Gregorii* a *Pio* II. erecto collocaverint, *hoc Sacello exciso* [2], *Paulli* V. *jussu in Cryptas Vaticanas* eamdem delatam fuisse tradunt. Quod tamen factum esse constat ferme biennio post, quum *Oratorium Gregorianum*, in quo reipsa exstabat, excisum fuit. Fons autem erroris fuit *Gregorii* nomen, quod pariter Oratorium a *Gregorio* IV. exstructum, ubi erat B. V. imago, et anno MDCVIII. dejectum, atque Altare a *Pio* II. *Andreae, et Gregorio* consecratum, et an. MDCVI. solo aequatum, praeseferebat. Hinc enim factum, ut unum cum altero non satis caute permutarent.

Interim, everso *Oratorio Gregoriano*, quum aliò B. V. imago adsportanda esset, in Cryptas Vaticanas revera delatam fuisse patet ex Vrbani VIII. literis, quas infra subjiciam. Verum celeriter e sacris illis cryptis egressa, rursus in conspectum, atque in lucem revocata est. Vt enim, una cum aliis, tradit Bonannius [3], in sinistro Cellae latere collocata fuit, quae primum Basilicam ingredientibus dextera occurrit. Hodie tum *Pietatis* nuncupatur, e celebri Deiparae Christum Dominum e Cruce depositum in sinu gestantis simulacro, quod illuc, uti declarabimus, an. MDCCXLIX. translatum fuit, ibique po-

1 p. 1299. 2 T. III. p. 244. 3 n. 13. p. 23.

situm, ubi antiquitus *S. Nicolaus Bariensis* colebatur, ac postea lignea Christi Servatoris e Cruce pendentis imago, a Petro Cavallino in antiquum morem affabre exsculpta, quae nunc ad dexterum ejusdem Cellae latus, una cum D. Nicolao, et Bas. Vat. reliquiis illuc e dejecto *Sacrario* translatis, in alia Cellula a Bernino exstructa, et a Karolo Marchionni eleganter ornata adservatur [1].

Id autem, ut alios praeteream, Aringhius luculenter confirmat, ubi ait [2]. *Basilicae* Sacrarium *intuentibus patet*, *quo titulo* S. M. de Febribus *postea decoratum fuit*, *a quadam nimirum BB. Virginis imagine*, *hujuscemodi desumpto vocabulo*, *quae jugi ibidem Fidelium venerationi exposita erat*, *et hac quoque nostra aetate in postremo novae Basilicae Sacello*, *quod SS. Crucifixo dicatum est*, *pari devotione colitur*.

§. VII.
De ejusdem imaginis Coronatione.

Quum crebrior in dies ad eam in nova hac Cella fieret Populi frequentia, et fusis ad eam precibus praesens auxilium, et incolumitatem quamplures consequuti essent, Comes Alexander Sfortia Pallavicinius Placentinus, novo decore ornandam curavit. Quum enim certam pecuniae summam legasset, ut celebriores Deiparae, cujus erat studiosissimus, imagines a Clero Vaticano identidem aurea corona redimerentur, an. MDCXXXI, eo etiamtum superstite, sacra haec B. V. imago omnium prima, quotquot in Vrbe sunt, novo hoc ornamento fuit insignita, uti praeter Crescimbenium [3], et Martinettum [4],

1 Sagrestia Vaticana eretta dal regnante Pont. Pio VI. Roma 1784. 8. p. 30.

2 T. I. p. 213.

3 Memorie Istoriche di S. M. delle Grazie in S. Salvatore in Lauro. 1716. 8. pag. 28.

4 T. II. p. 219.

refert Sindonius [1], qui luculentius de eadem re disserere cogitaverat, *in Sacrarum Imaginum*, quae hactenus id novi decoris acceperunt, *Catalogo*, quem morte interceptus publici juris facere non potuit, atque adhuc ineditus in Bas. Vat. Archivo adservatur. Ceterum pientissimus Alexander vetustissimum morem Deiparae imagines aureis, argenteisve coronis ornandi, revocasse, potius quam instituisse videtur, quem in usu fuisse constat, usque ab aevo Gregorii III, de quo apud Anastasium scriptum legimus [2]. *Imaginem S. Dei Genitricis habentem diadema aureum cum gemmis, et inaures pendentes cum sex hyacinthis*. Alia vero, si lubet, hujusdemmodi coronationum exempla, e sacris Vrbis aedibus, ac Coemeteriis repetita, vide sis apud Catalanum [3], qui praeter ordinem servandum in hoc ritu peragendo, ab se recusum, accuratum elenchum protulit Deiparae imaginum, quae usque ad an. MDCCXXII. non modo in Vrbe, (quod etiam, ceteris adjectis ad nostra usque tempora, haud ita pridem praestitit Cl. Marianus Parthenius [4]), sed ubique gentium, aurea corona sunt insignitae.

Atque heic cum Joh. Filesaco [5] observare liceat, parem Gentilium, ac Christianorum mentem hac in re minime esse; etsi vel ii radiatos orbiculos, lunulas, corollas, nimbosque Statuarum capitibus frequenter adjiciebant [6]. Nihil enim vitii, ac superstitionis inest in hoc

1 p. 91.

2 T. II. p. 48.

3 Pontif. T. II. p. 283.

4 Le Sacre Basiliche. Roma 1781. 8. pag. 298.

5 in dissertat. de SS. Imaginum Capite radiato. in ejus Select. lib. I. pag. 61. Paris. 1621. 4. Exst. in Tom. III. Discipl. Popul. Dei pag. 101. edit. Zaccariae.

6 Aristophanes. Amm. Marcellinus. l. XVII. et XXV. Florens Christianus. in not. ad aves Aristophanis vers. 1114. Latius. lib. IX. Comment. Reipubl. Rom. Jos. Stephanus Valentinus. de Coronatione Rom. Pont. Johann. Daniel Major. in Serapide radiato. Barthius. l. IV. 17. Adversar. Be-

observantiae, cultusque genere, quod sanctis imaginibus praestatur. Siquidem, ut ait Honorius August. [1], *lumina, quae circa Capita Sanctorum in Ecclesia in modum circuli depinguntur, designant, quod lumine aeterni splendoris coronati fruuntur. Iccirco vero, secundum formam rotundi scuti pinguntur, quia divina protectione, ut scuto, nunc muniuntur.*

Sed, ut ad nostram Deiparae effigiem, omnium primum Coronae honore auctam redeamus, quis Sindonio, qui rem plenius, atque inquisitius pertractaverat, merito, ac jure non adsentietur, potius quam Barpth. Plazzae [2], qui imaginem, quae in Farnesiano Templo colitur, primum ab eodem Alexandro coronatam fuisse tradidit? Verum Sindonio magis habendam esse fidem quisque, opinor, concedet, maxime quum Concetius Caroccius [3] de ejusdem imaginis gloria mire sollicitus, hujusmodi coronationem anno dumtaxat MDCLXXVI. obtigisse fateatur.

gerus. T. II. Thesauri Brandeb. p. 528., et T. III. p. 444. Nicasius. de Numo Pantheo Adriani p. 29. Sponius. Miscell. p. 185. Iunius. de pictura Veterum p. 24. Raynaudus. de Pileo §. XVIII. Kirckerus. Obelisc. Pamphil. p. 282. Gisb. Cuperus. lib. II. c. XVI. Observat. Alexander Wilthemius. ad Dypticbon Leodiense p. 20. Ant. Fylesius. de Coronis. And. Bosius. *στεφανοφορία*, seu de coronarum gestatione. Ienae 1669. 4. Conr. Stiglizius. de Lunatis Veterum gentilium insignibus. Erfodiae 1749. Ioh. Reiskius. de Nimbo divino. in II. Fasciculo dissert. Schlaegerii. Helmstadii 1743. Anselmus Costadonius. in Explicatione tabulae graecanicae Icon. S. Crucis referentis. et in T. III. Symb. lit. dec. Flor. p. 21. Bonarotus Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi di vetro. Firenze 1716. Gorius. de mitrato I. C. capite. Ioh. Behm. de Nimbo Sanctorum. Regiomonte. 1716. 4. ac praesertim Karolus Paschalius in opere de coronis, in quo res omnis coronaria e priscorum collecta monumentis continetur, cum notis diversorum; et Iohan. Nicolai Dissertatio de Nimbis antiquorum, quae imaginibus Deorum, Imperatorum *αποθεωθέντων* olim, et nunc Sanctorum capitibus appingi consuevere. Ienae 1699. 12.

1 lib. I. cap. CXXXIII. *de Corona in Ecclesia*.

2 Efem. Vat. per i pregi d'ogni giorno della Bas. di S. Pietro. Roma 1687. 4. p. 225.

3 Il Pellegrino guidato alla visita delle immagini più insigni della B. Vergine M. in Roma. T. III. p. 92.

Incredibile dictu est, quanta ex hac insueta coronatione facta fuerit cultus accessio ad hoc B. V. Altare. Quae res movit Vrbanum VIII, ut omnibus, qui ejus imagini supplicatum venissent, et criminum confessione rite abluti, Sancta de Altari reverenter libassent, atque rem christianam relligiose Deo commendassent, anno MDCXLIII, Indulgentiae thesaurum subjectis literis largiretur [1].

Praeterea affert Sindonius [1] edictum lingua vernacula, tum propositum in hunc modum. *La Santità di N. S. Papa Vrbano* VIII. *concede Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati a tutte quelle persone, che confessati, e communicati devotamente visiteranno la Basilica di S. Pietro, ed in essa la* Capella della Madonna della Febbre, posta vicino all' Altare del SS. Crocifisso, *il giorno della Purificazione*. Haec eadem diserte confirmat Alverus, inquiens [2]. *Si ritrova in questa Cappella un Altare, dove è un' Imagine*

1 Vrbanus PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quum, sicut accepimus, antiquissima imago, B. M. *de Febri* nuncupata, jussu dilecti Filii nostri Francisci, S. Laurentii in Damaso Diaconi Card. Barberinii nuncup. S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex Fratre Germano Nepotis, et Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe, ex concessione, et dispensatione Apostolica Archipresbyteri, *ex Altari subterraneo ejusdem Basilicae, ad Cappellam prope Altare SS. Crucifixi* existentem, pro majori ejusdem Virginis veneratione, decoreque translata fuerit, nos ad augendam Fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, et sacra Communione refectis, qui praefatam Basilicam, et in ea Cappellam, in qua, ut praefertur, collocata est dicta imago B. M. V. de febri nuncupata, hujusmodi die festo Purificationis B. M. V. a primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Januarii 1643. Pontificatus nostri vigesimo.

2 p. 90. 3 Roma in ogni Stato P. 1I. p. 176.

della B. V. detta della Febre. *Sopra la Porta di detta Cappelletta, o Altare si leggono in marmo le seguenti parole. Venerabilis, ac vetusta Imago S. Dei Genitricis Mariae Imago* de febribus *nuncupata, hac in Aedicula, Vrbano Octavo P. M. Fidelium devotioni exposita, anno Sal.* MDCXLIII.

§. VIII.
Quarta Imaginis translatio innuitur.

Denique haec B. V. Imago, veluti postliminio, ad pristinam *Templi rotundi* sedem restituta est; quamquam in alia Templi parte fuerit collocata, ut paullo infra planum fiet. Ejus autem loco, in parvulo Cellae Cubiculo, una e XII. Columnis vitineis [1], seu striis ad modum vitis retortis, olim ante Aram principem Bas. Vat. a Silvestro P. erectis, collocata fuit. Hanc Mallius, Vegius, Panvinius, Turrigius, Severanus, Ciampinius e Dianae Ephesinae, seu Trajano Apollinis Templo, una cum ceteris a Constantino M. translatam; alii vero e Salomonis Templo advectam credunt. Hanc columnam *Sanctam* appellare, eamque Fideles magna prosequi solent veneratione. Quare Cardinalis de Vrsinis an. MCDXXXVIII. eam ferreis cancellis munivit, hujusmodi apposita inscriptione. *Haec est illa Columna, in qua D. N. I. appodiatus dum Populo praedicabat, et Deo Patri preces in Templo effundebat, adhaerendo stabat, quae una cum aliis* XI. *his circumstantibus, de Salomonis Templo in triumphum hujus Bas. hic locata fuit, Daemones expellit, ab immundis spiritibus vexatos, liberos reddit, et multa miracula quotidie facit, per Rev. P. et D.*

1 *Alpharanus in mss. descriptione vernacula Basilicae Vat.* La Cappella della B. V. Maria ad Presepe fatta da Io. VII. tutta incrostata de marmori, et pitture, musaici inaurati, con colonne dua vitinei intorti.

Card. de Vrsinis ornata , anno D. MCCCCXXXVIII. Quam porro virtutem Daemones, qui hominum corporibus insident, aut ejiciendi, aut saevientes refraenandi, eidem Columnae praeter Alpharanum [1], Turrigium [2], Alverum [3], Sindonium [4], Gallettum [5], aliosque, tribuit etiam Panvinius hujusmodi verbis [6]. *Altare S. Bartholomaei vetustum, et magnae devotionis, cui proxima erat columna marmorea intorta, vitibus ornata, quae adhuc in Ecclesia nova ibidem prope exstat, cui tantam Deus virtutem praestitit, ut qui a Daemonibus arrepti sunt, apud eam divinis habitis supplicationibus liberantur; quod multis jam certis, magnisque exemplis compertum habemus.*

Post imaginis *D. N. M. Febrifugiae* discessum, Probi Anicii, Probaeque Faltoniae Sarcophagus, ex pario marmore, opereque anaglyptico, translatus a Templo, quod ab ejus Vxsore excitatum, *Probi* dicebatur, quum ad novae Basilicae constructionem inchoandam a Nicolao V. disjectum fuit [7], ad S. Thomae Oratorium in meridionali veteris Templi parte, (minime vero ad Aedem Sancti Thomae, vico Parionis, ut tradit Bottarius [8]), ibique in Fontis Baptismalis usum conversus, usque ad Paulli V. aetatem; postea ex hypogaeo Vaticano in novam Basilicam illatus, variisque locis dimotus, in hoc demum cubiculo collocatus est; uti Joh. Christophorus Battellus [9] docet, qui veterem hunc Sarcophagum in anteriori

1 ms. pag. 22. A dì primo de Marzo 1544. fu trasportata la Colonna Santa dal loco, dove stava, a quel Nicchio novo, dove è adesso, senza toccar terra. Il loco, dove stava però, era fra l' Altare magg. et dove sta adesso al piano della Chiesa, et non era coll'ordine degli altri.

2 p. 50.

3 Roma in ogni Stato P. II. p. 176.

4 p. 7.

5 T. I. Inscr. Rom. p. cc.

6 de vil. Eccl. p. 43.

7 Vegius initio lib. IV. Turrigio Grotte Vat. p. 384.

8 T. I. Rom. subt. p. 55.

9 De Sarcophago marmoreo Probi Anicii, et Probae Faltoniae in Templo Vat. Romae 1705. 8.

facie delineatum apud Baronium [1], et in omnibus partibus apud Bosium [2], Bottarium [3], et Dionysium [4], erudita dissertatione illustravit.

Sed satis jam verborum de variis B. M. *febrium* translationibus. Nunc pauca de iis etiam imaginibus praestabit adjungere, quas, quum eumdem titulum *de febribus* sibi adsciverint, nonnullam interdum apud Scriptores, qui unam pro altera facile commutarunt, obscuritatem induxisse constat.

CAPVT X.

De ceteris Imaginibus B. M. Febrium nomine insignitis.

Ceteras *D. N. M. Febrifugiae* cognomine imagines, numero *tres*, anteactis temporibus, fuisse deprehendi. Itaque sejunctim, unam post alteram, attente inspiciamus.

§. I.

Prima Imago ejusdem nominis in Vaticano sita describitur.

Phil. Dionysius [5] exhibet B. Virginis Imaginem, puerum Jesum in ulnis gestantis, quae a Simone Memmio Senensi pictore, in muro coloribus expressa fertur Seculo XIV, quo idem floruit, uti Franciscus Petrarca testatum reliquit, qui eum suis versibus celebravit, quod Laurae suae vultum affabre delineaverat. Haec autem imago sita erat, ut refert Alpharanus [6], *in intercolumniis Porticus in pariete vetustissimo, instar Sacelluli exstructo, a facie Orientis*. Inde anno MDLXXIV. Gregorius XIII. in

1 ad an. 395. 2 lib. II. c. VIII. 3 T. I. Rom. subt. p. 53. 4 tab. 82. et 83. 5 Tab. VI. 6 n. 136.

Oratorium Gregorianum, quô jam vetustior *B. V. de febribus* imago e Templo rotundo translata fuerat, et Oratorio nomen dederat, deferri curavit.

Verum, quum antiqua pars Basilicae, et hoc *S. M. de febribus* Oratorium, novi Templi perficiendi caussa, diruenda essent, una cum celebriori B. M. *Febrium* imagine, item in Cryptas Vaticanas translata est. Haec autem effigies in ambitu Confessionis Principis Apostolorum, ad latus meridionale collocata fuit, adjecta hac inscriptione, quam Paullus V. apponi jussit. *SS. haec Deiparae Virginis imago, ut antiqua habet traditio, inter Columnas Porticus veteris Basilicae, impia manu in facie percussa, sanguinem fudit supra tres istos lapides ferrea crate munitos, ex Aedicula S. M. de febribus, ad quam sub Gregorio* XIII. *ex Porticu translata fuerat, e ruinis servata, anno* MDCVIII. *hic reponitur, Paulo* V. *Pontifice Maximo*. Hanc Inscriptionem refert [1] Janningus, apud quem menda irrepsit. Nam ibi legitur anno MDCVI, pro MDCVIII. Item Turrigius, qui bis eam edidit, primum *Paullo* V [2], deinde posuit *Vrbano* VIII [3]. Recte tamen eam protulerunt Alverus [4], et Dionysius [5].

Elapsis vero annis XXIII, nimirum anno MDCXXXI. die XXI. Februarii, Turrigio teste [6], eidem Imagini decentior locus constitutus, et ad Altare Cellae, quod exstat in eodem Confessionis ambitu, translata fuit, ubi promiscue appellatur *S. M. in Porticu*, aut *de Febre*, sive alio cognomine *della Boccia* [7], aut *della Bocciata*. Prior titulus is certe fuit, quo primum apud vulgus vocari consuevit, e situ, ubi colebatur; nimirum, Turrigio do-

1 p. 152. 2 p. 34. 3 134. 4 Roma in ogni Stato P. II. 187. 5 de Crypt. Vat. p. 15. 6 p. 133. 7 Alveri loc. cit. p. 203.

cente [1], *fra le Colonne del Portico della vecchia Basilica, nuncupata Madonna del Porticale*. Alter vero, qui imagini vetustate, et miraculis celeberrimae, quae usque ad nostram aetatem, in dejecto Basilicae *Sacrario* exstitit, proprie convenire videtur, huic etiam adhaesit, quod una in *Oratorio Gregoriano* coli coepta est, unaque, eo exciso, in Cryptas Vaticanas delata, ac facile cum ea propterea commutata. Denique postrema denominatio *della Bocciata* [2], ex eo venit, quod globulo lusorio percussa, sanguinem effudisse perhibetur, ut patet ex allata inscriptione, et ex tribus etiam lapidibus eo sanguine adspersis, qui hodieque prope ipsam imaginem custodiuntur, et a Dionysio [3] exhibentur.

Haec eadem miracula Deorum, Dearumque imaginibus Pagani affingere non dubitarunt, ut constat apud Plutarchum [4], Athenaeum [5], Dionysium Halicarnassaeum [6], Lucianum [7], et Freinshemium [8]. Praeterea loquitur de imagine sanguinem sudante M. Tullius in lib. I. de divinatione; aliaque item exempla, praeter Bulengerum [9], collegit Christianus Flemingius in tribus dissertationibus de loquela, sudore, et motu imaginum [10].

1 p. 33. 434.

2 *Alfarano descr. mss. della Bas. Vat.* A mano sinistra infra due altre colonne del detto portico vi è una bella immagine della gloriosa Vergine Maria antichissima, nel qual loco si vede certe pietre ferrate in terra, con segni di esser caduto sangue miracolosamente dalla d. Immagine, et qui se crede, fusse stato prima sepolto S. Gregorio primo, quale Immagine intieramente l'anno 1574. fu trasferita dentro al Secretario di S. Pietro, non molto discosto da questo loco, et bene adornata col bello Altare, et postovi anco li detti petri de marmore con craticole di ferro, dove se credeva esser cascato il sangue della Madonna.

3 Tab. IX. num. 2. 3. 4.

4 in Camillo p. 132. et in Coroliano p. 232.

5 de Veneris imagine mirasulosa c. XV. pag. 676.

6 de imagine Fortunae muliebris loquuta. lib. VIII. p. 526.

7 in Deorum Concilio T. II. p. 71.

8 ad Flori lib. II. c. 8. n. 2.

9 de prodigiis, sudore, aut sanguine manantibus. in T. V. Thes. Graev. p. 465.

10 Lipsiae 1705.

Haec itaque illa eadem est imago, de qua obiter supra [1] loquuti sumus, quaeque, ut ait Turrigius [2], *fu posta vicino a quella delle Febbri*, in Cellula Oratorii Gregoriani, *detta di Gio. Guidetti, perchè ivi era sepolto. Si ha per antica tradizione, che questa sacra imagine fu da certi empi percossa nella faccia, onde subito ne uscì sangue, et hora vi si vedono tre pietre in alcuni luoghi incavate dalle gocciole del sangue, che cadde in terra, e tali pietre sono bianche, coperte di grata di ferro*. En igitur, cur idem *Guidettus* in Necrologio sepultus dicitur *presso la ferrata*, cum inscriptione superius allata, quam item Cl. Gallettus evulgavit [3].

Quae quidem recentiores denominationes quum veterem illam *S. Mariae in Porticu* aboleverint, nonnullis etiam fraudi fuerunt, ut cum vetustiori, ac vera imagine *B. M. Febrium* commutarent. Hanc autem Caroccius [4], disserens de *imaginibus B. V.*, anno MDCXXXI. coronatam fuisse, falso ait. Nunquam enim id honoris ei contigisse, memoriae mandatum est, idque, uti monuimus [5], de antiquiori tantum *B. M. Febrium* imagine pronunciandum erat, quam tamen corona redimitam et ipse tradit, licet anno MDCXXXIV. perperam adscripto.

§. II.

Altera imago ejusdem nominis in Vaticano.

Alia etiam imago B. V. prodigiis conspicua, in Aedicula tertii Cryptarum fornicis, qui Boream respicit, collocata fuit, ut patet ex tabula Cryptarum ichnographica a Phil. Dionysio [6] evulgata, atque ex antiquiori *Benedi-*

1 p. 747. 2 p. 33. 3 Inscript. Rom. p. CCCXLV. 4 il Pellegrino guidato T. IV. p. 278. 5 p. 1308. 6 num. 57.

cti Drei, edita an. MDCXXXV, quae eidem Dionysio ignota fuisse videtur. Ibidem hujusmodi inscriptio apposita fuit, a Turrigio [1], et Alvero [2] allata. *Effigies haec Dei Genitricis Mariae erat in* antiquo Secretario, *quod postea dictum fuit Sacellum S. M. de febribus, hic anno* MDCXXXI. *sub Vrbano* VIII. *exposita*. Haec item a Dionysio [3] illustratur, qui delineandos curavit binos genios marmoreos juvenili aetate florentes, quum, ut ait Gulielmus Durandus [4], *nunquam senescant*, qui ad ejusdem Altaris latera conspiciuntur.

Sed ignoravit tamen vir eruditus, quem locum olim in veteri Basilica occupaverint, cuique usui fuerint destinati. Quam rem tanto ante Turrigius declaraverat, qui tamen falso hanc imaginem eamdem esse, atque alteram *B. M. febrium* existimavit. En tibi ejus verba [5]. *Vi era l'Altare con una divota Immagine di M. V. col Figlio in braccio tenente il Mondo in mano, depinta da un allievo di Pietro Peregrino, e sopra vi si leggeva*: Imago B. V. super januam ingressus Sacristiae olim posita, hic anno 1631. exhibita.... *Vi ardeva già di continuo una lampada, vi erano appesi molti segni votivi, e candele, e prima stava tra gli Altari di S. Andrea, e S. Tomaso, sopra la Porta dell'ingresso della Sacrestia della Basilica demolita, e quì fu trasportata al tempo di Paolo* V. *Fu poi levata nel* 1634, *e posta nella Cappelletta, dov'è la Colonna Santa* con Angeli di marmo, che stavano all'Altare del SS. Sacramento nella Basilica antica. Ac rursus alibi [6]. *Vedesi sotto la volta l'Altare, ove nel* 1631. *è stata posta, come si disse, una divota, et antica imagine di M. V.*

1 Grotte Vat. p. 436.
2 Roma in ogni Stato P. II.
3 p. 171. tab. LXVII.
4 in Ration. Div. Off. l. 1. num. 8. c. 3.
5 p. 284.
6 p. 434.



Effigies D. N. Mariae Febrifugiae, in Aede Rotunda veteris Sacrarii primitus cultae, et anno MDCXXXI omnium prima ab Alexandro Sfortia Pallavicino aureae coronae honore aucta, nunc in Cellam Sacrarii Beneficiariorum translata

Carloni sculp.

col figlio in braccio, depinta da un allevo di Pietro Perugino, e stava già nell'antico Segretario, *dove si vestivano li Pontefici solennemente, prima d'entrare nella Basilica, trasferitavi dal luogo, detto all'hora* Templum S. M. de Febribus, *che è hora la Sagrestia*.

Haec autem aperte demonstrant, Turrigium hanc eamdem imaginem pro ea habuisse, quam *B. V. de febribus* dicimus, sed magno, ut Sindonius [1] animadvertit, errore. Nam ea tantum effigies, quae in *Templo rotundo* primum colebatur; prope *Cellam SS. Crucifixi*, ubi nunc *Columna Sancta*, translata fuit, quae vero a Turrigio describitur, adhuc exstat in Aedicula tertii fornicis Cryptarum. Atque quum sit opus excellens, peritorum judicio, Petro Perusino assignatum, sive ab aliquo nobilissimi hujus pictoris alumno profectum, hoc unum satis ejus opinionem refellit. Siquidem vera *B. M. de febribus* imago, cujus heic exemplar ex Archetypo diligenter expressum apposite delineandum curavi, longe vetustior certe est, et multo ante Petri Perusini aetatem depicta, quam nimirum ad Sec. XIV. referendam esse supra [2] ostendimus.

§. III.

Tertia Deiparae Imago de Febri nuncupata.

Nunc quoniam ad imagines delapsi sumus, quibus titulus *B. M. de febribus* a Scriptoribus adscitus est, pauca dicere juvabit de altera, quae re ipsa idem nomen *B. V. de Febri*, uti haec nostra, obtinuit. Age igitur e Cryptis Vaticanis, ubi hactenus versati sumus, egressi, Clivum Cinnae, nunc *Montem Marium*, qui distat a Vaticano mille fere passus, alacri animo conscendamus.

1 pag. 151. 2 p. 1288.

Idem Mons, variis nominibus a Scriptoribus indicatur. Nam in Ordine XIII [1], et a Platina [2] *Mons Malus*, in Ordine XIV [3], in Chronico Cassinensi [4], in Epitome Petri Diaconi [5], et a Ligurino [6] *Mons Gaudii*, a Blasio Baronio *Mons Maurus*, ab aliis etiam *Mons Aureus* nuncupatur. Sed tamen *Mons Marius* nunc vulgo audit, non a *Consule Mario*, uti Turrigius [7], aliique inepte existimarunt, sed a *Mario Millini* Equite Romano, qui floruit Xysti IV. aetate, ibique pulcherrimam Villam aedicavit. Ibidem Ioh. Victorius de Rubeis, seu Ianus Nicius Erythraeus [8] villulam suburbanam sibi coemit, quô frequenter secedens, salubrioris Caeli beneficio, et amoenissimo puri, ac patentis soli prospectu recreabatur. Praeterea anno MDCXXVIII, piorum largitionibus, ut tradunt Martinellius [9], et Caroccius [10], *B. M. de Febri* Templum e fundamentis excitavit, ejusque effigiem miraculis insignem, insequenti anno, publicae venerationi proposuit.

Quum autem Vrbanus VIII. anno MDCXLV. quamplurimis privilegiis eamdem ditaverit, et Sodalitii Mariae exoratae, quod ope ejus, hostes nominis Christiani devicti sint, Indulgentias concesserit, hinc Templum *SS. Rosarii, et de Febri* appellari consuevit, hodieque etiam appellatur. Nam inter Curiones, qui ex praescripto Benedicti XIV. [11] quotannis in Bas. Vat. feria v. in Coena

1 T. II. M. It. p. 231.
2 in Pasch. II.
3 loc. cit. p. 406.
4 lib. IV. c. XVII.
5 ab Aug. Patrit. Card. Piccol. dicata.
6 in Frider. Imper.
7 p. 261.
8 Sa vie. dans les Memoires de Niceron. T. XXXIII. p. 225. Ioh. Chr. Fischeri vita Iohan. Victorii Roscii, vulgo Iani Nicii Erythraei, una cum Erythraei Epistolis a Fischero editis. Col. Vbiorum 1739. 8.
9 p. 217.
10 Pellegrino guidato Tom. I. pag. 471. V. Galletti T. III. Inscr. Roman. p. DXVI.
11 T. III. Bull. Vat. p. 358.

Domini, sacrorum Oleorum, et Chrismatis confectioni, ac tum in Sabbato Sancto, tum in Pentecostes pervigilio, Fontis Baptismalis benedictioni interesse debent, *Prior Ven. Conventus B. M. Rosarii, et febris*, e Dominicana familia, ad *Montem Marium*, de more arcessitur.

Haec de *Imaginibus B. M. Febrium* censui proferenda. Nunc, quoniam omnium harum antiquissimam, in suam sedem rediisse observavimus, nos etiam rursus in idem Templum redeuntes, cetera ad primam ejus Cellam spectantia videamus.

CAPVT XI.

Reliqua de vetustiori Cella D. N. M. Febrifugiae exponuntur.

Haec autem Cella, quam unam e *septem* in totidem angulis antiquitus constitutis, fuisse diximus, sublata tum fuit, quum imago B. V. non *juxta*, sed in ipsum *Oratorium Gregorianum* illata est; eodemque loco bini aditus patefacti, per quos in *Cellam Xystinam*, sive *Subseliarium* ex una parte, ex altera in ipsum *Sacrarium*, e via publica transitus erat. Primi aditus testimonium praebet Attilius Serranus, qui describit [1] Cellam Xysti, *juxta Portam Sacrarii*.

Ad calcem operis nonnullas *Inscriptiones* rejecimus, quae in hac Cella antiquitus visebantur, ut indicio est Alpharanus, qui eas ita enumeravit. *Sed redeamus*, inquit [2], *ad nostrum intra hoc praedictum S. Mariae Sacellum. Sub pavimento multa Nobilium, et Magnatorum corpo-*

1 de vii. Eccl. p. 24.
2 n. 172. Dentro la Cappella della Febbre sono li sepolcri, ma non si ponno leggere le Iscrizioni, ma solo questi alla destra parte del Sacello, e dell' Altare.

ra condita fuisse audivimus , quorum nomina in marmore etiam insculpta exolevere . Sed paucis dicamus , ex quorum inscriptionibus haec excerpta sunt . In dextera parte Altaris sepultus est Henricus Dailman , Paulli II. *Cubicularius , et a sinistra Henricus de Zomrin , Doctor Theologiae , Xysti* IV. *PP. Cubicularius , et Ecclesiae Antuerpien. Decanus dignissimus . Ante hoc etiam Sacellum Bartholomaeus Maraschi Episcopus Castellanus , et Almae Vrbis Vicecamerarius , tempore Xysti* IV. *et Iacobus Breucetti Episcopus Nucerinus , sub diversis marmoreis lapidibus tumulata sunt , ut ex inscriptione liquet .*

Quae vero ad duos hosce Episcopos spectant , ut Sindonium [1] praeteream , confirmant Paullus de Angelis , et Karolus Fontana [2] ; qui tamen *Episcopum Nucerinum* ridicule appellat *Iacobum Brevetto* , quem mirificus ejus operis latinus interpres vocat *Iacobum Brevictum* , et *Episcopum Novariensem* , ut aliena errata , novis , ac suis cumularet .

Ad hanc Cellam omnino referendum esse duco , quod Jac. Volaterranus memoriae tradidit , de quodam Leone Cohortis Praetorianae Duce , in Coenobio Cryptae Ferratae a Columnensibus confosso , qui noctu ejusdem Coenobii claustra per vim irruperunt . Ann. MCCCCLXXXIV, inquit [3] , *Leonis Cadaver , sequenti die Veneris in Vrbem relatum , et Sabbatho elatum est funus , Pontificis Familia honorifice prosequente , atque in* Cellula B. M. de febribus *tumulatum .*

Item de hac Cella in libro *Benefactorum* haec prodita reperi [4] . 1I. K*al. Febr.* MCCCCXXXI. *Ista die Illma Dna Lucretia de Borgia donavit in Basilica nostra Cappelle beate Virginis* de Febribus *unam planetam de purpura , cum casula ,*

1 p. 85. 2 p. 86. 3 T. XXIII. rer. Ital. Murat. p. 197. 4 p. 16.

sive friso de broccato de auro pulcram . Orate pro felicitate , et salute sue dominationis Illme .

Alia etiam ab Alpharano praetermissa, aliorum Scriptorum ope, licet in medium proferre. Nam apud Vghellium legimus [1]. *Franciscus Gazzetta , quo Lucretia Borgia moderatore utebatur , ab Alexandro* VI. *Pontifice adlectus est Episcopus Perusinus die* 15. *mensis Octobris anno* 1498. *Romae decessit* 1499. *die* 29. *mensis Iulii circa* 20. *horam , insecutoque die celebri pompa tumulatus est in Vaticana Basilica , in* Sacello S. Mariae ad Febrem. *Consule Acta Consist.*

Haec autem tradit Thomas Thomasius de *Alphonso Aragonensi*, ejusdem *Lucretiae* Viro [2]. *Gli furono fatti i funerali , se non quali convenivano alla sua conditione , pure con qualche decenza , venendo accompagnato tra gli altri alla sepoltura da D. Francesco Borgia Arcivescovo di Cosenza , e Tesoriere Generale del Papa , e sepolto per modo di deposito in S. Pietro , nella* Capella di S. Maria delle Febri .

Item ex Libr. mortuorum, haec alia colligimus. *Domenica* 21. *Iugnio* 1545. *morse il Vescovo de Latri, sotterrato alla* Febre . Ibidem tumulatus fuit alter ejusdem Eccl. Antistes, de quo memoriae traditum fuit. *Domenica* 13. *Febraro* 1547. *morse M. Zacharia Vescovo d'Alatri sotterrato in S. Pietro* . Itemque *a di* 10. *Agosto* 1554. *Il Vescovo di Calglie sepolto in* S. M. della Febbre *in un deposito* . De eodem ita loquitur Vghellius [3]. *Ioannes de Monte , Bastiani filius Aretinus Iulii* III. *affinis adlectus est* 1550. *die* 21. *Mensis Iunii . Decessit vero* 1554. *Idus Augusti , quem pia liberalitate insignem egeni inconsolabiliter luxerunt .*

1 T. I. col. 1164.
2 La Vita di Cesare Borgia, detto poi il Duca Valentino. In Monte Chiaro appresso Gio. Baptista Vero. 1655. 4. et 1671. 12. p. 274.
3 T. II. p. 825.

§. I.

De Pietatis nomine, quo eadem Cella quandoque donata fuit.

Antequam ad alteram Cellam progredimur, aliud etiam huic nomen, Alverum tribuisse, animadvertendum est, qui in hoc loco [1] *Pietatis* Cellam ponit, et *quartam*, et *postremam* appellat. Hoc autem nomen mutuari certe debuit a celeberrimo augustissimae Dei Parentis Mariae Simulacro, sedentis, ac Filium exanimem sustinentis e pario marmore, quod vix Templum *S. Petronillae*, ubi prius collocatum fuisse vidimus [2], solo dejectum est, huc translatum fuisse scimus. Quod tamen non minus ignotum fuit Petro Mariette [3], quam eruditissimis Joh. Bottario [4], et Dionysio [5], qui statim e Templo *S. Petronillae*, ad Altare *Subseliarii* translatum fuisse affirmarunt.

Nunquam vero mihi persuadeam, ejusdemmodi nomen, alteri potius *SS. Andreae, et Iacobi Maj.* Cellae convenire, ubi inter Sepulcri, quod sibi Callixtus construxerat, ornamenta, marmoream *Pietatis* Statuam exstitisse demonstravimus [6]. Siquidem hoc liquidum plane fit ex ipso Alvero, qui referens *Henrici Dailman* inscriptionem, quam ibidem locatam fuisse diximus, hanc *pone Cellam Pietatis* positam esse scripsit.

Sed audiatur Bernardus Gamuccius, qui ita rem aperte declarat [7]. *Dove è la Chiesa di* S. M. delle Febbri, *nella quale è la maravigliosa, et divina effigie di marmo di S. M. delle febri, fatta dall' eccellentissimo Buonarroto..*

1 T. II. p. 206.
2 p. 1052.
3 in Observ. ad vit. Bonar. a Condivio scriptam in edit. tI. Florent. p. 69.
4 T. III. vit. Vasar. p. 202 edit. Palear.
5 p. 170. 6 p 1275.
7 Le Antichità della Città di Roma. Venezia 1565, e 1588. p. 189.

Ex quibus licet in Statuae nomine declarando lapsus fuerit, locum tamen, ubi sita erat, recte indigitavit.

Nam idem simulacrum in hoc Templo exstitisse, dubitandum minime est, quum id etiam in funebri Bonarotae laudatione diserte Varchius tradat, ubi de eo praedicavit. *Nè molto andò, che Guglielmo Brissoneto Card. di Roano, mosso dalla gran fama di Michel Angelo, e morendosi di voglia di haver alcuna scultura di sua mano, per memoria di sè, e del Re Christianissimo, ottenne, ch' egli gli facesse d'un pezzo solo di marmo quella Pietà, la quale si ammira hoggi nella Cappella della Madonna della Febbre.* Id etiam una cum Turrigio [1], et Bonannio [2], Laurentius Schraderus affirmavit, qui *in Catalogo sacrarum Aedium Vrbis* [3] ait. *S. M. de febribus, olim Martis in Vaticano. Heic Statua Michaelis Angeli Bonarotae*. Ac licet eorum testimonium deesset, illud suppeteret Georgii Fabricii, qui haec habet [4]. *In Vaticano olim Martis, ad sinistram Basilicae S. Petri, rotundum, et parvum. In eo Statua Virginis mortuum Filium tenentis, et lacrymanti similis, opus Michaelis Angeli, e lapide candidissimo*. Quare censura notandi certe sunt, non tam Alpharanus [5], et Ciampinius [6], quam Panvinius ipse, qui eos, ut supra [7] innuimus, in errorem induxit. Nam sibi repugnans [8] in *antiquissimo Secretario*, seu potius in *Cella Gregoriana*, ubi imago *B. M. de febribus* aliquamdiu stetit, insignem hujusmodi Statuam *in novissima Cella* exstitisse tradidit, hujusmodi verbis. Secretarium erat locus *praecipuis Vrbis Basilicis adjunctus. In hoc Oratorio, sive* Secretario *exstat*

1 Grotte Vat. p. 531. 2 p. 115.
3 in Schotti Itiner. lib. II. p. 326.
4 In descript. Vrbis Romae pag. 269. Basil. 1527. 1551. 1560. Helm. 1670. 4. et in A. Thysii Roma illustr. Amst. 1615. 12. et in T. III. Thes. Graevii.
5 p. 52. 6 p. 83. 7 p. 749.
8 T. II. ms. p. 136.

imago B. V. Filium mortuum amplexantis, ex uno marmore pario, admirabili Michaelis Angeli Bonaroti opere facta, impensa Cardinalis S. Dionysii, quem Oratorem Regis Francorum Alexander VI. *purpurae honore decoravit*. Quae et Alpharanus confirmat, qui Simulacrum in tertia hujus *Secretarii* Cella locatum fuisse scripsit [1].

Verum idem nomen *B. M. de febribus*, quod *Cellae Gregorianae* aeque, ac *Sacrario* nuper exciso adhaesit, in caussa fuit, ut primam pro hoc altero perperam acceperint.

Heic autem, quousque Templum in *Sacrarii* usum cessit, plus minus stetisse conjiciendum est. Nam ad *Capellam Chori*, *Gregorii* XIII. aetate, Grimaldus [2] translatam fuisse tradit. Quod tamen paullo ante contigisse videtur, si potius, praeter Pomp. Vgonium [3], Franciscum Bencium audiamus, qui in Epicedio Antonii Caraffae Cardinalis, qui fuerat Basilicae Vatic. Canonicus anno MDLX, inter praeclara ejusdem facinora, hoc etiam recenset. *Simulacrum SS. Virginis Dei Matris, Filii Corpus e Cruce depositum in sinu gremioque, praeclare factum ex marmore, quod mirando non satiamur, in Templo Vaticano positum esse scimus omnes. E Templi loco obscuriore, in hanc porro lucem, ubi nunc est, Antonius, quum adhuc esset in amplissimo eorum ordine, quorum debito officio, ac diligenti cultu Sacrorum caeremoniae celebrantur, transferendum curavit.*

Porro illud certum est, quemadmodum Vgonius [4] prodidit, Ludovicum Blanchettum Bas. Vat. Canonicum, et Gregorii XIII. admissionum Magistrum, mira erga B. V. pietate inflammatum, anno MDLXXV. marmoreum ornamentum, quo undequaque praefulget, adjecisse. Deinde vero *Subseliarii* Cella, quô haec effigies e *Sacra-*

1 ms. n. 148. p. 52. V. p. 749. 2 p. 125. 3 p. 98. 4 loc. cit.

rio translata fuit, ab eadem vulgo indigitari consuevit, ut praeter alios Mabillonius [1] testatur, qui ait. *Coetus Canonicorum S. Petri in Sacello, quod ob praeclaram Deiparae ex marmore effigiem, auctore Michaele Bonarota, Sanctae Mariae de Pietate appellant, divina officia celebrat.* Heic autem aurea corona, pretii aureorum DLXIV. ab ipso Alexandro Sfortia Pallavicinio redimita, pridie Kal. Augusti MDCXXXVII, tamdiu exstitit, quoad tabula musivi operis, in qua M. S. ab origine immaculata exprimitur, absoluta fuit, ibique collocata. Tunc enim, ne duplex eodem loco ejusdem Deiparae effigies coleretur, Benedicti XIV. jussu avecta fuit ad Altare, quod est ingredientibus in Basilicam Vaticanam, parte dexteriore. E quo tamen loco, una cum Cl. Bottario [2], affirmare non dubitem, optandum maxime esse, ut denuo removeatur, atque ad Aram, e regione novi *Sacrarii*, transferatur, ubi hoc artis miraculum meliori in lumine collocatum, ejusdem artis peritis multo magis admirari liceret.

Sed, quum toties, totque verba de celeberrimo hoc Bonarotae opere fecerimus, non possum hoc loco a me impetrare, quin Joh. Bapt. Marinii versus adducam, qui de eo sic cecinit [3].

Sasso non è costei,
Che l' estinto Figliuol freddo, qual ghiaccio,
Sostien pietosa in braccio.
Sasso più presto sei
Tu, che non piangi alla pietà di Lei.
Anzi sei più, che sasso;
Che suole anco da' sassi il pianto uscire,
E i sassi si spezzaro al suo morire.

1 in Itin. Ital. T. I. p. 50. 2 T. III. Vit. Vas. p. 201. 3 Madrig. 158.

CAPVT XII.

De Altari Crucifixi.

Cella, quae Altari *S. Mariae de febribus* ad Aquilonem adhaerebat, cui sacra esset, Alpharanus [1], Paullus de Angelis [2], Ciampinius [3], Sindonius [4], ac demum ipse Chattardus [5] sese omnino ignorare professi sunt. Quod de recentioribus hisce scriptoribus praecipue miror, quum Karolus Fontana [6] hanc *Iesu Christi* nomine donatam fuisse scripserit, quod et Bonannius [7] recepit; atque idem Sindonius [8] edictum protulerit, supra [9] a nobis allatum, ubi Cellam *B. M. Febrium*, pone *Altare SS. Crucifixi* sitam fuisse, luculenter indicatur. Quod etiam constabat ex Antonio Petri, qui, uti vidimus [10], Cathedram S. Petri *prope Crucifixum*, adservatam fuisse tradidit.

Hanc autem, veram hujus Cellae appellationem fuisse deprehendimus, ex diplomate Xysti IV, ubi praecipitur [11] exequutio cujusdam Sacerdotii, instituti a *Dominico de Philipputiis Canonico, ad* Altare Crucifixi Canonicorum, *sub tetudine, et ambitu Cappellae B. Mariae de febribus*, quae nempe, ut diximus, ei contigua erat. Quapropter recte quidem arguunt Bull. Vat. editores, non aliam fuisse, quam illam, ab Alpharano indigitatam num. 173. [12], de qua nunc nobis sermo est.

1 ms. p. 173. p. 65.
2 p. 41.
3 p. 91.
4 p. 85.
5 lib. II. c. 2. p. 86.
6 p. 86. lib. II. c. 2.
7 p. 30.
8 p. 90.
9 p. 1311.
10 pag. 1261.
11 T. II. Bull. Vat. p. 203.
12 p. 65.



§. I.

De plastica Crucifixi imagine ibidem collocata.

Pristini nominis hujus Cellae, ad haec usque tempora testis exstitit luculentissimus. Nam maximo super Armario, e nuce, quod *Clemens* XI. construi jussit, in Altaris hujus loco, uti refert Chattardus [1], ad argenteam, aureamque Basilicae supellectilem custodiendam, sacrosanctum simulacrum D. N. *Crucifixi* exstabat, cujus formam cum suppedaneo, quod ambitu suo majorem Crucis stipitem superat, aere expressam exhibuit Cornelius Curtius [2], instar alterius argentei fictum, quod in teterrima Vrbis direptione, Borboniorum manus evasit.

Interest vero audire, qua de caussa sacrilegi direptores, reliquis Bas. thesauris compilatis, hunc quoque *Crucifixum* non abstulerint, ex Grimaldo, qui haec habet apud Turrigium [3]. *Basilica S. Petri diripitur, reliquiae praedantur... Crucifixum ad hominis staturam sub Carolo M. donatum a Leone* III. *ex argento, ob nigredinem non cognoverunt*. Porro si cognovissent, certe cum ceteris Sanctuarii vasis, quae eos abstulisse refert Grimaldus, rapuissent.

Nihilominus ad sacra vasa reficienda, quae impii direptores praedati fuerant, sub *Iulio* III. anno MDLI. conflatum fuit, uti narrat idem Grimaldus, qui haec subdit. *Inde in usus sacrorum ad nova Candelabra, et duas Apostolorum Statuas faciendas conversum, relicto schemate, imagineque priori simili ex mixtura in* Sacrario *ad hunc*

1 T. I. p. 240.
2 De Clavis Dominicis pag. 113. edit. Antuerp. 1670. et Lugd. Batav. 1685. et in Opusc. Passion. Domin. illustr. Fasciculo II. Dusseddorp. 1730. 12.
3 p. 258.

diem. Quod idem alibi etiam confirmat, ubi ait. *Hodie etiam exstat imago Crucifixi plactea (licet ipse Leo* III. *fecerit argenteam) alta palmis* VII. *lata* II. *in* Sacrario. *In excidio Vrbis sub Clemente* VII, *non fuit ob nigredinem cognitus, et anno* MDL, *ex eo Crucifixo fuerunt facti Calices, Crux inaurata, duo Candelabra magna, sex minora, et duae Statuae SS. Petri, et Paulli*. Quae quidem Grimaldi verba a Bull. Vat. editoribus praetermittenda non fuerant, quum ex iis, tum *Crucifixi* aetas, et pondus, tum usus, in quem conversus fuit, aperte indicetur. Haec autem, tamquam ex Turrigio [1] desumpta, retulit Martinettus [2], quae Grimaldo rectius a Baldinio [3] tribuuntur.

Sed primo, vereor, ne Turrigius, quem Cornelius Curtius [4], Bartholinus [5], et Dom. M. Mannius [6], parum considerate sequuti sunt, *Karolo* M. tribuerit, quod uni *Leoni* tribuendum erat, praeterea nemini. Ejus enim Biographus, *ipse*, inquit [7], *a Deo protectus Ven. et Almificus Pontifex fecit in Basilica B. Petri Apostoli nutritoris sui, in medio Basilicae, Crucifixum ex argento purissimo pensantem libras* LXXII. Idem profecto pronunciandum esset, etsi cum Vignolio Crucifixum, de quo loquimur, minime ex hoc, sed ex altero Anastasii loco indicatum fuisse judicemus, qui est hujusmodi [8]. *Ejus beatitudo fecit Crucifixum ex argento purissimo, qui stat* juxta Altare majus, *mirae magnitudinis decoratum, pensantes libras* LII. *cui super fecit gabathas* VI. *cum Cruce ex argento purissimo*. Praeterea Grimaldus ipse ab eo allatus, hunc *Crucifixum sub Karolo* M. hoc est *Karoli M.* aetate, a *Leone* III, numquam vero ab

1 p. 486. 2 p. 221.
3 T. II. Anastas. edit. Vignol. p. 264.
4 loc. cit.
5 de Cruce hypomnem.
6 de Tit. Dom. Crucis Archetypo c. XIII. pag. 28.
7 T. II. §. XXXIX. p. 263.
8 ibid. p. 270.

ipso *Karolo M.* donatum scripsit; idemque simulacrum ipsum *Leonem* III. *fecisse*, diserte alibi narrat. Quid ni? si Anastasius [1] Crucem, quam Karolus M. Leoni III. dono dedit eodem anno, quo coronatus fuit, a Latronibus *noctu furtim* ablatam fuisse narrat? Itaque male etiam Bartholemaeus Plazza [2], hujusmodi *Crucifixum*, inter *Karoli M.* donaria recensuit, ac plasticam ejus imaginem a *Iulio* III. eodem loco collocatam fuisse tradidit, ut ejusdem Imperatoris munificentiae monumentum conservaret. Ac propterea haud injuria Panvinium [3] notavimus, qui hunc *Crucifixum*, et a *Karolo M.* donatum, et in *Altari Reliquiarum*, ubi *Ioh. Chrysostomus* quiescebat, praepostere collocavit. Ibi enim *Crucem* exstitisse vidimus, quae primum Altare *SS. Philippi, et Iacobi* ornaverat, quamque idem Panvinius noverat, qui Leonem IV. *duas magnas Cruces fabricasse* scripsit [4], *unam auream librarum* cc, *alteram argenteam librarum totidem*.

Ceterum, ne quid dissimulem, Cl. Stephanus Borgia in luculentissimo Commentario *de Cruce Veliterna*, in dubium revocavit [5], utrum hoc enecti Crucifixi schema cum tabella suppedanea, referat *Leonis* III. donum, an alium potius argenteum Crucifixum sequiori aetate elaboratum, quum primum invaluit mos, clausis oculis, et perforato latere [6], Philanthropum in Cruce suffixum

1 in vita Leonis III. V. Pelliccia de Christ. Eccl. Politia T. II. p. 127.

2 in Eph. Var. p. 66. 3 p. 1250.

4 T. III. ms. pag. 14 *Alpharanus haec habet.* Gli Altari de SS. Simone, e Giuda, Philippo, et Iacobo erano in mezo la Chiesa nella nave grande, uno a man destra dell'introito della Chiesa, l'altro a man sinistra, de rincontro l'uno all'altro, infra le colonne, infra la quinta, et la VI. colonna della nave grande, quali Altari, come riferisce Mallio, havevano Croce d'argento grandissime, fatte da S. Leone PP. III.

5 p. 35. 195.

6 V. Sarnelli. Perchè nelle imagini di Cristo Signor nostro Crocifisso si mette la testa di morto sotto i piedi? in T. V. Liter. Eccles. p. 54. Delle Imagini del SS. Crocifisso. in T. VII. p. 85.

repraesentandi. Verum si quis de tota hac quaestione erudiri cupiat, expendere poterit rationum momenta, quae Praesulem doctissimum ad hujusmodi dubitationem impulerunt.

In sinistra Cellae parte, ejus lateri adhaerens contra Orientem, nobilissimum marmoreum sepulcrum visebatur *Hugonis Lingles*, Equitis Nicosiensis, quem Kar. Fontana, ejusque latinus interpres [1], una cum Bonannio [2], *Vgonium Anglum* appellant. Hic cum Ludovico Podocatharo, insigni Philosopho, et Cardinali [3], et Georgio Flato, qui Filiam in matrimonium tradidit Petro Aldobrandino, ex qua genuit Silvestrum Clementis VIII. parentem, hic, inquam, Karolottam de Lusignano, Cypri, et Hierusalem Reginam, cujus a consiliis erat, et Regni Cypri Camerarius, per tyrannidem a Regno pulsam, et exulantem, summa fide Romam usque sequutus erat, ubi primum a Pio II [4], ac denuo a Xysto IV [5], munifice excepta, sub ejus Pontificatu, in Basilica Vaticana tumulata est [6]. *Hugonis* epitaphium a Turrigio [7], in Cella S. *Annae* descriptum, recte eruditissimus Praesul Gallettus [8] *in Cratorio olim S. Andreae* exstitisse scripsit.

In hac eadem Cella, aliorum etiam illustrium Virorum sepulcra exstabant. Audi eorum nomina ex Al-

1 p. 86. 2 p. 30.
3 V. Florav. Martinellium in Diaconia S. Agathae in Suburra descripta, et illustrata. Romae 1638. 8. p 84, et Thomae Phoedri Inghiramii Orationem in obitu Lud. Podocathari in T. I. Anecd. Rom. Collect. p. 280. a Cl. Galletto evulgatam, quaeque idem adjecit de Gente Podocathara pag. 6. in eruditissima epistola, praemissa duabus Orationibus ejusdem Phoedri. Romae 1777. 8. ac demum Inscriptiones Venetas ab eodem Praesule in lucem editas pag. 139.
4 Comm. l. vii.
5 Torrigio Grotte Vatic. pag. 285. 286. 292. 293. 297. 299. Dionysius p. 99.
6 in Inscript. Pedemontanis Romae exstantibus. Romae 1766. 4. p. 11.
7 Torrigio p. 286.
8 loc. cit. p. 12.

pharano . *In pavimento* , inquit [1], *istius Sacelli*, *sub lapidibus marmoreis requiescunt Ioannes Niis ex Borsalia Decretorum Doct. Sed. Apostolicae Protonot. Innocentii PP. VIII. Cubicularius , et Alphonsus de Ballistis , et Franciscus Macel, Vir Pedemontanus doctissimus* . Alterum vero ibidem exstabat monumentum *Paullo Malchionis Puteolani Filio* , a Francisco Fratre positum , de quo vide sis , quae in nostra Sylloge adnotavimus . Sed quum haec Cella disjecta fuit, *eorum ossa ad supradictum sepulchrum intra Basilicam novam , in locum ubi fuerat olim S. Petronillae Templum , translata fuerunt* .

CAPVT XIII.

De Cella SS. Trinitatis , et SS. Cosmae , et Damiani .

Jam vero , quoniam *sex* Altaria dejecti *Sacrarii* perlustravimus , septimum , quod reliquum est , inspiciamus . Occurrit hoc num. 174. contra Aquilonem , et Occidentem , *SS. Trinitati* , in honorem *SS. Cosmae , et Damiani* dicatum . Eamdem Cellam , ut tradit Grimaldus [2], *D. Ansuinus de Anticoli Fundator Capellae , Prior Clericorum , sub*

1 num. 173. ms. pag. 65. Segue l'eltra Cappella , dov' è adesso la porte della *Sagrestia* , et al muro contiguo alla d. Cappella della Madonna *della Febre* , vi è questo Sepolcro di marmore elegantissimo , con queste arme , et Iscrizione *Vgoni Lingles* . Al pavimento e piede a questa sepoltura sta un'altra con lapide insculta , et erme con queste Iscriaione . *Ioannes Niis*. Segue appresso al soprad. un' eltra pietre con queste Arme , et Inscriptione meze corrosa *Alphonsus Balisterus* . In mezo di detta Cappella al pavimento è quest' el-ro sep-lcro con questa Iserizione *Francisco Macel* . Tutti questi sepolcri forno levati l' anno del Sig. 1578. quando si è fundete la Cappella della Chiesa nuova , de rincontro della Cappella, detta Gregoriana , et li marmi forno trasportati in più lochi , et li ossi loro forno sepolti nelli lochi più propinqui , dentro d. Sagrestie e certi Sepolcri .

2 in lib. Descend. Can. fol. 125. ms.

Invocatione SS. Cosmae, et Damiani anno MCDLXXX. *exstruendam curavit*. Praeterea idem *Ansuinus*, Beneficiariorum Prior, Alpharano [1], et Ciampinio [2] adstipulantibus, amplissima dote locupletavit. Ejus liberalitatis memoriam diserte servavit Bas. Necrologium, in haec verba.[3]. *Prid. Kal. Aug. M. D. III. Obiit Ven. Vir Dñus* Ansuinus Prior Beneficiator. Basilicae, *qui reliquit unam suam domum sitam in Transtiberim, in Parrochia S. Silvestri, Cappellae Sancte, et Individue Trinitatis, ac SS. Cosme, et Damiani, ad* Cappellam de Febribus, *sepulchro Beneficiator. et Clericor. hujus Basilice, qui et in hac die voluit sibi perpetuo fieri anniversarium, distribuendo inter Dños Canonicos, Beneficiatos, et Clericos presentes medietatem pensionis dicte domus; reliquam vero pensionem pro Cappellano, duas missas in ebdomada, et festo celebraturo remanere voluit. Orate pro eo.*

Quum vero sub hujus Cellae pavimento, *Beneficiariorum, et Clericorum* Basilicae sepulcra exstarent, *Beneficiariorum* Cella dicebatur. Atque heic praetereundum minime esse duco, quod apposite notavit etiam Dionysius [4], *Canonicorum*, et *Beneficiariorum* Cadavera, quae primorum quidem in Cella *SS. Lamberti, et Servatii*, secundorum vero, in hac, ubi nunc sumus, tumulanda erant, nonnisi per eam Portam, in Templum inferri, quae vulgo nunc audit *Porta de' Morti*, antiquitus vero ab aliis quattuor Bas. Vat. distinguebatur, titulo *Portae Iudicii*, quod per eam dumtaxat, mortui, qui in Bas. Vat. sepeliendi erant, introducebantur, *quasi a Deo judicandi*, ut recte Mallius [5], et Vegius [6] animadvertunt; ac Panvinius [7], Se-

1 ms. n. 174. p. 65. V. Tab. III. n. 8.
2 c. IV. sect. XIII.
3 p. 106.
4 de Vesperarum Paschalium ritu in Basilic. Vatic. pag. XXVII.
5 c. VII. p. 50.
6 lib. II. c. III. p. 71.
7 T. III. ms. fol. 5.

veranus [1], Turrigius [2], Fabrinus [3], et Macer [4] confirmant. Eadem de caussa vel Ethnici Portam Amphiteatri, qua interfectorum Gladiatorum cadavera efferebantur, *Libitinensem* vocabant, ut Kirchmannus [5] opinatur, Lampridii locum illustrans de Commodi vita [6].

In hac eadem Cella, uti jam [7] innuimus, *Alexandri* VI, et *Henrici Borgiae Card.* Corpora quieverunt. Quod diserte tradit Ioh. Burcardus, qui haec in *Diario* suo de funere *Alexandri* VI. memoriae consignavit [8]. *Anno* MDIII. *Papa stetit supra, inter Cancellos Altaris majoris, et juxta eum quattuor intorticia arserunt. In sero post* XXIV. *horam portatus fuit de dicto loco ad* Cappellam de Febribus, *et depositum juxta murum in angulum ad sinistram* (Altaris SS. Trinitatis). Adde Panvinium, ubi ait [9]. *Dextera introeuntibus est Ara SS. Trinitatis, in qua sepulti sunt* Alexander VI. *P. et Henricus Borgia Cardinalis, ipsius Pronepos a Paullo III. creatus*. Haec autem luculenter confirmat Alpharanus, hujusmodi verbis [10]. *Intus hoc Sacellum aliquando Alexandri VI. PP. et Henrici Borgia Card. Corpora lateritiis in tumulis jacuerunt, postea ad Callixti* III. *Sacellum, et tumulum translata fuerunt, ut supra retulimus*.

Aliorum etiam Virorum nomina, qui ibidem sepulti fuerant, reperies apud eumdem Alpharanum, qui ita pergit [11]. *Sepultus etiam reperitur et in hoc Sacello, in pavi-*

1 de vil. Eccl.
2 p. 585. 3 V. p. 1302.
4 in Guidonea.
5 de funeribus Romanorum libr. II. cap. XX.
6 cap. XVI.
7 p. 1276.
8 in Iohan. Burcardi Historia Arcana, sive de vita Alexandri VI. Papae, excerpta ex ejus Diario, edita a Godef. Guil. Leibnitio. Hannoverae 1697. 4. et in Corp. Histor. medii aevi. I. G. Eccardi T. II. Lipsiae 1723. col. 247, et in Act. Caer. Gattico p. 432.
9 T. II. ms. p. 140.
10 n. 174. ms. p. 65.
11 Nella Cappella della SS. Trinità, et di S. Cosmo, e Damiano, Cap. delli

mento juxta parietes, sub lapide marmoreo, a sinistra parte, Ianus Surigonus, nobilis Mediolanensis, et Abbas Reverendissimus. Ante vero hoc Sacellum etiam sub marmoreis lapidibus sepulti fuerunt Ludovicus de Lallis, hujus Basilicae Beneficiatus, et Iohannes Montalcinus Pontifici carissimus, et Vrsinus, adolescens utriusque linguae doctissimus, Innocentio VIII. gratissimus. Infiniti quoque alii utriusque sexus Christi fideles nobilissimi in parte B. Petronillae, et hujus Templi penetralibus humati fuere, qui passim, quum effoditur, reperiuntur, quorum nomina Deus scit.

Heic etiam ad Cellae ornatum, referunt Turrigius [1], et Gizius [2], marmoreum exstitisse simulacrum B. V. puerum Iesum complectentis, qui laeva explicatum volumen gestabat. Hoc simulacrum concinne elaboratum in *Cryptis Vaticanis*, in *Cella S. M. Praegnantium* adservatur, cum hac epigraphe. *Imago haec marmorea B. V. erat in Sacrario ad ornatum Altaris S. Trinitatis, et SS. Cosmae, et Damiani*. Ejus schema exhibet Dionysius [3] cum altero trium Cherubim, totidem candidis marmoribus, ex opere anaglyptico, quae illud ornabant.

Benefiziati, in mezo sono dei Sepolcri al pavimento il titulo
SEPVLCHRVM BENEFICIATORVM
In questa Cappella fu il Sepolcro d'Alessandro VI, et d'un altro suo Nepote, ex utraque parte, poi trasferito con quello di Callisto III. *Quaere in lib. Honuphrii.*
A man destra, pur dentro questa Cappella, è un Sepolcro con lapide, et questa Iscrizione. *Ian. Surigonus.*
Dalla parte de fora, inante detta Cappella, sep. al pavimento
Lodovico de Lallis
Poco più ultra del soprad. sepolcro segue un altro simile *Montalcini*
Al pilastro a mano sinistra fora di d. Cappella segue un bello Deposito con questa Iscrizione *Vrsino*

1 p. 78. 2 p. 63. 3 Tab. XIII. p. 31.



§. I.

De effigie B. M. de Conventu.

Altera B. V. imago, aliquamdiu in uno ex descriptis Altaribus, nimirum effigies *B. M. de Conventu*, usque ad Vrbani VIII. aetatem permansit. Hujus nominis caussam Ciampinius [1], Alpharani [2] adstipulatu, recte inde repetit, quod olim sacrorum Ministrorum coetus ad ejus Altare quotidie conveniret. Ait enim. *Vetus Oratorii nomen* S. M. de Conventu *fuerat, quia ante ipsum, Canonicorum Chorus e ligno, rudi artificio compactus jacebat.... in quem locum Canonici Basilicae quotidie convenientes, propria Clero, suetaque psallendi munia persolvebant*. Quod ut confirmet, Anastasii profert auctoritatem, qui Monachos, ac Sacerdotes jam tum a Gregorii III. aetate ad hoc ipsum Altare frequentes accessisse testatur. Quo loco, cetera repetenda sunt, quae de *Gregorii* praescripto superius [3] attulimus.

Hoc Oratorium Innocentii VIII. jussu restitutum, ac marmoribus, picturisque ornatum fuit [4]. Vetus tamen cognomen retinuit *B. M. de Conventu*; tametsi pro veteri, nova tabula cum B. V. et Innocentii VIII. iconibus, novo Altari imposita fuerit [5]. Verum Oratorio, atque Altari penitus exciso, tabula in *Sacrarium* delata fuit, quam postea Vrbanus VIII. Duci Massae dono dari jussit. Qua de re vide, si lubet, Bull. Vat. editores [6].

1 c. vI. num. xxxix.

2 ms. p. 26.

3 p. 1302.

4 *Necrologium Basil. haec habet* p. 40. *ex lib. Benef.* xiI. Kal. April. Consecratio Altaris beata Marie Virginis, in Cappella Innocentii viiI. de anno 1748. sit. cum Cappella translata propter disjectionem partis Basilice de p. loco, quod erat juxta arcum triumphalem.

5 Torrigio Grotte Vat. p. 213.

6 T. II. p. 334.

§. II.

De Imagine B. M. Febrium publico cultui ibidem postremo exposita .

Sed tandem in praecipua *D. N. Mariae Febrifugiae* imagine sistamus, quae usque ad nostram aetatem, qua *Sacrarium* dejectum est, in hac Cella permansit. Itaque eadem, ex loco, ubi nunc *Columna Sancta* adservatur, huc iterum translata fuit, anno circiter MDCXCVI, et ad pristinam sedem revocata.

Heic autem, ut eo magis vetustatem, et prodigia ejusdem imaginis, novae sollemnitatis celebritas patefaceret, denuo coronata fuit [1], et cum ea etiam Puer Jesus altera corona aurea redimitus. Verum prior B. V. aurea corona, pondo aureorum CXXXI, expolita fuit, ac nova tantum, pretii aureorum XXXVIII. pro Filio fabrefacta, uti constat ex rationibus expensi a Joh. Giardinio Argentifice, quae legi possunt, si tanti est, apud Sindonium [2].

Verum quae idem Sindonius a Joh. Bapt. Balduino Bas. Vat. Aeditimo in Ephem. Vat. memoriae consignata

1 *In Inventario Sacr. Bas. haec legimus.* Corona una di oro donata dall' Illmo Conte Alessandro Sforza alla Madonna SSma della Febre li 15. Agosto 1621. la detta Imagine presentemente si conserva In *Sagrestia*, dove si parano li Rmi Sig. Canonici. Pesa oncie dieci, e d. tre.

Altra sopra il Capo del Bambino, che sta nelle braccia della Madonna; si leggono queste lettere

CAPLVM S. PETRI
DE VRBE HANC COR.[M] AV.
EX LEGATO ILL.[MI] COM.
ALEX. SFORTIÆ
An. 1697.

2 p. 90.

esse tradidit, quum novae hujusce coronationis pompam multo luculentius declarent, lubens adducam. *Mercoledì* 14. *Agosto* 1697. *si apparecchiò con sei Candelieri, e Croce di argento, dove si apparano le Messe cantate, e si vestono li Signori Canonici per celebrare le Messe private in Sagrestia, nel qual luogo si conserva l'Imagine miracolosa di Maria Vergine, nuncupata* della Febre. *Si pose il Paliotto, e sei vasetti d'argento etc. fuori della Capella Banchi Canonicali, e Beneficiatali, ed alcuni apparati, ed un organetto etc. Finito il Vespro, e Compieta, il Canonico celebrante, che fu Monsignore Agostini, due Assistenti con Piviali, e tutto il Clero Vaticano, si coronò* more sollemni *etc. ed in fine furono cantate le Litanie, colla* Salve Regina *in Musica*.

Praeter imaginem *B. M. Febrium* relligiosissime servatam, alia etiam ibi colebatur, insigne Julii Romani opus. De eadem haec mihi communicavit singulari humanitate eruditissimus Cajetanus Marinius [1]. *Codicillo di Lelio Guidiccione, dei* 12. *Giugno* 1643. *Perchè al quadro della Madonna con gli sportelli, non ho saputo trovar luogo di buon lume nella Basilica di S. Maria Maggiore, supplico la Santità di N. S. Vrbano* VIII. *a godersel0, e contentarsi, poichè, quando Dio lo chiami al premio delle sue tante sollecitudini, sia collocato in S. Pietro sotto la Tribuna, verso il suo sepolcro medesimo, dove non impedisca, e possa a buona veduta esser giudicato da' valent' Vomini, per quello che è*. Sed primum in fronte Cellae S. Annae, locata fuit, ac deinde in hunc locum translata.

Nihil vero dicam de Paulli Antonii Scocchi picturis, quibus tota Cella mirifice decorabatur, aliisque, quae

1 Dal T. n. 20. Collect. alla pag. 383. dell'Archiv. Segret. Vatic. V. Epistolam nuncupatoriam Cl. Praesulis Galletti ad duas Orat. Th. Phoedri Inghiramii p.41.

ibi custodiebantur, et a Martinetto [1], et Petro Chattardo [2] accurate describuntur.

Denique supra ligneos Cancellos, quibus tota Cella septa erat, *Gallus aeneus* visebatur, de quo non abs re erit, peculiariter disserere. Quae enim ad Altarium descriptionem pertinebant, sedulo, ac diligenter, quantum quidem fieri potuit, jam pertractata sunt.

CAPVT XIIII.

De Gallo aeneo, qui supra Cancellos Altaris SS. Trinitatis visebatur.

Quo tempore in hoc Templum illatus fuerit *Gallus aeneus*, qui Claustro hujus Cellae, ornamento erat, nequeo certo statuere. Hujus enim rei documenta penitus incomperta mihi sunt. Sed Turrigii aetate, jam illuc invectus visebatur. Sic enim apud eum legitur [3]. *Nella Sacrestia di S. Pietro è un antichissimo* Gallo, *tutto di bronzo, che fu poi indorato, l'anno* 1630. *qual stava ne' tempi passati nella sommità di questo Campanile.*

In hanc eamdem sententiam descenderunt Ridolphinus Venutus [4], et Petrus Chattard [5], qui praeterea hanc Turrim a *Leone* IV. erectam pronunciant. Contra vero Barpth. Plazza *Gallum* hunc generatim *in Turri Campanaria* [6], parte dexteriore stetisse scripserat. Quod item praestitit Sindonius [7], qui aeque ac Turrigius, nulla *Leonis* IV. mentione injecta, eumdem exstitisse narrat, *supra Turrim Campanariam*.

1 lib. II. p. 224.
2 T. I. p. 243. 3 p. 112.
4 T. II. Rom. rec. p. 481.
5 T. I. p. 243.
6 in Eph. Vat. p. 771.
7 p. 85.

Atqui legimus apud Anastasium in vita *Leonis* IV.[1] haec verba. *Fecit in* Ecclesia B. Andreae Apost. *Ciborium super Altare ex marmore, necnon et calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem Ciborio, numero duodecim pensan.... libras. Fecit etiam ibi* ipsum Campanile, et posuit Campanam cum malleo aereo, *et Cruce exaurato*. Quae quidem verba me in suspicionem adduxerunt, ut putarem, *Turrim Campanariam*, de qua Anastasius loquitur, a *Leone* IV. erectam, aliam a veteri Basilicae Turri fuisse, illamque ab eo constructam, *prope Templum rotundum B. Andreae*, a *Symmacho* aedificatum, extitisse.

Sed, ne quis me studio magis opinionis meae, quam veritatis tuendae abreptum insimulet, ea verba, *fecit etiam ibi ipsum Campanile*, velim, diligenter consideret. Quaeso enim, quid aliud indicant, nisi *Leonem* IV. in Ecclesia *B. Andreae*, ubi *Ciborium erexerat, Campanile* etiam construxisse? Nonne satis manifeste apparet, vocem *ibi* minime ad *Ecclesiam B. Petri Apostoli*, referendam esse, quae inferius tantum ab Anastasio distincte nominatur, ne pariter Ecclesiae *B. Andreae* supra memoratae, donum *Turibuli*, quod postea describitur, *ex auro purissimo, variisque gemmis exornati*, datum fuisse, Lector existimaret? Quae quidem conjectura, quum ipsis satis disertis, et perspicuis Anastasii verbis innixa sit, ab ipsa quoque veritate minime recedere videtur. Sed quum eidem quamplurimum incommodare, multorum, ne dicam, omnium ferme Scriptorum sententiam animadverterem, iccirco rem paullo attentius inquirendam, atque explorandam duxi.

1 T. III. p. 102.

§. I.

De Turribus Campanariis Basilicae Vaticanae.

Quum Anastasium diligenter pervolutaverim, *Turris Campanariae* mentionem ab eo factam fuisse reperi, multo ante *Leonis* IV. aetatem, contra quam Vgolino visum est, qui Fl. Blondi, Ciacconii, Rocchae, et Bonannii errorem, quem postea castigabimus, sequutus est, atque in ejus vita haec adnotavit [1]. *Turris Campanariae* prima *heic mentio occurrit. Fortasse* tunc primum *excitata est Turris, ex cujus fastigio, ceu ex editiori loco, sonus Campanae longius exaudiretur*. Quod seu generatim, seu speciatim de Bas. Vat. accipiendum sit, universe falsum est. Non solum enim Anastasius in vita *Sabiniani*, cui iccirco id primo acceptum referunt Polydorus Vergilius [2], Genebrardus [3], Panvinius [4], Ciacconius [5], Starovolscius [6], aliique, *Tintinnabula*, seu *Campanas* memoravit, sed eas pone ipsam Bas. Vat. a *Stephano* II. positas fuisse, scriptum reliquit. *Eodem tempore*, inquit [7], *isdem BB. Papa fecit in Bas. B. Petri Apostoli Turrim, quam ex parte inauravit, et ex parte argento investivit, in qua tres posuit Campanos, qui Clerum, et populum ad Dei invocarent officium.*

Haec quum ita sint, tamen a Ciampinio [8] minime adnotata fuisse vidi. Nam disserens de *Turri Campanaria* veteris Bas. Vat., de una tantum meminit ab *Adriano* I. constructa, tum mole, tum gravi, ac sonoro Campanarum tinnitu celeberrima. Profert autem in hanc rem

1 T. III. p. 102.
2 l. vI. c. xII. de rer. Inv.
3 in Chron. ad an. DCIV.
4 in Epist. RR. PP.
5 in vita Sabin.
6 in Epitome Conciliorum p. 98.
7 T. II. §. XLVII. p. 121.
8 n. 151. p. 84.

Anastasii auctoritatem, qui in hujus Pontificis vita haec habet [1]. *Ex nimia ferroris dilectione pro honore B. Petri Apostolorum Principis, et ornatu ipsius Sancti Patriarchii, construxit, atque aedificavit ibidem noviter Turrim mirae pulcritudinis decoratam, cohaerenti Porticu, quae descendit ad balneum. Vbi et Deambulatorium, scilicet Solarium suum, cum cancellis aereis nimis pulcerrime construi fecit. Sed et Porticum ipsam, quae vetustate diruta inerat, nimis utiliter renovavit, et picturis, atque marmoribus eamdem Turrem, et cuncta aedificia ab eo noviter constructa decoravit.*

Equidem Anastasii auctoritati non ausim repugnare; imo vero cum Ciampinio, et Bullarii Vat. editoribus [2], qui hujus etiam rei testes adhibent Grimaldum, et Costagutum, libenter adsentiam, *Turrim Campanariam*, ab *Adriano* I. pone Bas. Vat. fuisse excitatam. Verumtamen eadem fretus Anastasii auctoritate contendam, hanc alteri, quam *Stephanus* II. prius exstruendam curaverat, successisse. Haec enim vel illius loco erecta fuit, ac fortasse quum parum elegans, nec satis concinna videretur, ampliorem, pulcrioremque ejus vice *Adrianus* excitavit; vel potius quum temporis injuria, quae pridem a *Stephano* fuerat aedificata, corruisset, novam *Adrianus* construendam curavit.

Verum, ut libere dicam; quod sentio, parum etiam mihi ipsi arridet utraque haec conjectura. Potius enim eô me inclinat animus, ut credam, *Turrim*, quam *Adrianus* construxit, alio in loco positam fuisse, ac porro e regione illius, quam *Stephanus* erexerat, ut hinc inde Bas. Vat. faciem, prospectumque exornarent. Quod tamen neque allatos auctores, neque Janningum suspicatos fuisse vidi, qui *unam* tantum *amplam Turrim* descri-

1 T. II. p. 205. 2 T. II. p. 177.

bunt, *in qua pendebant aera campana*, nempe illam *Adriani*, ut allatis Anastasii verbis declarant.

§. II.

De Templo S. Mariae in Turri, sive in Turribus.

Vetustissima *S. Mariae in Turribus* appellatio pone Bas. Vat., mihi quodam velut indicio fuit, *Stephani Turrim Campanariam*, etiamtum superstitem esse judicandam, quum alteram, prope eam, *Adrianus* I. erexit. Haec Aedes celeberrima, a *Paullo* I. exstructa, ut recte tradiderunt Turrigius [1], Thomasius [2], et Catalanus [3], atque a *Iohanne* VII, Anastasio teste [4], restaurata, exstabat, ut ait Grimaldus [5], *in capite Scalarum veteris Basilicae S. Petri, juxta Turrim Campanariam, et vocabatur* Maria in Turri, *restituta ab Innocentio* II, *ut notabat titulus in mensa Altaris incisus, et frons hujus aedis ornata erat musivo cum Salvatore, et Angelis, ac quattuor Senioribus coronas offerentibus, a Paullo I. fabrefacta*. Hujusce vero tituli ita meminit alio loco [6]. *Anno* 1610. *notavi hanc Inscriptionem Innocentii Secundi, incisam superiori mensa Altaris* S. M. in Turri, *per quam aedem patebat ingressus in Atrium Basilicae, instauratam ab Innocentio praefato, ut ejus diploma in Archivo asservatum declarat, in quo concedit Capitulo oblationes dicti Altaris* S. M. in Turri, *quod priori loco motum serviebat Arae Auditorum Rotae. Erat autem sic*

EST IN HONORE PIAE DOMVS HAEC SACRATA MARIAE
HOC INNOCENTI TE PRAESVLE PERFICIENTE

cui suberant S. Lucas, et S. Matthaeus. Hoc idem Templum postmodum ab *Adriano* I. in Diaconiam erectum,

1 p. 112.
2 in Schol. ad II. Resp. et Ant. Rom. Ecc. p. 17.
3 T. I. Caer. p. 187.
4 T. I. §. I. p. 318.
5 lib. II. ms. de Canon.
6 fol. 176. in lib. Instrum.

a Friderico Imp. sub *Alexandri* III. Pontificatu, uti narrant Otho Morena Laudensis, et Card. Nicolaus Aragonia in ejus vita, *cum aeneis Portis, et vicinis Porticalibus sacrilege combustum*, in demolitione veteris Bas. Vat. sub *Paullo* V. defecit.

Notum autem est, ut quamplures cum Alpharano [1] docent, nosque jam supra [2] indicavimus, hoc illud idem Templum esse, ad cujus aram principem novus Imperator, Imperii corona donandus, postquam Vaticani Templi gradus adscenderat, Pontificis pedes osculabatur, et ab eodem Pontifice osculo, et amplexu benigne exceptus, dato, ut moris erat, Sacramento de Rom. Eccl. defendenda, inter Canonicos S. Petri sollemniter coöptabatur. Id quod Rom. Ordines [3], fragmentum vetustissimum libri Caeremonialis, ab *Innocentio* VI. suo diplomati [4] insertum, quod anno MCCCLV. ad Petrum Ostiensem Episc., et ad Aegidium S. Caeciliae Cardinales datum est, Caeremoniale a Christophoro Marcello [5] vulgatum, editores Bull. Vat. [6], aliique testantur. Quae sane hujus Templi situm a Grimaldo indicatum confirmant, non minus quam locus insignis, qui de eodem exstat in appendice Ordinis Rom. xI, ubi haec

1 In capo al piano de dette scale sono tre Porte, che si entra nel primo Portico de Santo Pietro, chiamato S. *Maria in Turre, ratione Turris Campanariae*, quale tre porte essendo ruinate, et anticamente erano de metallo, finalmente Nicolao PP. V. le fece rifare de legname, et de marmo fino, et di sopra dette porte è scritto

NICOLAVS PP. V. MCCCCLIX.

Tutto questo primo Portico de dentro è depinto con più sorte de figure del Salvatore, de S. Pietro, et de S. Paulo. V'è anco a mano manca nell'entrare un Altare antichiss. nel quale se receveva l'Imperatore dalli Canonici di S. Pietro in Canonico, quando veniva a coronarse in Roma in d. Chiesa di S. Pietro.

2 pag. 827. 840 845. 846.

3 In T. II. Mus. It.

4 apud Rayn. an. 1355. et apud Bullar. Vat. editores T. I. p. 351.

5 sect. v. c. vii. et apud Catal. T. I. p. 185.

6 T. III. p. 237.

leguntur [1]. *Praeterea quattuor funes de antiqua consuetudine extenduntur in Festo S. Petri, et octava ejus, in Atrio ejusdem Ecclesiae, id est in Paradiso, in modum Crucis, et ligatur de Porticalibus ad Pineam aeneam, quae est in Paradiso, et in unoquoque fune* vI. *candelae suspenduntur. In gradibus vero, scilicet ante Ecclesiam* S. Mariae in Turri, *extenditur unus magnus funis a Porticali, quod est supra gradus mortuorum, usque ad domum Petri Iohannis de Pampano, in qua de jure debet ligari, secundum tenorem locationis, et suspenduntur in eo* xvIII. *candelae.*

Itaque a Baronio [2] jure meritoque Mabillonius [3] discessit, qui *Ecclesiam S. M. in Turribus, Pantheon* fuisse existimavit. Quod aeque falsum esset, etsi de altera Ecclesia *B. M. in Turri* loquutus fuisset, quam Turrigius [4] pone Templum *Caeciliae* in regione Transtiberina designavit, frustra tum contra Martinellio [5] vehementer adnitente. Haec enim luculenter nominatur a Cencio in Ord. xII. Rom. ubi [6] vI. *den. S. M. in Turri in Transtiberim* dari tradit *pro Presbyterio*, et ab altera, de qua nunc disputamus, aperte distinguit, quam *S. M. in Turri* [7] simpliciter nominat, idemque *Presbyterium VI. denariorum*, huic etiam assignat.

Ab hujus Ecclesiae vicinia nomen inditum arbitrantur Bull. Vat. editores [8], *Portae Posterulae*, quam hodie vocamus, *Porta de' Cavalleggeri*, minime vero *Porta Fabrica* prope Figulinas Vatic., ut contra Grimaldi opinionem, Martinetto excidisse Dionysius [9] fatetur, quam Andreas

1 T. II. Mus. It. p. 162. 2 ad an. 1087.
3 T. II. Mus. It. p. 547. 4 p. 517.
5 de Imag. Mariae V. apud Moniales SS. Xysti, et Dominici.
6 p. 192. 7 p. 195. 8 T. II. p. 344.
9 Risposta alla censura riferita negli articoli xII. xvII. e. xxxIII. del Giornale de' Letterati contro due de' tre Editori del Bollario della Basilica Vaticana. Roma 1753. 4. p. 59.

Fulvius, et Julius II. in Literis Apostolicis anni MDCXI. *Portam Turrionis* appellant. Haec enim Aedes apud veteres appellata etiam fuit *S. Maria in Terrione, in Atrio, in Atriano*[1], *in Arrano*[2], *ad Gradus, in Laborario, in Turri*.

Ejusdem tamen frequentior appellatio fuit *S. Mariae inter Turres*, sive *in Turribus*. Nam Ordo antiquus coronationis Imperatorum, haec habet. *Deinde Sum. Pontifex cum omnibus Ordinibus suis ad Altare procedit, et facta ibi oratione, ad sedem adscendit, Rege cum suis, et tribus Episcopis, videlicet Ostiensi, et Portuensi, et Albanensi in Ecclesia* S. M. in Turribus *remanente, ubi a Canonicis S. Petri receptus in Fratrem, imperialibus induatur insignibus, dato ipsius Pallio Camerario D. Papae*. Haud absimile est, quod legimus in Patritii Caeremoniali[3]. *Capella*, inquit, *D. Gregorii, D. Mauritii, et quae S. M.* in Turribus *appellatur, extra Ecclesiam in primo Porticu sub Turri Campanaria est, bene mundentur.... Ingredientur Porticum ad Cappellam, quae vocatur B. Mariae* in Turres; *ibi a Canonicis, et a Capitulo Ecclesiae processionaliter recipietur Caesar*. Item in Ordine XIV.[4] *Ecclesia S. M. in Turribus* semel, atque iterum nuncupatur. Et in diplomate Innocentii VI.[5] propter Coronationem Karoli VI, ejusque Vxsoris Annae Reginae legitur. *Veniat ad Altare* S. M. in Turribus; ac paullo post, *praestito autem in* Cappella S. M. in Turribus *juramento*. Praeterea Mallius[6] in valvis veteris Bas. Vat. ante posterioris quadriporticus frontem, quamdam fuisse tradit inscriptionem, cujus haec erant extrema verba. *In Portis aeneis, quae super gradus B. Petri fuerunt, videlicet in introitu Ecclesiae* S. M. inter Turres, *argenteis*

1 in T. II. Anast. in vita Honorii p. 213.
2 T. III. Anast. in vita Sergii II. p. 53.
3 apud Catal. T. I. pag. 184.
4 p. 398.
5 T. I. Bull. Vat. p. 356.
6 num. 51.

litteris adnotata fuerunt. Ac ne quid dicam de Aeneae Sylvii testimonio superius [1] allato, Leo Card. Hostiensis, *S. M. in* Turribus hoc Templum appellat.

Ciampinius [2] caussam adducit, cur haec quadriporticus pars *S. Mariae in Turri* vocabatur, eamque esse putat, *vel propter unam ei proximam, vel ut aliis placet, propter duas Turres Campanarias, inter quas media attollebatur*, quin tamen in xiI. Tab. ichnographica duas hasce Turres repraesentaverit. Ea enim tantum, quae ab *Adriano* excitata est, ibidem conspicitur. Ceterum ambigendum minime est, geminas hujusmodi Turres, ab antiquissimis usque temporibus exstitisse, quum praeter allata testimonia, Paullum Jovium scripsisse vidimus [3], hanc *Aram, duarum Turrium*, iccirco fuisse nuncupatam.

Quales vero fuerint hae *Turres*, Bull. Vat. editores [4] declarare studuerunt, in explanationibus ad *Iohannis* XIX. diploma, ubi cum CC. VV. Joh. Mabillonio [5], et Petro Moretto [6], quibus Thomasius adjungendus erat, lectionem rejiciunt *ab Ecclesia S. M. in Transtiberim*, quae apud Vghellium, et Bullarium Romanum habetur, aliamque aeque mendosam *S. Mariae in Thermis*, quam praefert Benedicti IX. diploma. Ac proinde locum aliorum inscitia, seu oscitatione depravatum, suae integritati restituunt, ac mirifice germanum verborum sensum illustrant, quibus Johannes XIX. [7] Canonicis Bas. Vat. praecepit, *ut omni annua die, Dominica Palmarum, cum Processione, ab Ecclesia* S. Mariae in Turri *exirent, et venientes ad magnum Altare S. Petri, Missam celebrarent*. Ad hoc enim, usi sunt auctoritate indicis sollemnium *Collecta-*

1 p. 837. 2 p. 84. 3 p. 845. 4 T. I. p. 18. 5 T. iI. Mus. It. p. 154.
6 de Presbyterio Par. I. §. vII. n. 1. p. 66.
7 T. I. Bull. Vatic. pag. 18. et T. iI. Mus. It. p. 155.

rum, *et Stationum S. R. E.* edito ex duobus membraneis codicibus Vaticanis a Mabillonio, qui haec exhibet [1]. *Dominica in Palmis*, *dicimus Tertiam in* S. Maria in Turre, *ubi palmae benedicendae sunt*. Erroris autem caussam fuisse animadvertunt, notam compendiariam *intres*, a priscis Amanuensibus adhibitam, ut vocabulum *inter Turres* designarent. Quod constat ex pervetusto Canonicorum Vat. Bas. Antiphonario, quod edidit Ven. Card. Thomasius [2], ubi haec habentur. *In Litan. Major*. *Statio in Basilica S. Petri*. *Antiph. ad Collectam in Ecclesia S. Mariae intres*, idest *inter Turres*, seu *in Turres*, ut in aversa pagina memorati Indicis *Collectarum* apud Mabillonium [3], ex alio Codice adnotatur.

Vereor autem, ut aeque laudandi sint Bullar. Vat. editores, quum hoc Ecclesiae nomen adhaesisse scripserunt [4], quod sita esset *inter Turrim Campanariam*, *aliamque fortassis B. Iustini a proximo*, *ut quidam ajunt*, *ejusdem Sancti Templo*, *ita nuncupatam*. Nam etsi id etiam Turrigium [5], quem Card. Thomasius [6] sequutus est, tanto ante asseruisse detexi, nihilominus inverisimile mihi videtur, Ecclesiam *S. M. in Turribus*, ita appellatam fuisse ab altera *S. Iustini*. Eam enim idem Turrigius [7] locat, *ubi nunc est Campus Sanctus*, et ex veteri Instrumento, in *Portica S. Petri*, et Severanus [8], eamdem fuisse Ecclesiam arbitratur, atque illam *S. M. de Conceptione*, alias in *Campo Sancto*, nationis Theutonicae. Martinellus [9] vero eam posuit in rupe S. Spiritus, dejectamque tradit in constructione Vinearum Caesiorum, et Vercellorum,

1 in T. II. Mus. It. p. 547.
2 p. 130.
3 T. II. Mus. It. p. 548.
4 T. I. Bull. Vat. p. 18.
5 p. 112.
6 ad II. respons. p. 117.
7 p. 112.
8 p. 98. et 394.
9 p. 363.

ut conjicit ex hisce Canonici Romani [1] verbis. *Leo* IV. (Turrigius legendum censet III.) *Ecclesiam S. Iustini positam in monte Saccorum, quam fecerat, ad sepulturam omnium peregrinorum Latinorum, S. Petri Canonicis donavit.* Nam pro *Saccorum* legendum *Saxonum* existimat, additque ex veteri Instrumento apud Tabularium Secret. Ap. Vat. in libro, qui Cencio Camerario [2] tribuitur, nominari *Ecclesiam S. Iustini de Civitate Leoniana.*

Propterea amplectenda mihi potius videtur Costaguti [3] sententia, qui prope Templum Vaticanum, Aedem fuisse scribit *S. M. ad Turres* nuncupatam, quod inter *duas Turres Campanarias*, ex utraque parte ad Basilicae januas collocatas exstaret. Atqui nonnemo, praeter plurima loca a nobis ipsis superius allata, in quibus hoc Templum *S.* M. *in Turri*, minime vero *in Turribus* nuncupatur, alia etiam mihi objiciet Panvinii, Turrigii, et Alpharani, qui illud singulari hac denominatione, tantum indigitant. Prior enim ait [4]. *In angulo sinistro versus Plateam, ubi olim fuit S. M. in* Turri *Aedicula, adhuc superest Turris Campanaria sub Porticu, quae respicit Orientem.* Atque alibi [5]. *Supra hanc Ecclesiam erat Turris Campanaria, quam, auctore Bibliothecario, Leo* IV. *construxit, cui etiam magnam Campanam cum malleo aereo imposuit; supra vero ad pinnaculum Crucem deauratam.* Alpharanus vero Panvinio ita concinit. *Ad Aquilonem*, inquit [6], *Turris Campanaria multis, et praegrandibus Campanis exornata.* Itemque paullo post [7]. *Iuxta Turrim Campanariam ad Aquilonem, addita sunt triplicia marmorea moeniana ab In-*

1 tit. xI.
2 p. 416. a terg. col. 3. et 4.
3 p. 10.
4 T. iI. ms. p. 135.
5 T. iiI. ms. p. 19.
6 ms. p. 10.
7 ms. p. 11.

nocentio VIII. Ac demum alio loco [1]. *A sinistra vero Porticus parte, intrinsecus ad Aquilonem exstat Turris Campanaria adhuc integra, magnis, mirificisque sonoris Campanis munita*. Quid vero de Turrigio dicam, qui scriptum reliquit [2]? *Congionto al Portico vi si scorge il Campanile, già edificato da S. Leone* IV. *nel* 863. . . . *e vi si legge*. *Frons Palatii Apostolici a Paullo* II. *Turris Campanaria a Leone* IV. *et Porticus ad Benedictiones ab Alexandro* VI.

Haec si Ciampinius [3], et Bonannius [4] legissent, multo magis dubiam rem esse pronunciassent, utrum *una*, an *plures Turres Campanariae*, pone Bas. Vat. exstitissent. Verum idem Panvinius libri caput [5], quo *Templum S. M.*

1 ibid. pag. 56. num. 151. *Haudabs re erit alterum ejusdem Alpharani locum proferre*. L' anno del Signore 1574. volendose riffondar il *Campanile*, et farsi una chiavica, che ricevesse l'acqua in mezzo detto Portico, fu cavato in tempo de Greg. XIII. essendo un' altra volta prima cavato qualche parte l'anno 1571. in d. Portico a tempo de Pio V. dove essendosi trovati tre pili belli con Cadaveri dentro, et una ampolla di vetro, non essendo stati levati adesso di novo quelli, et abbiti trovati bellissimi, sepulture di marmo, quasi tutto detto piano pieno, de' quali forno levati quelli impedivano. Il resto rimasero con gli medesimi Cadaveri, rimesi però dentro a quelli, che riman. fu trovato anco in mezo una bella stanza a modo di Cappella con fenestrini, et porte, con pitture, diversi animali, nottule, et molte ossa, et parte in sepolchri di creta cotta, et parte in busci dentro li muri, fra i quali era un magiore alto di pietra trevertino, quali furno giudicati esser Sepolchri di Gentili, inante fosse fatta la Chiesa di S. P. et fra gli altri pili fu trovato uno bellissimo tutto con figure, fra i quali era Bacco con l'uva in mano, quale poi fu portato in Palazzo del Papa Gregorio XIII. li simile se retrovavano per mezo la Piazza di S Pietro. Lo Altare fu ruinato, et postovi una Croce antiqua, che stava li appresso, et dentro forno trovate delle reliquie de' SS. Martiri, quali reliquie furno posti con gli altri in Sacrestia . . . .

Fu fatto un Portichetto innante la Porta dell' Altar magg. appresso all' Altare di S. Sisto PP. Sono sostenuto di dui colonne bellissime, de quali volendosi fare i fondamenti, fu ritrovata una bella sepoltura fra l' una colonna, et l' altra innante l' Altar magg. tutta di musaico antiquo con figure, che parevano cavalli, più presto giudicai fosse di gentili, era simile a quella fu trovata, sotto al Portico del *Campanile* con fenestrine, et porte.

2 Grotte Vat. p. 109.

3 p. 84. 4 p. 178.

5 c. XXIII. T. III. p 28.

in Turri dumtaxat nuncupavit, *de Ecclesia S. M. in Turribus* inscripsit. Quod item dici potest de Mallio, qui etsi semel, atque iterum [1], hanc Ecclesiam vocet *S. M. in Turri*, tamen eam alibi [2] appellat *S. Mariae inter Turres*; atque ita nominatam esse docet [3], quod sita esset *inter Nolaria*, quorum unum majus, alterum minus fuisse putandum est, ex iis, quae habet apud Turrigium [4]. *Guidones, qui ducebant oratores, idest devotos, venientes per Porticale, quod est juxta* Nolarium majus, *frequenter per eam intrabant, unde usque ad nostra tempora, idest Alexandri* III. *faculae, vel cerae ibi vendebantur*. Quum enim prima tantum Turris a *Stephano* erecta Bas. Vat. propior esset, *S. Mariae in Turri* dumtaxat vulgo nuncupari debuit. Quod fieri vel postea quandoque consuevit, etsi altera ab *Adriano* excitata fuerit. Praeterea recte utrumque deinde etiam dictum esset, etsi revera Ecclesia S. M. *inter duas Turres* sita esset. Verum si *uni* solum *Turri Campanariae* proxima fuisset, ut cuiquam Alpharani, aliorumque auctoritas suadere posset, nemo non videt, nusquam vocari potuisse, Ecclesiam *S. Mariae in Turribus*. Quumque *duas Turres Campanarias*, pone Vat. Bas. a *Stephano, et Adriano* exstructas fuisse probaverimus, cur ad *Turrim* potius Ecclesiae S. *Iustini* longius dissitam, quam ad eas hinc inde collocatas, hoc vocabulum referendum sit, plane non video.

At vero, dices, etsi haec sententia recipienda esset, proque certo habendum, Ecclesiam *S. M. in Turribus* inter *duas Turres Campanarias* sitam fuisse, hoc tamen intelligi posse, ac debere de *Turri Adriani*, deque alte-

1 n. 122. p. 49. et n. 162. p. 54.
2 n. 160. p. 54. 3 p. 49.
4 Grotte Vat. pag. 582. V. Macrum in *Porticanus*.

ra, quam apud eumdem Anastasium a *Leone* IV. exstructam fuisse legimus, quin ad antiquiorem *Stephani* confugiamus. Non alienum igitur mihi videtur, huic etiam argumento occurrere, ac de tota re, quae mea ratio sit, aperire.

§. III.

Cetera de Turribus Campanariis Bas. Vat. exponuntur.

Si fides non tam Vgolino, cujus verba superius [1] attulimus, quam Rocchae praestanda esset, qui, quum *de Campanis Commentarium* [2] lucubraverit, rem enucleatius, ut videtur, debuit inquirere, ante hanc *Leonis* IV. Turrim, nullam aliam in Bas. Vat. excitatam fuisse, putandum esset. Quocirca non solum prima *Stephani* Turris, sed etiam altera *Adriani*, ex eorum sententia, essent rejiciendae. Quod quum, uti ostensum est, Anastasii auctoritati aperte refragetur, quid vetat, quominus utramque *Turrim*, intermedio Templo nomen indidisse judicemus?

Quis autem miretur, duas hasce Turres Bas. Vat., Rocchae incompertas fuisse, si neque illam agnovit, quam LXX. annis, ante *Leonem* IV, in Corbejensi Galliarum Monasterio *de more*, nimirum usu jam inveterato, positam fuisse scimus? Legimus enim apud Mabillonium [3], quod *Basilicae perfecta fabrica, Turrique imposita, ex qua signa, vel Campanae de more pendebant, Fulradus Venerabilis Abbas, qui operi strenue institerat, cuidem Airrado praecepit, ut submoveret instrumenta, quibus nixi Artifices praedictae Turris cacumen erexerant. Quod dum ille exequeretur, ex summa Turri in terram corruit ante Bas. S. Pe-*

1 p. 1342.

2 Romae 1612. et in T. II. Thes. Sallengre.

3 T. II. Annal. Bened. lib. XXV. pag. 236. ann. 780.

tri, quae Turri proxima erat. Et sane Campanarum usus a Beda memoratur, ubi ait [1]. *Audivit notum* Campanae *sonum, quo ad Orationes excitari, vel convocari solebant, quum quis de hoc saeculo fuisset evocatus*. Ac praeterea in vita S. Columbi Abbatis Hyensis, qui obiit seculo vI. exeunte, apud eumdem Mabillonium [2], ibi *media nocte, pulsante* Campana, *ad Ecclesiam* perrexisse, et [3] *quadam die ministro suo* Campanam *subito pulsare*, praecepisse perhibetur, *cujus sonitu Fratres excitati, Ecclesiam protinus sunt ingressi*.

At fucum fortasse Rocchae fecerunt Fl. Blondi illa verba [4], *Leo* IV. *Campanariam Turrim exstruxit, quae* omnium prima *in Orbe Terrarum fuit*. Etsi enim Roccha hoc intelligi posse innuat, quod ceteras altitudine, aut praestantia superaret, tamen videtur potius existimasse, iccirco haec a Blondo scripta fuisse, quod opinaretur, nullam aliam Turrim Campanariam, *ante Leonem* IV. aedificatam fuisse. Siquidem in medium adducit Ciacconii auctoritatem, qui in eumdem lapidem impegit, quum scripsit [5]. *Anno* DCCCL. *Leonem* IV. *S. Petri Basilicam* novo *ad usum rei divinae, eoque magnifico Campanario exornasse*. Verum quam Fl. Blondus, una cum Roccha, Ciacconio, et Vgolino, a veritate aberraverit, facile deprehendet, qui Scriptores de *Campanis* adibit [6].

1 lib. IV. c. XXIII.

2 sec. I. Benedict. c. XXII.

3 ibid. cap. XXV.

4 lib. I. Romae Inst. n. LVI.

5 T. I. col. 615.

6 Gilbert. Grimaud Liturgie sacrée. Lugd 1666. 4 Paris. 1678. Dissertazioni di Gius. Capece intorno alle due Campane della Chiesa Parroch. di S. Gio. di Capua, alla quale si dà principio con altra diss. sopra lo stesso argomento di Paolo M. Paciaudi. Napoli 1750. 4. Ioh. Bapt. Pacichelli de Tintinnabulo Nolano. Neapoli 1693. Xaverius Zeeh de Campanis, et instrumentis Musicis. in Tom. I. discipl. Populi Dei Fleurii. editionis Venetae pag. 122. Azevedo de Signo, quo olim ad divina officia Clerici con-

Itaque quum falsum certo sit, hanc *Leonis* IV. Turrim, *primam omnium* in Vrbe fuisse conditam, et Bas. Vat. ante alias quodammodo famulatam, quis non facile credat, Fl. Blondum, Panvinium, et Roccham, ac cum iis Ciacconium, Bonannium, et Vgolinum, quod de *Adriani* Turri accipiendum erat, de altera prope Templum *B. Andreae*, a *Leone* IV. excitata, perperam scripsisse? Quod sane liquet ex iis, quae ad ejusdem Turris elegantiam, et magnificentiam, a Blondo, et Ciacconio proferuntur, quaeque potius convenire videntur *Turri Adriani*, quam refert Anastasius, *mirae pulcritudinis, et picturis, marmoribusque decoratam* fuisse. Quid autem haec cum *Turri Leonis* IV, ubi tantum positam esse scimus *Campanam cum malleo aereo, et Cruce aurato?* Verum hoc clarius etiam apparet ex iis, quae huic ipsi *Leonis Turri* Ciacconius, Bonannius, aliique tribuunt, quaeque a Ciampinio, et Bull. Vat. editoribus multo rectius, ad alteram *Adriani* referri observabimus.

Nam apud Roccham [1], et Bonannium [2] legimus, hanc Turrim, ut ipsi putant, a *Leone* IV. aedificatam, usque ad annum MCCCXXIII. integram permansisse, sed

vocabantur. ibid. p.170. Bourlet du Signal pour appeller le peuple a la Messe. dans le T. LXXIV. du Journal de Dinovari pag. 237. Ioh. Bapt. Thiers in tractatu gallico de Campanis. Hieron. Magius de Tintinnabulis cum Sveertii notis. Borgia Memor. di Benevento T. I. p. 265. et in opusc. Card. Valerii de Agnor. bened p.33. L. E. Rondet sur l'usage de sonner les cloches dans le temps d'orage. dans le Tom. LII. du Iour. Eccles. pag. 155. Iohannes Maurus Stohrio de Campanis Templorum. Lipsiae 1692. Iohannes God Lavi, an turrium, et Campanarum usus in R. P. Christiana Deo displiceat? Lipsiae 1704. Io. Ge. Modelii, an Campanarum sonitus fulmina, tonitrua, et fulgura impedire possint? Vitem. 1703. Arnoldus Stockflet de Campanarum usu. Iohannes Christ. Reimannus de Campanis. Nicolaus Eggers de Campanarum materia, et forma. Ienae 1685. de origine et nomine Campanarum. Harald. Wallerius de Campanis Templorum, Adolphus Lampe de Cymbalis veterum.

1 p. 172. 2 p. 179.

ingens deinde passam fuisse detrimentum, flammarum vi, quae noctu, post Festum Principis Apostolorum, eam devastarunt. His adjiciunt, ex Codice MSS. *Benefactorum Bas.* haberi, *Bonifacium* VIII, Campanis partim liquatis, partim in terram collapsis, confractisque (quas inter una adnumerabatur, quae ceteras Vrbis *vastitate Corporis, et boatu sonoritatis* excedebat, uti narrat Raynaldus [1], a *Gregorio* IX. anno MCCXXI. Basilicae dono data) sex alias novas, easque duplicati ponderis fundendas curavisse. Praeterea Rutilius Alberinus apud Bonannium [2] tradidit, anno MCCCXIII. eamdem Turrim, fulminis ictu, magnam partem quassatam fuisse, Campanis tamen illaesis. Ac demum praeter Matthaeum Villanum [3], Ciacconius refert in vita *Clementis* VI, anno MCCCLII. quatriduo ante ejus obitum, IV. Nonas Decembris, *Turrim Cymbelariam S. Petri in Vaticano*, (sic eam appellabant [4], a tintinnabulis, quae *Cymbala* [5] dicebantur), fulmine de coelo tactam, et magna ex parte culmen ejus disjectum, ignisque vi Campanas absumptas, quarum loco anno MCCCLII. *Innocentius* VI. majores substituit. Quae quidem aperte demonstrant singulare Romanorum Pontificum studium de *Turribus Campanariis* Vat. Bas. restaurandis, ac reficiendis, cujus rei subsequutis etiam temporibus plurimum satagerunt, uti patet ex *Bullario Vaticano*, praesertim in diplomatibus *Vrbani* V. [6] *et Pii* II. [7] Sed ne in hac qui-

1 T. III. p. 408.

2 p. 179.

3 Istor. lib. III. cap. XLII. apud Murator. T. XIV. col. 186.

4 V. Martenium de ant. Mon. rit. lib. I. c. IX. et in Tom. VII. ampl. Coll. c. 92. Carpentierium T. I. p. 1254 Durandum in rat. Div. Offic. lib. I. c. IV. n. II. Ioh. Beletum de div. Offic. c. LXXXVI.

5 Lanfranc. pro Ord. S.Ben. c. I. Durand. lib. I. ration. cap. IV. num. II. Sententia Navarri Ep. Consecran. ann. 1208. apud Mart. I. Anecdot. col. 92. Vdalr. lib. I. Consuet. Chron. c. XII.

6 T. II. p. 1. et 4.

7 T. II. p. 177.

dem laude ulli Praedecessorum PII VI. cessit munificentia, qui tintinnabulum ex aere magnum [1] in ampliorem, et elegantiorem formam conflandum curavit, ac sollemni caeremonia in Porticu Basil. Vatic. benedixit, die xI. Junii, Trinitati Augustae sacra an. MDCCLXXXVI. [2]

Verum alios etiam hujusmodi studium, olim aemulatos fuisse testatur Necrologium Bas. quod haec prodit. xvI. *Kal. Iulii* [3]. *Obiit Ven. Vir bone memorie Dñus Egidius de Roffredis Concanonicus noster, relinquens nostre Basilice multa bona . . . . Item legavit Basilice, pro* reparatione Campanilis, et Campanarum, *ducentos flor. auri, quos habuimus*. II. *Non. Martii* [4]. *Obiit Dñus Paulus de Scrofano, Prior nostre Basilicae, ac Domini PP. in Vrbe Poenitentiarius, qui reliquit nostre Basilice omnes fructus distributionum suarum, que sibi debebantur de tribus annis; reliquit etiam in* opere Campanarum *dicte Basilice florenos auri centum*.

1 *Veteres, ac novae Inscriptiones ibidem insculptae sunt hujusmodi.*

✠ In nomine Domini Matris Petrique Paulique.
Accipe devotum parvum licet accipe munus.
Quod tibi Christe datum Petri Paulique triumphum
Explicat, et nostram petit populique salutem
Ipsorum pietate dari meritisque refundi.
Et verbum caro factum est.
✠ Anno milleno treceñteno cum quinquageno.
Additis et tribus Septembris mense colatur.
Ponderat et mille decies septiesque librarum.

✠ Campanam hanc longo usu confractam non plus quam quatordecim mille libras pendere compertum est. Benedictus XIV. addito usque ad viginti mille libras metallo, conflari, et demuo refici jussit, anno reparatae salutis MDCCXLVI.

✠ Eamdem, septimo vix exacto Lustro, rimis actis inutilem, uno plus, et viginti millibus pondo metalli repertam, PIVS SEXTVS Pont. Max. non mediocri metallo superaddito ad idem ponderis conflari, fundique mandavit, anno Domini MDCCLXXXV. Pont. XI. Aloysius Eques Valadier construxit.

2 De hoc ritu, quem praeter alios temere irridet Geor. Henr. Goetzius de Baptismo Campanarum. Lubecae 1712. consule Cangii Glossarium. Recueil curieux, et edifiant, sur les Cloches, avec les ceremonies de leur benediction 1757. 12. Pichler de Augusta V. Karolorum histor. lib. I. de Karolo M. a num. 611. Sarnelli della benedizione delle Campane. T. VIII. Litt. Eccl. p. 26.

3 p. 84.

4 p. 32.

Expendantur pro Anniversario suo florini duo. II. *Kal. Iulii* [1]. *Obiit Presbyter Iotius Prior Clericorum Chori nre Basilice, qui reliquit medietatem distributionum, quas de quinque annis debebat recipere, Camere nostre, et de reliqua medietate conversa in* opere Campanarum, *solutis certis suis legatis, voluit fieri anniversarium suum. Prid. Non. Decembris* [2]. *Obiit Magister Raynaldus Marci Dñi N. PP. Camerarius, redimens Crucem Stationariam, et faciens fieri* Campanam, *nomine* Camerariam, *sua propria pecunia. Orate gratis*.

Quis autem non videt, haec omnia multo potiori jure, ad *Turrim Adriani* referenda esse, quae haud impar fuisset, tot, tantasque Campanas sustinendi; quod certe nequisset *Turris Leonis* IV, ubi *una* solum *Campana* erecta fuit? Quamobrem perverse Turrigius [3], ac Bonannius [4] Anastasii verbis, *fecit etiam ibi ipsum Campanile*, illa verba *in Ecclesia S. Petri*, de suo supposuerunt, quum vocula *ibi* de Ecclesia *B. Andreae*, quam prius nominavit, intelligenda sit, uti jam demonstravimus [5].

Sed istiusmodi opinio ex eo profluxit, quod utrique eorum ignotum fuit, Ecclesiam *S. Andreae* a *Symmacho* exstructam, fuisse *Templum Rotundum*, ubi postea *B. M. Febrium* imago depicta fuit. Quum enim sibi cum ceteris persuasissent, hanc in *aditu Templi S. Petronillae* esse agnoscendam, minus verisimile visum ipsis fuit, Campanile a *Leone* IV. erectum prope illam fuisse. Quod nunc, quisquam, opinor, facile credat, quum minime absonum sit, *Turrim Campanariam* prope *Templum rotundum*, recens dejectum, olim exstitisse. Ac propterea, quum pro ea, quam *Adrianus* construxit, accepta sit, quae

1 ibid. p. 85.
2 p. 171. et apud Marinium in T. II. de Archiatris Pontificiis p. 13.
3 p. 110. 4 p. 178. 5 p. 1341.

tantum, una cum altera a *Stephano* prius erecta, Basil. Vatic. inserviit, non dubium est, quin *Leoniana* ad Templum *S. Andreae* omnino spectaverit.

Neque vero putandum est, *Turrim Campanariam* a *Leone* constructam, alterius a *Stephano* prius excitatae loco erectam fuisse. Quis enim credat, *Turrim* tantae magnitudinis, quantam fuisse scimus illam a *Stephano* aedificatam, quae *ex parte inaurata, et ex parte argento investita tres Campanas* sustinebat, seculo nondum elapso, *Leonis* IV. aetate, jam vel diuturnitate collapsam, vel ab eo dejectam fuisse, ut alteram operis, ac formae minus concinnae, qualis certe fuit, quae ab Anastasio describitur, ejus vice excitaret? Quod multo magis tenendum est, *Adrianum* minime praestitisse, qui suam Turrim, paullo post primam a *Stephano* exstructam, *noviter* erexit, prope *Porticum, quae descendit ad Balneum*.

Jam vero quum *Turris Leoniana*, etsi *duas* pone Bas. Vatic. *Campanarias Turres* fuisse agnoscamus, quod ego contendo, ac multo minus, si ad Vaticanam Basilicam illa tantum exstitisset ab *Adriano* constructa, inter *Turres* Templi Vaticani neutiquam sit adnumeranda, reliquum est, ut existimemus, *Leonem* IV, qui pluribus donariis Templum *B. Andreae* cumulaverat, hoc etiam *Turris Campanariae* ornamento decorare voluisse. Nam si haec etiam ad Bas. Vat. spectasset, non amplius *duas* tantum *Turres*, sed tertiam quoque, saltem aliquo temporis spatio, ibidem exstitisse, dicendum esset. Quod nemini hactenus in mentem venit; ac praeter omnium scriptorum silentium, vetus ipsa Templi *S. Mariae duarum Turrium* denominatio satis excludit. Propterea quisnam omnem Anastasio fidem esse adhibendam, inficias ive-

8 L 2

rit, quin ulla illius verbis injuria, ac vis inferatur, et vocula *ibi*, quae certe ad *Templum S. Andreae* referenda est, de Bas. Vat. amplius accipiatur?

Atqui rem in hoc certe sensu recte accepit Vgolinus, qui in indice rerum gestarum *Leonis* IV.[1], id etiam recensuit, quod *in Ecclesia S. Andreae Campanam cum malleo aereo fecit*. Quod utique verum est; non autem illud, quod supra[2] expresserat, hanc *primam* fortasse *Turrim* fuisse ad Campanarum usum excitatam.

Verum, etsi cetera deessent argumenta, quibus in hanc sententiam compelleremur, *Gallus aeneus*, qui nos ad hanc bene longam, satisque litigiosam disputationem excitavit, hujus rei testis esse videtur optimus, et locupletissimus, eamque sua, ut ita dicam, voce plenissime confirmare. Nam si *Turris Campanaria Leonis* IV, cui ipse imminebat, modo fulmine disjecta, modo incendio devastata, flammarumque vi Campanae ipsae praegrandes fusae essent, putasne, eum dumtaxat incolumem evadere potuisse, nullamque ignis passum injuriam, superstitem quodammodo evolasse? Quare id etiam *Gallus* aperte prodit, damna, quae Roccha, Bonannius, aliique, *Leonis* Turri illata fuisse ajunt, ad alteram *Adriani* Turrim esse referenda, *Gallumque* nostrum usque ab initio, *Turri Campanariae Leonis* IV, prope Templum *B. Andreae*, impositum fuisse, eoque deinde disjecto, intra idem Templum feliciter confugisse, ibique, quoad solo aequatum est, a temporis injuriis sartum tectum permansisse.

Itaque antiquae *Turris* forma, quae a Bonannio exhibetur tabula v, qualem sub Xysto V. Pictor expressit

1 T. III. p. 308. 2 ibid. p. 102.

in Bibl. Vaticana, quadrilatera, senis fenestris in singulis faciebus apertis, quas columnae bifariam dividunt, rotundo vertice, non tamen acuminato, et pyramidali, sed tholi instar absoluto, Turrim ab *Adriano* excitatam, et ab aliis Pontificibus restauratam repraesentat, quamquam secus eidem Bonannio visum fuerit, qui jamdiu inveterato praejudicio, eam ad *Leonem* IV. auctorem, haud haesitans referendam existimavit.

Si quis autem ex me quaerat, quo loco haec *Turris Leoniana*, prope Templum *S. Andreae* sita esset, quoque tempore collapsa, aut dejecta fuerit, nil certi de his possum statuere. Equidem non ignoro, apud veteres Christianos, ut Martene [1] erudite adnotavit, in more positum fuisse, ut Altare *S. Michaeli* sacrum, vel supra, vel pone *Turres Campanarias* erigerent, in quorum fundamentis, ut habemus ex Chronico Casinensi [2], et apud Catalanum [3], quandoque SS. Reliquias recondebant, quas inter *beneficia* [4] ejusdem S. Michaelis recensenda sunt, *pars scilicet rubei pallioli, quod ipse memoratus Archangelus in Monte Gargano, supra Altare posuit, et marmoris, supra quod stetit, cujus ibidem usque nunc in eodem loco superexstant vestigia* [5]. Quocirca secus *aditum S. Petronillae*, ubi aram *Michaeli* sacram fuisse vidimus, recte suam hanc Turrim *Leo* statuisset. Ceterum, si in re tam obscura, et incerta divinari licet, ipse locorum positus declarat, nonnisi pone Obeliscum, *Turrim Campanariam* excitari potuisse,

1 de ant. Eccl. rit. Tom. II. cap. XXII. pag. 832.
2 lib. III. c. XXX.
3 Pont. Tom. II. p. 339.
4 V. Diurnum Rom. Pont. c. V. tit. VII. *de Beneficio S. Angeli*.
5 V. Vitam S. Autberti Ep. Abrincatens. apud Mabillon. P. I. Sec. III. Ann. Ben. et in Synopsi historica God. Henschenii in T. III. Iunii pag. 603. et apud Cl. Borgia in T. I. Memorie di Benevento p. 189. 190. 191.

quam aut temporis injuria deinde sublatam, vel, ut amplior ejusdem Obelisci translationi locus pateret, cum aliis aedificiis, quae Templum *B. Andreae* circumstabant, funditus eversam puto. Nam de Turri Campanaria Bas. Vat. accipienda esse reor, quae scripsit Grimaldus [1], *Anno* MDCX. XIV. *Oct. Turris Campanaria a Leone* IV. *facta, solo aequata fuit*.

Sed, ne alias etiam difficultates, quibus nostra haec conjectura obnoxia est, dissimulemus, posset heic aliquis ex me sciscitari, num, etsi revera haec *Turris Leoniana* prope Templum *B. Andreae* posita fuerit, item pro certo habendum sit, *Gallum* hunc nostrum, in ejus fastigio olim insedisse? Ejus enim Anastasius non meminit, qui *Campanam* describens, eamdem tantummodo *cum malleo aereo, et Cruce exaurato* fuisse tradit. Verum hoc, ut dicam, quod est, parum negotii mihi facessit. Siquidem Turrigius, Venutus, et Chattardus, *Gallum* hunc supra eam Turrim Campanariam, quam ipsi a *Leone* exstructam putabant, exstitisse affirmarunt, etsi hoc *Turris* ornamentum Anastasius minime nominaverit. Itaque, si donec pro *Adriani* Turri, *Turris Leoniana* accepta est, supra eamdem, *Gallum* hunc stetisse, minime dubitarunt, quin Anastasius id unquam expresserit, qua de caussa dubitare quis poterit, super eamdem exstitisse, quod prope *Templum B. Andreae* positam fuisse declaravimus?

1 fol. 142.



§. IV.

Cur Veteres Christiani Turribus Campanariis Gallos imponerent?

Age vero, quoniam exciso Templo rotundo, praeter antiquam ejus originem, ac nomen, *Turrim Campanariam*, qua olim exornabatur, omnium primi, post Vgolinum, qui rem obiter tantum innuit, vindicavimus, placet heic etiam *Gallum* hunc nostrum paullo diutius contemplari, et mysterium explicare, quo hujusmodi *Gallorum* effigies, Templorum pinnis, aut Turribus, apud Veteres imponebantur. Nam communi apud omnes more receptum erat, ut Templorum *Turres Campanariae*, *Crucem*, *Stellas*, aut *Gallum* promiscue praeferrent, quod haec omnia suum mysterium velabant [1].

Cruces porro Ecclesiam significabant, vel *Cruce* redemptam, *vel Cruci* in Terris omnino subjectam. Quamquam non defuere, quibus aliam originem, et explicationem huic consuetudini placuit assignare. Quum enim Apamensis Antistes, uti refert Evagrius ex Procopio, partem *Crucis* Dominicae circumgestasset, Persico exercitu Vrbi imminente, eaque ostensa, Apamenses ab hostibus liberati fuissent, iccirco, tanti prodigii memoriae caussa, *Crucem* jam inde in summo Templi vertice propositam fuisse inquiunt, quae ad avertenda cujuscumque generis mala, paullatim in Templorum omnium fastigiis, palam poni deinde consuevit.

Non raro etiam *Stellas* iis praefigebant, quae claro velut indicio essent, Verbum Dei in Templo, *Stellarum* instar fulgere, quod *qui ad justitiam erudiunt multos, quasi*

1 V. Ioach. Hildebrandum de Sacris Eccl. primitivae. Helmst. 1699. pag. 17.

Stellae, *in perpetuas aeternitates fulgebunt* [1]; vel Templa, Populi nimirum, ac sacrorum praecipue Ministrorum opera, ita lucere perpetuo debere, ut ea videntes homines *glorificent Patrem, qui in Caelis est*.

Verum frequentius in summitate Crucis, quae Turrium Campanarum cacumini imponi solet, *Galli* versatiles effingi solebant, ut plura monumenta testantur. Nam Eckehardus Jun. de casibus S. Galli [2], haec tradidit. *Duo ex illis ascendunt Campanarium, cujus cacuminis* Gallum aureum *putantes*. Item Guibertus narrat [3]. *Ictu ruente grandi sono fulminis, hoc modo penetratur Ecclesia*; Gallum, *qui super Turri erat*, Crucem, *Columque, aut dispergit, aut cremat*. Eadem occurrunt apud Guillelmum Armoricum de gestis Philippi Augusti ita disserentem [4]. *Frequenterque tenuit in illis diebus, adeo ut in crastino Nativitatis B. Mariae fulmen desursum veniens in Campanariam Turrim Beati Dionysii, quae mirae erat altitudinis*, Gallum auratum, *cum Lebete deaurato, prostraverit de Turris summitate in terram*. Praeterea, in Computo reparationum S. Michaelis Lemovicensis, post annum MCCXXVII, ex Archivo ejusdem Eccl. desumpto, ita adnotatum fuisse legitur. *Crux aurea*, Gallus, *et concha, cum Arcibus constituunt* XVII. *lib.*

Propterea, teste Card. Rasponio [5], *in Turribus* ad Pyramidis formam a *Xysto* IV. excitatis, supra Porticum Lateranensem, *olim spectaculo erat* Gallus versatilis aeneus *in fastigio earum, satis eleganti artificio elaboratus, qui Basilicae incendio consumptus est*. Eadem de caussa Frideri-

1 Daniel. cap. LII. V. Sarnelli lume a' Principianti Part. II. Ques. XL. Che vuol dire il S. Giobbe con quelle parole *Astra matutina*? pag. 222.

2 cap. V.

3 lib. I. de vita sua c. XXII.

4 apud Duchesnium T. V. p. 92.

5 de Bas. et Pat. Lat. p. 71.

cus Borromaeus, dum esset Card. Diaconus Tituli *Nicolai in Carcere Tulliano*, in ejusdem Ecclesiae constitutionibus praecepit, ut *Turris Campanarum*, Galli *effigie firmissime affixa*, *Crucem erectam sustineret*. Quod, ut obiter heic moneam, omnem difficultatem eliminat, si quae superesset, de *Gallo* Turri *Leonis* IV. superimposito., quum ex Cardinalis Borromaei praescripto abunde pateat, ibi etiam poni *Gallum* potuisse, etsi supra eamdem *Crux exaurata* exstitisset; quod et alia duo superius [1] allata exempla confirmant. Ac demum, ne plura congeram, notum est, Mediolani in Turri Campanaria S. Nazarii *Gallum* exstitisse, qui hodieque exstat ibidem in vertice Tholi S. Babilae, et Viterbii in culmine Turris Campanariae Domus Pontificalis.

Nam Christiani veteres, ut docet Rodulphus Hospinianus [2], *Gallorum* proposita effigie, cunctos admonere voluerunt, *in Templis Dei praedicationem perpetuo sonare, et ejus Administros*, Gallorum *instar*, *poenitentiam securis, et dormientibus intonare, et quosvis ad eam excitare debere*. Atque heic minime praetermittendam esse reor alteram hujusce usus explicationem, quam profert Saussayus. *Certe*, inquit [3], *non sine caussa*, *Majorum pia industria effecit*, *ut supra Templi pinnacula effingeretur* Gallus; *nimirum ad significandum*, *Pastorem*, *qui Christi ovili praeest*, *decere*, *tamquam* Gallum, *esse per vigilem*, *debereque subjectarum sibi animarum vigilantiam ad studium salutis ineundum perenni sollicitudine excitare*. Alciatus etiam in *Emblemate* xv. quod item Franc. Sanctius Brocensis apud Puricellum [4] de *custodia*, et *vigilantia* Rectorum Ecclesia-

1 pag. 1364.
2 de origine Templorum p. 346.
3 in Panoplia Sacerdotali P. II. p. 652.
4 in Monum. Bas. Ambros.

rum interpretatur, vigilantiam ab iis quodammodo indicari demonstrat, hoc epigrammate.

Instantis quod signa canens dat Gallus *Eoi*,
Et revocat famulas ad nova pensa manus,
Turribus in sacris effingitur, *aerea mentem*
Ad Superos Pelvis quod revocat vigilem.

Sed audiamus, quid etiam de hujuscemodi *Gallis* Gul. Durandus apposite ad rem nostram scriptum reliquit. *Gallus*, inquit [1], *supra Ecclesiam positus*, *Praedicatores designat*. Gallus *enim profundae noctis pervigil horas suo cantu dividit*, *dormientes excitat*, *diem appropinquantem praecinit*; *sed prius se ipsum alarum verbere ad cantandum excitat*. *Haec singula mysterio non carent*. *Nox enim est hoc Seculum*. *Dormientes sunt Filii hujus noctis in peccatis jacentes*. Gallus *Praedicatores*, *qui distincte praedicant*, *et dormientes excitant*, *ut abjiciant opera tenebrarum*, *clamantes*, vae dormientibus, exurge, qui dormis, *lucem venturam praenuntiant*, *dum diem Iudicii*, *et futuram gloriam praedicant*, *et prudenter*, *antequam aliis virtutes praedicent*, *se a somno peccati excitantes*, *corpus suum castigant* .... *Hi etiam sunt et* Gallus, *quando contra ventum se vertunt*, *et increpando*, *et arguendo contra rebelles fortiter resistunt*, *ne Lupo veniente*, *fugisse arguantur*. His etiam plane concinunt Frantzius [2], Hoepingius [3], et Andreas Crusius [4].

Verumtamen id improbarunt Valdenses, contra quos scripsit Raynerus, qui ait [5]. *Mysticum sensum in divinis Scripturis refutant*, *praecipue in dictis*, *et actis ab Ecclesia traditis* : *ut quod* Gallus *super Campanile significet Docto-*

1 in Rat. Div. Off. lib. 1. c. 1. p. 7.
2 Hist. anim. cap. 2.
3 de Iure insignium c. 11. n. 49.
4 de nocte, et nocturnis officiis c. 11I. p. 821. in T. 1I. Thes. Sallengre.
5 cap. v.

rem . Iis opponam Honorii August. auctoritatem , qui docet [1] . *Per* Gallum *admonetur Presbyter* , Gallus *Dei* , *ut per campanam dormientes ad matutinas excitet* . Recole in hanc rem , quae doctissimus Bochartus adnotavit [2] , ad ea Jobi verba , a Hieronymo sic reddita [3]. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam* , *aut quis dedit* Gallo *intelligentiam* ? Quocirca Petrus Blesensis , Prophetas Christi praenuncios , ac veluti quosdam anteambulones , quorum missionis totum munus in eo versabatur , ut *testarentur de lumine* , *Gallos* ita nuncupavit [4]. *Taceo Prophetas* , *aliosque etiam enumerare longum est* , *quibus* , *tamquam* Gallis , *Dominus dedit intelligentiam* , *ut adventum verae lucis* , *longe ante ejus ortum praeconarent* .

Ceterum Sarnellius [5] aliam quoque caussam adducit, cur praecipue *Gallos* in *Turrium* vertice , antiquitus superimponerent , ut scilicet in mentem peccatoribus revocaretur *Petri* fletus , quem , ut ait Clemens [6] , singulis noctibus , ad *Galli* cantum renovabat , ac veniae spem conciperent a proxima *Cruce* , in qua Christus pro eorum salute mortem obivit . Hoc idem innuisse videtur Ambrosius , ubi de *Gallo* scripsit [7] . *Dormientem excitat* , *et sollicitum admonet* , *et viantem solatur* .... *hoc canente devotus affectu exilit ad precandum* . *Hoc postremo canente* , *ipsa Ecclesiae Petra culpam suam diluit* . *Ipsius cantu* , *spes omnibus redit* , *aegris levatur incommodum* , *minuitur dolor vul-*

1 lib. I. c. CXLIV.
2 T. II. Hierozoicon p. 115.
3 xxxviiI. 36.
4 in Serm. IX. V. Bochart. T. II. Opp. pag. 907.
5 in vet. Basilicogr. p. 134.
6 V. Sarnelli lume a' Principianti P. II. Ques. xxvII. Se la Passione di Cristo ha liberato gli uomini dalla pena del peccato ? p. 189.
7 lib. v. Hexamer. cap. xxiv. V. Prud. Hymn. I. ad Galli cant. Sedul. Carm. lib. v. de negat. Petri Fulg. Serm. LVII. Pseud. Chrys. de negat. Petri .

nerum, febrium flagrantia mitigatur, revertitur fides lapsis, Iesus titubantes respicit, errantes corrigit. Hanc ipsam *Petri* negationem tradit Dom. Macer [1], in mentem Pontificum excitari consuevisse, *ad repraesentandam, in die Possessionis, commiserabilem Humanitatis fragilitatem, ac mitem se erga eam praebere debere.* Vix enim peracta stuppae combustionis caeremonia [2], iisdem indigitabant *porphyreticam Columnam, super quam* Gallus aeneus *insistebat, eratque prope Lateranensem Portam, quam a fel. m. Alexandro* VII. *ob id auferri jussum fuerat, quia insipiens Vulgus apocrypha traditione deceptus, existimabat, eamdem Columnam fuisse, supra quam* Gallus *cantaverat in* Gallicinio *Passionis Christi.* Eam ex Aedibus Pilati allatam putabant, ut narrat Andreas Scottus [3], una cum aliis Columnis porphyreticis Baptisterii Constantiniani; deque ea mentionem faciunt Aloysius Contarenus [4], Card. Rasponius [5], et Joh. Bottarius [6], qui praeterea alterum *Gallum* Columnae innixum, instar Lateranensis describit.

Haec autem *Columna* etiamnum adservatur in veteri Atrio Canonicorum Lateranensium, ubi paullo ante visebantur marmoreae *Sedes Stercorariae* [7], et Sarcophagus porphyreticus *Helenae* Augustae BB. Matris Constantini, qui ex ipsius Mausoleo, miliario ab Vrbe Roma III. via Lavicana, a Latronibus violatus, atque expilatus, ab Anastasio IV. ad proprii Monumenti usum, ut refert Iohannes Diaconus [8], et ex eo Bosius [9], Raspo-

1 in Hierolex. p. 557.
2 V. pag. 805 806. 807.
3 in Itin. Ital. lib. II. p. 310.
4 p. 74.
5 p. 62.
6 T. I. Rom. subt. p. 134.
7 V. Rhodium de Sellarum perforatarum usu in Balneis. in not. ad Scribonium Largum 280. Montfauconium in Diario Ital. pag. 158. Mabillonium in Comm. ad Ord. Rom. p. cxxI. et Scriptores de Fabula Iohannae Papissae.
8 T. II. Mus. It. in Append. p. 569.
9 Rom. subt. lib. III. c. xxII. c. 348.

nius [1], Marangonius [2], aliique [3], in Basilicam Lateranensem translatus fuit. Quae quidem monumenta affabre instaurata, et perpolita Pontifex munificentissimus in *Museo Pio Clementino* collocavit.

§. V.

De Christi verbis, antequam Gallus cantet.

Multa de *Petri* lapsu erudite disputavit Aloysius Cuccagnius in nupera ejus vita [4], quam alii plures primum concinnaverant [5]; sed tamen ne leviter quidem attinxit, planeque praetermisit celeberrimam quaestionem, quae doctorum hominum coetus jamdiu pervagatur, num Christi illa verba, *antequam Gallus cantet*, ad praenuntium lucis alitem sint referenda? Itaque non alienum videtur, pauca quaedam de hac controversia obiter delibare.

Atque, ut omittam, quae de *Buccinatoribus*, qui horam indicabant, doctissime adnotavit Burmannus in luculentissima *Petronii* editione [6], hoc tamen loco minime

1 p. 58. et 77.

2 c. LVIII. p. 299.

3 Ciampinius Tab. xxxI. Winchelmann Storia dell'Art. T. iI. p. 411.

4 Roma 1777. T. iiI. 8.

5 Paulus Aemilius Sanctorius. Acta Sanctorum Apostolor. Petri, et Paulli. Romae 1597. ac rursus T. viI. Iunii Bolland. pag. 1. Commentarius de SS. Petro et Paullo (qui exstat apud Surium mens. Iun. pag. 353.) graece, et Latine cum Commentario praevio, et notis Godefr. Henschenii, Analectisque Dan. Papebrochii. Tom. v. Iunii pag. 398. Iohann. Palazzius. Vita di S. Pietro Principe degli Apost. Venet. 1687. 4. Karolus Stengelius. Commentar. rerum gestarum SS. Apost. Principis Petri, e sacris litteris, SS. Patribus, et probatissimis scriptoribus concinnatus. Aug. Vindel. 1627. 4. Nic. Sanson. Vita S. Petri Apostoli, in qua potissimum describuntur ejus patria, mansiones, itinera, et peregrinationes. Exstat in ejus Geogr. Sacra. Amst. 1704. fol. p. 36. Theodorus Bibliander. de vita, doctrina, fide, operibus, et Ecclesia Petri. Basileae 1550. 8. Aegid. Strauchius. Vita Petri, dissert. historico-theologica descripta. Wittembergae 1659. Christ. Kortholtus. de Simone Petro, primo Apostolorum. Gottingae 1718.

6 p. *93.

praetereundum est, Joh. Georgium Altmannum [1] dissertationem lucubrasse *de Buccinatore, vel Cornicine Stationario Hierosolymis a Petro in Aedibus Pontificis audito*. Hujus vestigiis inhaerentes Leonardus Hoffmannus [2], Kar. Gottlob Fischerus [3], Ickenius [4], et *Relandus* in Oratione de *Galli cantu Hierosolymis audito* [5], ac praesertim V. C. *Castus Innocens Ansaldi*, a Galliciolio [6] laudatus, in dissertatione *de Forensi Hebraeorum Buccina* [7], in controversiam vocarunt, utrum memorata nostri Servatoris verba, in alium sensum, quam quo hactenus recepta sunt a ceteris Scriptoribus [8], ac praesertim a Samuele Bocharto, qui plura de *Galli cantu* in *Hierozoicon* eruditissime congessit, trahi recte possint. Nam vocem ἀλέκτορα promiscue olim usurpatam fuisse demonstrant, non ad alites modo significandos, verum etiam ad Graecos homines, tum Virginem, tum Conjugem, tum etiam gemmam, atque numum, atque ad certos demum Viros denotandos, *Praeconem* nimirum, *Tubicinen*, *Buccinatorem*. Quare opinati sunt, Christum fortasse de industria Petro *amphibologice* loquutum, ejusque verba de *forensi* tantum *Buccinatore* esse intelligenda, qui ad concionem, in qua Servator noster damnatus fuit, cogendam, buccina ex more clangere debuit. Nam in convocandis litigantibus coram Tribunali apud Iudaeos, Cornu adhibitum esse, Ansaldus, Zoe-

1 in T. IV. Tempe Helvet. p. 1. et in T. XXVII. Thes. Vgolini.

2 Ancilla Hebraea. Ienae 1717. 4.

3 Diss. de Ancillis Ostiariis. Lips. 1745 4.

4 de Tubis argenteis Hebraeorum p. 92.

5 in T. XXVII. Thes. Vgolini.

6 T. IX. edit. Venet. Opp. S. Gregorii M. c. VI. Isagog. Liturg. p. 188. et 287.

7 Brixiae 1745. 4, et in Tom. XXVII. Thesaur. Vgolini.

8 V. Ioh. Frid. Niehenck dissertat. de proditore Iuda, et Petro, horumque peccato, et poenitentia. Rostoch. 1702. 4. Iohan. Christ. Biel animadversiones ad Altmanni observation. et Blasii Vgolini ἀλεκτροφωνίας evangelic. significationem genuinam defensam. in T. XXVII. Thes. Ant. Hebr.

ga [1], aliique demonstrant. Nusquam vero de *Alitis* cantu interpretari posse contendunt, eam etiam ob caussam, quod Iudaei, non ut olim molles Sybaritae [2], placidioris somni gratia, sed ne terram in Vrbe sancta dissipantes immunda eruerent animalia, quae res sacras malo omine polluerent, *Gallos* alere, Hierosolymitanis vetabant, ut libri Thalmudici auctoritate erudite demonstrat Balthas. Lud. Eskuche [3].

Quod tamen de Hebraeis tantum in Vrbe Hierosolymitana degentibus intelligendum est. Nam alibi *Gallos* habere, iis minime interdictum erat. Siquidem, ut praeteream ridiculam Balaami cum *Gallo* collationem, quam Baal Hatturim [4] instituit, de iisdem loquitur Ioma in Thalmudico Tractatu, inquiens. *Quotidie Cineres ex Altari demunt ad* Galli cantum, *aut proximo tempore, sive praecedat, aut subsequatur*. Atque alibi [5]. *Quisquis ante* Galli cantum *ad iter se accingit, sanguis ejus est super caput ejus*. Haud secus in Semoth Rabba capite I. ubi agitur de Israelitarum Servitute in Aegypto. *Et ibant exactores in Praefectorum domos summo mane, ut eos ad operas suas educerent ad* Galli cantum. Ac paullo post [6]. *Adstabat hora* Galli cantus, *ut eum educeret e domo sua*.

Praeterea nemo est Judaeorum, qui pridie Festum expiationis non offerat pro se *Gallum*, haec ingeminans, dum illum suo capiti ter allidit. *Iste* Gallus *sit permutatio pro me. Iste sit loco meo. Iste sit expiatio pro me. Iste* Gallus *eat ad mortem. Ego autem cum toto Israele ad*

1 de Buccina Hebraeorum p. 391.

2 Polit. Miscell. c. xvI. et Camerar. in hor. succisiv. Centur. I I. cap. LXXXIX. p. 340. ex Athenaeo.

3 Diss. philologica de Gallis, et Gallinis ad Aram Iehova non factis. Rintel. 1741.

4 V. Macrum in Hierolex. T. I. ed. Bonon. p. 431.

4 V. Bochart in T. I I I. Hierol. p. 119.

5 fol. 20.

6 fol. 21.

beatam vitam. Amen. Stulte enim sibi persuadent, *Gallum*, et *Hominem* a Deo indiscriminatim haberi posse, quod uterque eodem nomine apud eos appelletur [1].

§. VI.

De Galli Symbolo apud Christianos usitato.

Quo demum cumque modo sese res habuit, certum illud est, ut vel ad colendum, vigilantia proposita, vel ad placandum divinum Numen, trinae *Petri* negationis, veniaeque ei concessae exemplo homines excitarent, saepe numero majores nostros ejusdem effigie usos fuisse. Nam, ut videre est apud Aringhium [2], Bottarium [3], Mamachium [4], Jos. Allegranza [5], et Dionysium [6], libenter in anaglyphis, anulisque *Gallum Gallinaceum* insculpebant. Nil vero dicam de *Gallis* pugnacibus, quibus pueri spiritus addebant, palmas ostentantes; quosque in vitris coemeterialibus praesertim exprimebant, ut notant Boldettus [7], Bottarius [8], et Mamachius [9]. Hoc enim symbolo tantum utebantur, ut iis, qui strenue pro Christo dimicassent, palmam victoriae paratam esse demonstrarent.

Praeterea *Gallorum* vigilantiae exemplo, ad Dei laudes horis antelucanis celebrandas, sese invicem excitabant, idque iis vitio vertit Plinius junior, in celebri ad *Trajanum* epistola [10]. Nam, ut praetermittam Hymnorum, et

1 Buxtorfius in c. xx. Synagogae. Bochart in T. III. Hierozoicon p. 119.
2 T. III. p. 398.
3 T. III. Rom. subt. p. 181.
4 T. III. Antiquit. Christ. p. 92.
5 Diss. VIII. sopra un Agape co' suoi Simboli p. 123. e nella IX. sopra la Porta della Bas. Ambrosiana p. 161.
6 p. 120.
7 lib. I. c. XI. p. 216.
8 T. III. p. 4. et 44.
9 loc. cit.
10 l. x. ep. 97. V. Ioh. Schefferi notas in Plinii Epist. lib. x. in Lect. Acad. Libro. Hamb. 1675. 8. pag. 59. Franc. Balduini Comm. ad Plinii lib. x. Ep. XCVII, et XCVIII. in Plinii edit. Veenhusii Lugd. Bat. 1669. 8. pag. 743. Conr. Rittershusii Comment. ibid. pag. 764. Ger. Ioh. Vossii Comment. ibid. p. 793, et in Vossii Opp. T. IV. p. 54. int. Opusc. varia. Geor. Gasp.

Odarum exempla, quae in publicarum precum, ac laudum consuetudine quotidie usurpamus, in *Antiphonario* Monachorum Brencorensium, quod Muratorius [1] edidit, exstat *Hilarii Hymnus* de Christo, longe pulcerrimus, et antiquissimus, cujus haec circa finem leguntur verba.

Galli cantus, Galli plausus
Proximum sentit diem,
Et ante lucem nuntiemus
Christum Regem saeculo.

Cujus quidem Hymni admirandam vetustatem, ac pretium singulare, elegantissimo commentario, qui utinam publico literariae Reip. bono in lucem prodeat!, illustravit *Vitus Maria Iuvenatius*, cujus ingenium, memoriam, doctrinam, graecis, latinisque literis eruditionem, vix, credo, pauci sint, qui assequantur, nemo, qui superet. Quod si quis amicitiae potius, quam veritati id me tribuere suspicetur, is consulat, licet, disertissimam ejusdem lucubrationem de *Vrbe Aveja* [2], cujus editioni procurandae, atque ornandae meam operam libentissime contuli, ejusque Scholia in T. *Livii Fragmentum* ἀνέκδοτον [3], quod ego primus publici juris feci, doctissimis ejus scholiis illustratum.

Kirchmajeri Analysim Epist. Plinii xcvII. lib. x. Witt. 1693. 4. Hymnophili (Kickebusch) Observation. ad Plinii lib. x. Epistol. xcvII. de carmine Christo quasi Deo dicto. in T. v. Misc. Lips. nov. P. III. p. 521. Ioh. Henr. Albini Diss. de statu, et ritu Christianorum veterum ex Epist. Plinii. Witt. 1693. 4. Frid. Andr. Halbaueri Comm. de pristina Christianae rei facie, a Plinio repraesentatae. Ienae 1738. 4. Korteithum. de Sacris publicis colendis. Kilon. 1693. Ioh. Nicolaum. in selectis quibusdem Ant. Eccl. Tubing. 1705. Schutzfleischium in Compendio Ant. Ecclesiast. Lipsiae 1733. Bohemerum. in dissertat. xII. de Iuris Eccles. antiq. Birghamum. In Orig. Eccl. l. xIII. c. IX. Grancolasium. in Brevier. Rom. lib. I. cap. xxI. Azevedo. in vI. Exerc. Liturg.

1 in T. IV. Anecdot.

2 Io Romae 1773. 4.

3 Romae 1773. 4.

Atque, ut praeteream celebres Alcuini versus [1], praeclara sunt illa, quae protulit in hanc rem Michael Glycas [2], ubi docuit. *Iam quod* Gallus Gallinaceus *noctu, certis horis cantet, non multum ante Solis ortum, ejus rei caussam in hunc modum nonnulli explicarunt. Ajunt enim, animal hoc a natura calidissimum, et in primis in appetendo nutrimento avidum, ob calorem quidem insitum, citius susceptum alimentum concoquere, ob aviditatem vero naturae, appetitum suum significare, quasi pascentem se invitet, et excitet. Alii volunt, rem quamlibet alicui certo sideri dicatam esse, sicut Lotus herba solaris est. Quo fit, ut huic luminari exorienti folia sua pandat, quum eadem, eodem occidente, contrahat. Sic et* Gallus gallinaceus *de horum opinione sub Solem refertur. Quamobrem ad ortum redeunte Duce suo, ratione quadam occulta, et naturali gaudet. Simul quasi carmen ei quoddam concinere velit, clarius vocem attollit, et altum clamat. Atque illorum quidem haec est sententia. Tu vero, mi Fili, voces hujusmodi referre inter fabulas, ne verearis. Nam* Gallum gallinaceum *noctu canere Deus jussit, qui omnia providentia sua complectitur: ut hoc modo vel inviti de lectulo surgamus, nec sine fructu noctem integram consumemus; sed partim ad operas nosmet convertamus, partim ad Dei celebrationem excitemur. Sic enim consuevit Deus tam per doctrinam, quam per ipsa etiam Animalia nos erudire.* Haec autem de nocturno ejusdem Alitis cantu statis horis Alkausinius adnotavit. *E mirabilibus* (naturae ejus illud est), *quod novit horas noctis; adeoque quum nox est horarum* XV, *pro ejus ratione dispensat cantus suos, quomodo etiam dispensat, quum solum est horarum* IX, *idque per Dei inspirationem.* Haud absimile

1 de Gallo in T. IV. Anal. Mabill. p. 524. et in ejus Opp. edit. Froben. 2 p. 47.

est illud, quod Damir in eo animadvertit. *In eo maxime mirabile illud est, quod novit tempora noctis, et juxta ea, tam aequa lance cantus suos dispenset, ut ex iis vix quidquam demat, sive longiora sint, aut breviora, et cantus ejus perpetuo praecedat, et sequatur Auroram. Laus illi sit, qui eum ad id instituit.*

Quid vero frequentius occurrit, tum apud Patres, Regulasque Monasticas, tum in Romanis Ordinibus [1], Capitulari Evangeliorum a Frontone edito, Missalibus Turonensi, et Lateranensi [2], Antiphonariis a Thomasio, Georgio, aliisque, evulgatis, quam illae Inscriptiones, *in primo Pullorum cantu, in Galli cantu, in primo Galli cantu, in Gallicinio, ad Gallorum cantum*? Quae quidem consonant iis, quae legimus in Libro Tobiae [3]. *Circa Pullorum cantum accersiri jussit Raguel Servos suos, et abierunt cum eo, ut foderent sepulchrum*, id est, quo tempore canunt *Galli Gallinacei*; atque eadem in mentem revocant grave illud monitum apud Marcum [4]. *Vigilate igitur. Nescitis enim, quando Dominus domus veniet, Vespere, aut media nocte, aut* Galli cantu, *aut mane.*

Siquidem *ad Galli cantum* vigilias sollemniores incipiebant, ut luculenter demonstrant Gregorius Turonensis [5], Amalarius [6], Menardus [7], ac fusius Martene [8], et Joh. Chrys. Trombellius [9], qui allatas Inscriptiones de media nocte, qua primum cantum edere *Galli* solent, non autem de *Gallorum* cantu circa diluculum, docent esse intelligendas. Quod mirifice confirmat Canon Sy-

1 T. II. Mus. It. p. 324. et 326.
2 p. 18.
3 Vulg. Tob. VIII. v. 11.
4 XIII. 35.
5 de Gloria Martyr. atque alibi.
6 de div. Off.
7 ad Gregor. Sacram. not. 98.
8 de ant. Eccl. rit. l. IV. c. XII. n. XIX.
9 de cultu SS. Dissertat. VI. cap. XXI. Bononiae 1740.

nodi Salengustadiensis Germanicae, habitae Seculo xI. ineunte, quo nondum per Horologia nocturnas horas designandi usus obtinuerat. Ibi enim, ut egregie notat Fr. Ant. Zaccaria [1], praecipitur, ne quisquam, qui *post Galli cantum* bibisset, sacrum celebraret, tum per aestatem, tum etiam per hyemem, etsi hiberno tempore *Galli cantus* mediam noctem haud recte indicet.

Praeterea hujusce Avis oblatio in nonnullis Ecclesiis obtinuit. Haec enim exhibet Charta anni MCCXXXII. in Chartulario S. Petri Carnotensis [2]. *Dedi in perpetuam eleemosinam Monasterio S. Petri Carnotensis tres* Gallos, *et unum Pugillum, sive unam Havatam Candelarum, quas percipere solebam annuatim in Altaritagio S. Christophori*. Item Laudes Papiae, ubi agunt de Capillorum benedictione, haec habent [3]. *Rectoribus Parochiarum semper offerunt aliquid, non solum in Missis festivorum dierum, verum quoque .... in benedictione Capillorum masculorum infantium certis festis, quam habent ex consuetudine, et pro qua offerunt pullum album, videlicet Gallum*. Ejusdem Alitis donum, prima nuptiarum nocte, in Galliis Sponsi praestare tenebantur sociis, amicisque suis, ut discimus ex Charta Reg. Chartoph. ubi haec legimus [4]. *Die nuptiarum dicti matrimonii de sero accesserunt ad domum dicti defuncti, tunc Sponsi, parentes, et amici, qui ad nuptias ipsas ratione amicitiae convenerant ..... causa solatii, et quaerendi* Gallum, *seu* Cochetum, *ut in partibus illis est moris*. Ac quandoquidem de Galliis incidit sermo, adnotare libet, quod refert Flaminius Cornelius [5]. *In tessellato pavimento Basilicae*

1 in T. III. Bibl. Liturg. p. CLXXIV.
2 in Gloss. Carpentier T. II. p. 727.
3 apud Murator. T. x. Script. rer. Ital. col. 31. et Carpentier. in T. I. p. 787.
4 apud Carpentier. T. I. p. 1005.
5 in Basilica Ducali S. Marci pag. 132. in Eccl. Venetae Ant. Monum. Dec. XIII. Part. I.

S. Marci Venetiis, duorum Gallorum Gallinaceorum *figurae conspiciuntur, quae Vulpem pedibus palo alligatam efferunt. Eaedem Karolum* VIII, *et Ludovicum* XII. *Gallorum Reges, e ditione Mediolanensi, Ludovicum Sfortiam, Virorum callidissimum, expellentes denotare videntur.*

Quid, quod Ordo Equitum anno MCCXIV. institutus fuit a Delphino Tractus Viennensis Regulo, quum dimicans adversus Anglos, Polarii ope, incolumis e mortis discrimine evasit? Nam in honorem sospitatoris sui, cujus insigne erat *Gallus Niger* in albo campo, *Ordinem Galli* nuncupavit. Alterum *Galli* ordinem memorat Justinianus, quem a Montmorancio erectum contendit; verum ab Helyoto [1] inter commentitios rejicitur.

§. VII.

De Galli Symbolo apud Ethnicos.

Haec nonnemini jam tum nimia fortasse videbuntur. Quid vero, si multa, et mira, quae de ejusdem Alitis Symbolis apud Ethnicos occurrunt, heic etiam attexam? Atqui dabitur mihi, opinor, haec venia, tam longo itinere defesso, ut diverticula de industria quaeritem, quae amoenitate quadam recreent, atque oblectent. Itaque, quum id argumenti satis elegans, ac festivum sit, in eo excolendo lubet paullo diutius immorari; quod me non inutiliter, nec nulla eorum, qui lecturi sunt, voluptate praestiturum confido.

Quis autem ignorat, *Gallum* vel apud antiquos fabulosorum Numinum cultores, tamquam Symbolum colendae Divinitatis habitum fuisse? Id enim quamplures [2]

1 in Tom. VIII. hist. Ord. Mon. p. 440.

2 Aldrovandus, lib. IV. Ornithol. c. I. p. 269. T. II. Chassanus. in Catal. Glor. mundi p. I. Concl. 83. et 84. Lindebro-

allatis exemplis demonstrarunt, qui nonnihil divinum in *Galli* cantu agnoverunt. Vnde ait Cicero [1]. *Quid in mentem venit Callistheni dicere, Deos* Gallis *signum dedisse cantandi? quum Democritus optimis verbis caussam explicet, cur ante lucem* Galli *canant. Depulso enim de pectore, et in omne Corpus diviso, et modificato cibo, cantus edere quiete satiatos*. Sed alii secus, una cum Callisthene, senserunt, ac praeterea diversa ejusdem cantus veluti interstitia adnotarunt. Nam Censorinus, ubi diei partes enumerat, postquam de media nocte loquutus est, statim ait [3]. *Sequitur* Gallicinium, *quum* Galli *canere incipiunt; deinde conticinium, quum conticuere*. Simile est illud Macrobii [4]. *Primum tempus diei dicitur mediae noctis inclinatio; deinde* Gallicinium, *inde conticinium, quum et* Galli *conticescunt*. Sed quum *Gallus* vel a media nocte canere incipiat, cantum, quem rursus edit inter medinoctium, et Auroram, *secundum* nonnulli vocant. Nam Aristophanes ait [5]. *Nempe per Iovem, si tunc venisses, quum* Gallus secundo *canebat*. Item diserte Heliodorus [6]. Galli *jam* secundo *canebant*. Vnde vetus illud adagium, de quo multa erudite scripsit Erasmus, *priusquam* Gallus secundo *canat, id est, summo mane*. Neque aliter Synesius [7]. *Quum nox jam esset circa secundum* Gallorum *cantum*. Ac Juvenalis [8]:

> *Quod tamen ad* cantum Galli *fuit ille* secundi
> *Proximus ante diem Caupo sciet*.

Huc etiam pertinent illa Ammiani [9]. *Casium montem as-*

chius. In Chronic. Karoli M. pag. 69. Camerarius. Cent. I. Hor. Subcis. c. 89. Hieronymus Columna. ad Ennii fragm. p. 471. edit. Neap. Christianus Rotarides. in Programmate de Gallinalibus, seu de Festo Galli. Col. Brand. 1705. 4.

1 de Divinatione lib. II.
3 c. XIX.
4 lib. I. Saturn. c. III.
5 p. 735.
6 lib. V.
7 epist. IV.
8 Sat. IX. v. 106.
9 lib. XXII.

cendit, *unde* secundis Galliciniis *videtur primo Solis exortus*; quae a Mela [1], Plinio [2], Solino, et Martiano Capella [3] *quarta vigilia* nuncupantur. *Galli* nempe, ut docet idem Plinius, *cum Sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia, ad curas, laboremque revocant*. Iccirco Horatius cecinit [4].

Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub Galli cantum *consultor ubi ostia pulsat*.

Sic etiam Apulejus Auroram indicasse videtur, ubi narrat [5]. *Noctis Gallicinio venit quidam Iuvenis proxima Civitate*.

Praeteream plani, et impostoris *Mahomethae* [6] deliria, qui Deum habere nugatus est *Gallum album*, cujus alae smaragdis, hyacinthis, et margaritis distinctae sint, et ab Ortu ad Occasum expansae, caput sub Throno gloriae, pedes in summo aere, illumque quotidie precum tempus summo mane indicare, atque ab omnibus Caeli, et Terrae incolis audiri, praeter homines, ac Daemones, ac propterea *illi Gallos terrae respondere*. Quae tamen ex Hebraeis petita esse demonstravit Bochartus [7], quippe qui in Psalmis habent [8], *Gallus Sylvestris, cujus crura humi stant, et caput ejus attingit Caelos*. Illud potius memorem in numis Vrbium [9] *Gallum* frequenter insculptum fuisse; atque inter figuras, quibus Basilidiani, seu potius Aegyptii [10], Abraxam suum, sive *Solem*, in lapillis, et gem-

1 l. I. c. X. 2 l. X. c. XXII.
3 lib. VI. 4 Sat. I. 5 lib. VIII.
6 ex Chronicis Espahan.
7 Prophetarum loca XII. de Gallinaceo genere examinata. in T. III. Hierozoic. pag. 123.
8 lib. II.
9 Beger. Thes. Brandeburg. T. I. p. 357. Spanhem. de praest. et usu Num. T. I. p. 96. Fea in adnot. ad T. I. Winckelm. arte del disegno p. 210.
10 V. Beausobre Hist. du Manich. T. II. pag. 50. Caylus Recueil d'Antiq. T. VI. planch. XIX. n. IV. p. 64. a Benettis chronol. et critic. hist. prof. et Sacr. T. II. p. 96. Passeri Diatrib. de gemmis Basilidianis. P. Martin expliq. de plus Monum. singul. pag. 291.

mis stulte delineabant, frequenter repraesentari Corpus humanum paludatum, cum capite *Galli gallinacei*, cujus tibiae modo in caput Serpentis, modo in stellas, interdum item in capita *gallinacea* desinebant. Nam *per Galli faciem, cristamque*, ut explicant ex Kircheri [1] doctrina Ioh. Macarius [2], Ioh. Chiffletius [3], et Nicolaus Galeottus [4], *Solaris Numinis potestatem denotabant*, cui iccirco sacrum fuisse Gorius [5] ostendit. Atque hinc fortasse inter aenigmata Ianuarii, principis reliquorum anni mensium, in Kalendario Caesareo Viennensi [6] *Gallus gallinaceus* apparet, quem praecipue *album*, ut Iamblichus [7] refert, mactari vetuit Pythagoras, quippe qui ageret mensis sacrum supplicem, etsi Gisbertus Cuperus Lunam, non mensem, a Iamblico indicatam, fuisse contendat [8]. Ceterum *albi Galli* in partes dissecti sacrificium Methanenses praestabant, ad tempestates averruncandas, ut auctor est Pausanias, qui hujusmodi usum ita explicavit [9]. *Quod vero mihi magnae Methanis admirationi fuit, id ipsum jam scribam. Africus e Saronico sinu agrum, et vineas perflans, novos pampinos acriter torret. Id quoties ac-*

1 in Oedip. Aegypt. Tom. II. Part. II. Class. II. de magia Hieroglyph.

2 Abraxas, seu Apistopistus, quae est antiquaria de gemmis Basilidianis disquisitio. Accedit Ioh. Chiffletii Abraxas Proteus Antuerp. 1657. 4. pag. 17. et in T. v. Misc. Chifflet.

3 Abraxas Proteus, seu multiformis gemmae Basilidianae portentosa varietas Comment. illustrata. in T. v. Miscell. et loc. cit. c. I. p. 57. 62. 63. 91. Christiani Kotaridis Programma de Gallinalibus, seu festo Galli. Colon. Brand. 1706. 4. Abraxas T. II. 177. descript. des Pierres gravées du Cabinet de M. le Duc d'Orleans. Paris. 1784. fol.

4 in tab. XXXII. Musei Odescalchi T. II. pag. 73.

5 de Libertorum Columbario in T. III. Sallengre p. 12.

6 Gronovius in T. I. ant. Graec. Tab. mensis singulari honore culti Antiochiae. Patinus. Vaillant. I. A. Fabricius in libello de mensibus. Iablonskius in Comment. de Remphah. p. 89.

7 cap. XVIII.

8 in T. II. Thes. Poleni de Harpocrate pag. 415.

9 Corinthiaca, sive lib. II. p. 191. edit. Kuhnii. Lips. 1696. fol.

cidit, vento etiamnum spirante, Viri duo Gallum gallinaceum, albis alarum pinnis, *in contrarias partes distractum lacerant, ac deinde dimidiam uterque* Galli *partem praeferens, cum cursu vites ambiunt; mox in eum ipsum locum, unde currere coeperunt, rursus congressi, avem ibi defodiunt. Hoc ab illis excogitatum est, tamquam praesentissimum remedium contra noxios Africi flatus.*

Eumdem Alitem, utpote diei, Solisque nuncium, *Aesculapio* Veteres sacrificasse, Lactantius [1] testatur, ut etiam Andreas Tiraquellus [2] animadvertit. Porro Socrates, quem per *Gallum* jurare solitum fuisse, narrat Laertius, post Cicutae potum, ita Critonem alloquitur, apud Platonem in Phaedone [3]. *O Crito*, Aesculapio Gallum *debemus, quem reddite, neque negligatis. Fiet, inquit Crito, quod jubes.* Quae quidem Viri sapientissimi verba ita explicavit Joh. Reuchlinus [4]. *Aesculapio* Gallum *offerendum vovit; non ut sibi Corpus sanaret, qui jam morti adjudicatus venenum biberat, sed ut parenti Apollini, hoc est primo, et incorporeo Soli, aeternae vitae dispensatori, animum tranquille morientis, cum laetitiae jubilo, et Paeane redderet. Nam* Gallus *Apollini Phoebo, qui Sol nominatur, sacer est, horarum, et diei laetus nuncius.*

Praeterea idem *Gallus gallinaceus*, ut demonstrat Kircherus [5], *Mercurio* sacer erat ob vigilantiam, quippe qui a prima mediae noctis inclinatione, ut ait Lucretius [6].

.... noctem, et plaudentibus alis
Auroram clara consuetus voce vocare.

1 div. Instit. lib. III. c. XX.
2 de nobilit. c. XXXI. n. XXVI.
3 Rhodiginus ant. Lectionum XVI. 12. Pier. Hieroglyph. XXIV. 18.
4 in lib. II. de Arte Cabalistica. V. Ioh. Chiffletii Socratem, sive de gemmis ejus imagine relatis judicium. p. 34. in Abrax. Gemm. Comment.
5 in Obelisco Pamphilio p. 234.
6 lib. IV. v. 714.

omnesque ad munia sua excitare. Propterea Laertius narrat, Citharoedum, qui semper ab Auditoribus deserebatur, ita a Diogene salutatum fuisse [1]. *Salve Galle*. Ille autem quaerens, cur ita? *Quia*, inquit, *canens omnes excitas*. Eadem de caussa, qui in Choro Praecentor erat, ut ait Varro apud Nonium, dicebatur,

Vocis Suscitabulum [2],
Cantantiumque Gallus Gallinaceus.

Propterea excubiarum, et vigiliarum signum fuisse produnt Pierius [3], Saubertus [4], et Aleander [5]. Eadem de caussa *Nocti* Deae, et nocturno tempore sacrificabatur, ut tradidit Ovidius [6].

Nocte *Deae* Nocti *cristatus caeditur Ales*,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Interdum etiam solebant [7], Laribus *cristam promittere Galli*, quod pervigil domum custodiret. Quis tamen crederet, canoram hanc avem pone silentii Deam fuisse insculptam [8]? Nihilominus figura Theatro Hieroglyphicorum Hervatiano inserta, et rursus a Kirchero prolata exhibet *Harpocratem*, qui sinistro cubito *Galli*, jamjam vocem molientis, guttur premit, ac coercet, ut ostendat, quietem, et otium contemplationis, per *Noctuam* ibidem adjunctam indicatum, perturbandum non esse ab importunis diurni temporis actionibus, quarum *Gallus* nuncius est, ac voce ad eas excitare solet homines.

Verum ob pugnacitatem eadem avis praecipue *Marti* sacra, ab Aristophane [9] *Martis pullus* nuncupatur, eam-

1 in lib. vI.
2 c. 11. num. 826. V. Sveton. in Aug. c. LXXXIV, et in Nerone c. xxv.
3 Hier. c. xx. 4 de Sacrif. c. 11I.
5 in Tabulae Heliacae explicatione in Tom. v. Thesaur. Graevii pag. 718.
6 Fastor. lib. I. v. 455.
7 Sat. x111. v. 231.
8 in Obelisco Pamphiliano p. 316.
9 in Avib. p. 580.

que Eucherius Imperii, et Principis Symbolum appellat. Hac de caussa *Galeae* Idoli *Irmensul*, vel *Ermensul*, in Oppido S. Petri, in *Monte Martis*, apud Saxones olim culti [1], cujus descriptionem habemus apud Erastium [2], et Maurinos [3], *insidebat* Gallus Gallinaceus, *quod magnorum bellorum erat signum*. Iccirco *Gallum* frequenter in insignibus insculpebant, ut docent nonnulli [4], ex Pausaniae auctoritate, qui [5] Idomeneum Minois Nepotem, a Pasiphae Solis Filia oriundum, in scuto *Gallo Gallinaceo* usum fuisse tradidit. Item Tullius [6], et Plinius [7], *Gallum* in Foro Romano, et Scuto pictum demonstrant, quem a Julio Caesare positum fuisse, auctor est Quintilianus [8]. Illum enim obstrepenti Helvio, ac saepius urgenti, qualem se tandem ostensurus esset, indigitàsse narrat imaginem *Galli*, pictam in scuto Mariani Cimbrici, cui tunc Helvius simillimus videbatur.

Eorum cantus in augurali disciplina victoriae signum fuit, quod Victores canere, ac victi silere soleant [9]. Et sane refert Tullius [10] ex Callisthene, Leuctricae ca-

1 Du Dieu *Irmensul* adoré chez les Anciens Saxons. dans le T. II. de l'Hist. de l'Acad. des Inscript. pag. 188. Henric. Meibomius T. III. Rer. Germanicarum. Furstenbergius in Monumentis Paderbonensibus p. 102. Ernestus Casimirus Waserbach in diss. de Irmensula Saxonica. Lemgoviae 1698. S. Christ. Schloepkenius in Chronico Bardevicensi, et Beniam. Bielerus in enarratione succincta de Hermensaula Saxonica. Tornavii 1749. Ducange in Gloss.

2 in lib. II. Observ. c. XVII.

3 dans le Voyage literaire T. I. p. 149.

4 Beverlinchius. Tom. IV. magn. Theatr. vit. hum. p. 323. Forcatus. lib. VI. de Gallor. Imp. p. 781. Mennenius. in delic. equestr. Ord. pag. 59. Dempsterus. in additam. ad Rosin. antiq. Rom. lib. III. p. 149. et Hoepingius. de jure Insignium pag. 623.

5 in Eliacis lib. V. p. 218.

6 lib. II. de Orat.

7 lib. XXXV. c. IV.

8 lib. VI. c. II. Franc. Kar. Conradi in loca Quintiliani Inst. Orat. lib. VI. c. I. et III. de usu picturarum in judiciis apud Rom. conjecturae. Exst. in Misc. Lips. nov. vol. IV. Par. III. p. 511.

9 Petr. Moresiellus de Feriis Romanor. dial. XIII. p. 807. in T. VIII. Thes. Graev.

10 de div. lib. XI. c. XXVI.

lamitatis tempore, quae Lacedaemonios propemodum oppressit, quum apud Thebaidem a Trophonio res divina fieret, *Gallos gallinaceos* ibidem sic assidue canere coepisse, ut nihil intermitterent; ac tum Augures dixisse, Thebanorum esse victoriam. Quocirca Lacedaemonii, ut est apud Plutarchum, statim ac hostem profligaverant, *Gallum* immolabant [1]. Iisdem, pro captandis auguriis, usos fuisse prodit insignis Geor. Cedreni locus, qui post historiam Gothorum irruptionis in Romanam ditionem, haec narrat [2]. *Libanius Sophista, et Iamblichus Procli Magister*, Galli Gallinacei *divinationem instituerunt. Scribentes enim in pulvere* XXIV. *elementa, ac cuivis granum frumenti imponentes*, Gallum *iis immiserunt. Atque is granum de litera TH, item de E, de O, et de D abstulit, itaque ambiguam designationem reliquit, quemadmodum id genus res solent imposturarum esse plenae. Valens autem, rè intellecta, multos Theodosios, et Theodotos, et Theodoros, aliosque, quorum nomina ab istis literis inciperent, insontes suppliciis affecit. Iamblichus metuens sibi, hausto veneno sibi mortem conscivit*. Atque hinc inter praecipua Divinationum superstitiosarum genera, *Alectryomantiam* recensebant, divinationem scilicet per *Gallos Gallinaceos*, quam plures 3 illustrarunt.

Profligato hoste, domum reversus, Dux deposito Imperio, si astu vicisset, Bovem immolabat, si acie, *Gallum Gallinaceum*. Audi Plutarchum in vita Marcelli. *Spartae Dux, deposito Imperio, si astu, aut suada rem perfecis-*

1 lib. III. c. X.

2 p. 313.

3 Zonaras T. III. p. 28. Annal. Plinius hist. nat. lib. X. c. XXI. Kircherus T. II. Oedipi Par. II. p. 472. Vossius de Philosophia p. 176. Bulengerus l. III. c. XL. Potterus p. 339. Archaeol. Theod. Thammius de impietate Sagarum pag. 63. et Ioh Praetorius in singulari libro de hoc argumento. Francof. 1681. 7.

set, Bovem immolabat, si acie Gallum Gallinaceum. Idem in Lacon. Instit. *Quum stratagemate hostem vicissent, Bovem Marti immolant, quum aperte* Gallum. Ac de *Gallo* meminit in Agesilao. *Consuetum censebant, et competens ipsis opus, vincere hostes, ut nec Diis immolarent, nisi* Gallum, *in victoriae testimonium*. Huc facit Columellae locus, qui ait [1]. *Nos enim censemus instituere vectigal industrii Patrisfamilias, non rixosarum avium lanistae, cujus plerumque totum patrimonium, pignus aleae victor* Gallinaceus *pyctes abstulit*. Columellae verba lucem mutuantur a Plutarcho, qui narrat. *Nisi et canes habuerint praecellentes, et equos, et coturnices, et* Gallinaceos, *ferunt periniquo animo*.

Praeterea ab eorum pugnacitate exemplum petentes, eosdem non secus, ac Gladiatores in arenam producebant. Iis enim tanta dimicandi libido, ut finis non sit, nisi commorientibus. Quod praeter Plinium, memoriae prodidit etiam Philo Judaeus in libro, *quod omnis Probus, liber*. Gallinacei *tanta contentione pugnare solent, ut ne cedant, etsi viribus vincantur, animis tamen non superantur; ad mortem usque pertendunt*. Vorato praesertim allio, pertinacia augetur, ut notat Xenophon in Symposio. Hinc apud Comicum in equitibus, *σκοροδίζειν*, est ad proelium animare, deductum a natura *Gallinaceorum*, qui, assumpto allio, magis ad pugnam accenduntur. Ab hoc Animante profluxit adagium, *Gallus insilit*, ubi quis semel victus certamine, quum superior evadit, tamquam ovans, cantum edere solet, ac si cantu se victorem testari vellet. Inquit enim Plinius [2]. *Gloriam sentiunt, et hi nostri Vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rum-*

1 de re rust. l. VIII. c. ult. 2 l. X. c. XXI.

pendoque somno natura genuit. . . . Quod si palma contingit, statim in victoria canunt, seque ipsi principes testantur. Id etiam Aelianus animadvertit, narrans [1]. *Quum vicit, superbus est, et cervice erecta, et glorianti similis.* Sic etiam Phile [2]. *Gallus, quum pugna superior est, mere turget, et cum pompa graditur, et exultat.* In hanc rem Lucilius cecinit [3]

Gallinaceu quum victor se Gallus honeste
Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues.

Recte igitur Basilius pronunciavit [4].. *Superbum quid est Gallus.*

Si vero in pugna superatur, trepidus aufugit, alasque submittit. *Victus*, ait Plinius, *occultatur silens, aegreque servitium patitur.* Vnde in pavitantem dicitur, *tamquam Gallus Gallinaceus*, ut habet Erasmus. Meminit istius proverbii Plutarchus in Alcibiade

Pavidus refugit, more Gallinacei,
Quum victus alas ille submittit suas.

Illorum pugnantium spectaculum quotannis edebatur Athenis, Pergami, et Romae. Tradit enim Aelianus [5]. *Post devictos Persas, Athenienses Legem posuerunt, ut* Galli Gallinacei *quotannis uno die publice in Theatro certarent.* Quin et juvenes, quotquot erant, id spectare tenebantur. Haec disco ex Solonis verbis apud Lucianum. *Quo modo afficereris, si apud nos Coturnices, et* Gallos Gallinaceos *intense certantes videres, et in his non parvam curam? rideres nempe: ac multo magis, si id scires, lege fieri a nobis: tum praeterea imperatum, uti juvenes omnes adsint, spectentque aves usque ad extremam virium defectionem decer-*

1 hist. l. IV. c. XXIX.
2 hist. anim. c. XII.
3 l. VIII. Sat.
4 in Hexaemeron Hom. VIII.
5 var. hist. lib. XI. c. XXVIII.

tantes. Nam Themistocles adversus Persas quum exercitum duceret, *Pullos gallinaceos* inter se de victoria decertantes conspicatus, inde arrepta occasione, Athenienses ad strenue, fortiterque depugnandum adversus hostes, isto Avium exemplo adhortatus est, prosperoque rei eventu confirmavit. Quamobrem, superatis Persis, Athenienses, ob insolentis facti memoriam, descriptum *Gallinaceorum* certamen instituerunt.

Sed ipsam legis originem ab Aeliano audiamus [1]. *Vnde vero initium haec lex sumpserit, dicam. Quum Themistocles civium exercitum educeret adversus Barbaros,* Gallos gallinaceos *vidit pugnantes: neque ille oscitantes eos vidit, sed adductis ad spectaculum militibus, at hi, inquit, non pro patria, nec pro Diis, item patriis, aut sepulcris progenitorum, malum sustinent; nec pro gloria, neque etiam libertate, liberisque; sed dumtaxat ne vincantur, neve alter alteri cedat. Quibus dictis, confirmavit Athenienses; quodque ad virtutem eos incitasset, voluit in memoriam similium rerum conservare.* Verum Themistocli, quae adscribit Aelianus, Diogenes Laertius Iphicrati tribuit in vita Socratis, ubi ait. *Iphicrati quoque Duci animos adjecit, quum ostendisset ei* Gallos gallinaceos *tonsoris Midae, adversus eos, qui Galliae erant, alis pugnantes.*

Plinius autem refert [2]. *Pergami omnibus annis spectaculum* Gallorum *publice editur, ceu Gladiatorum.* Eorum imitatione, Romanis hoc ipsum placuit de certamine Coturnicum, ad quod publice per Praeconem spectatores invitabant, quum dicerent, *Pulli pugnant*. Item Hero-

1 V. Meursium de Popul. Atticae p. 808. et in T. I. Opp. ed. Flor. p. 387. et Ioh. Henr. Boeclerum in Diss. de Themistocle. int. ejusd. Diss. Acad. T. II. pag. 1145. Argentor. 1710. 4. V. p. 101.

2 lib. x. c. xxI.

dianus narrat de Severi Filiis [1]. *Inter se Fratres dissidebant, puerili primum certamine, edendis Coturnicum pugnis*, Gallinaceorumque *conflictibus exorta discordia*.

Gallus gallinaceus cognomine *Centaurus*, ut tradidit Nicander [2], amavit *Secundum*, Nicomedis Bithyniae Regis Aurigam, qui itidem *Gallo* impense favit, gratiam rependens; ita ut nescio, an serio acceperit, quod olim joco Diogenes pronuntiavit, ut Platonem salse perstringeret, qui *Hominem, animal bipes sine pennis* esse definierat. Nam postridie *Gallum* deplumatum in ejus Liceum immisit, clamitans, *en Hominem Platonis* [3]. Agrigentini, ut narrat Timaeus, testis oculatus, apud Diodorum Siculum [4], Gallinaceis *pugnatoribus, Perdicibus, Coturnicibus mirifice delectabantur, et ad pugnam inter se destinabant, iisque sumptuosos tumulos exstruebant*. Verum nemini carior hujusmodi avis fuisse legitur, quam Po liarcho, quem ferunt, Aeliano teste [5], *ad eam mollitiem pervenisse, ut Canes etiam, et* Gallos, *si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publice, et amicos suos convocaret ad funus, splendideque eos sepeliret, atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum insculperet*.

Ceterum haud dissimulem, longe diversam quandoque fuisse *Galli* sortem apud Romanos. Eum enim, quod cum parentibus, et liberis colluctari soleat, una cum Cane, Vipera, et Simia, in culeo includebant [6], quo, sin-

1 lib. III. c. x.

2 Mustricus Philosophus de luxu Graecorum c. XII. p. 2525.

3 Laert. lib. vI. c. xxvI, et apud Grimaldum Vita di Diogene p. 79. V. Erasm. in Adagiis. Chiliad. V. Cent. I.

4 lib XIII. Bibl. fol. 375.

5 Var. Hist. lib. vIII. c. Iv.

6 Cicer. ad Herennium lib. I. 13. de Invent. II. 50. et pro Roscio Amer. c. xxv, et xxvI. Modestin. Dig lib. 48. tit. 9. leg. poenult. Iuvenal. Sat. vIII. v. 214. Seneca l. I. de Clem. c. xv, et xxIII. Suet. in Aug. c. xxxIII. Scaliger ad Festum. Dositheus in sent. et epist. Adriani. Imp. Anianus ad L. unicam C. de patricid.

gulari supplicio, Viri Parricidae, sanguineis virgis caesi, insuebantur, in Profluentem dejiciendi.

Itaque, quum haec Avis, tum a Christianis, tum ab Ethnicis adeo celebrata fuerit, Lectoribus, ut puto, non displicebit, me in ejus gratiam, quasi de caussa digressum, de eodem paullo fusius disseruisse. Sed tandem *Gallos* omnes, atque etiam hunc nostrum, de B. *Andreae* Templo rotundo optime meritum, quippe qui pristinum *Turris Campanariae* decus ei quodammodo conservavit, salutemus; ac gratulati, quod ejus etiam casum superstes evaserit, ad alia dejecti *Sacrarii* ornamenta consideranda progrediamur.

CAPVT XV.

De marmoreis, aeneisque Statuis, quae in exciso Sacrario permanebant.

Quum diu haesissem, utrum marmorea, aeneaque Monumenta, quae in *Sacrario* exstabant, suis quaeque locis describerem, an potius ea simul colligerem, et lectorum oculis, uno veluti intuitu, conspicienda exhiberem, tandem optimum factu esse duxi, priore consilio abjecto, posterius amplecti, omniaque unum in caput reji-

Isidor. Hisp. in glossis. Zonaras Annal. II. p. 16. Dempsteri Paral. ad Rosini antiq. Rom. VIII. 24. Fab. Semestr. II. 7. Sigon. de Iudic. II. 31. Politian. Miscell. cap. 20. Rob. Cenal. de pond. et mens. rat. de Culleo, Vase coriaceo ad puniendos Parricidas legibus instituto. in T. XI. Thes. Graevii p. 1472. Poetus de Rom. et Graecor. mensur. in T. III. Thesaur. Graevii p. 1645. Gyraldus de var. sepel. rit. c. II. Boxhorn. quaest. Rom. c. 37. Voss. de Idololatria III. 35. Turneb. ibid. VIII. Laurent. de tormentis c. 7. Thom. Cencius par. II. animadv. v. p. 247. Hier. Magius Misc. IV. 8. Goldastus ad Dositheum p. 874. et 875. edit. Schultingii. Christ. Colerus in Parergis, et Meursius III. 23. part. II. exercit. critic. pag. 162. aliique apud Pitiscum T. I. pag. 33. et T. II. p. 390.

cere. Fortasse enim acceptior, probatiorque sic futura est eorum descriptio, quae secus, tot aliis rebus implicata, confusa accidisset, eorumque quasi species, ac forma evanuisset.

Sed, ut ordine procedamus, in pariete exteriore, inter *S. Clementis*, et *Reliquiarum* Cellam, marmorea Προτομή visebatur cum Inscriptione, quam una cum ceteris, quae in *Sacrario* exstabant, videsis in nostra *Sylloge monumentorum*. Haec erat *Card. Barberini Senioris* imago, quam ad ejus memoriam perennandam, ponendam curavit *Karolus Barberini Card.* Fratris Filius, cujus ibidem, ut supra narravimus, servabantur praecordia. Prioris autem Cadaver fodiendo repertum est.

Hic magna cum laude, maximoque Cleri Vaticani commodo, Basilicae regimine functus est. Praterea anno MDCLXXX, regia plane munificentia, nobilissimum ei ornamentum adjecit. Duo enim Apostolorum *Petri*, *et Paulli* signa, ex aere conflata, *Gregorii* XIII. donum, inauranda curavit; ac quod multo magis est, *quattuor argentea candelabra*, aureis laminis obducta, quae iccirco *aurea* vulgo audiunt, basibusque ex lapide lazuli, et sphericis crystalli montani segmentis praefulgent, dono dedit [1]. Atque ita multo pretiosius reddidit, ac cumulavit *Alexandri Farnesii Cardinalis* munus, oblatum anno MDLXXXI, aliorum

1 In iis insculpta est hujusmodi inscriptio.

CAROLVS . SPAGNA . OPVS

Ceterum Rodolphinus Venutus in *Numism. Romanorum Pontificum a Martino V. ad Benedictum XIV. Romae* 1744. 4 *p.* XXXIII. Annam Hametanam, arte pictoria nobilem, sacras historias, quae eadem Candelabra mirifice exornant, cestro pinxisse narrat. Et quoniam in his sumus, minime praetereundum est, duo majora aerea Candelabra, quae auro fulgentia, et aspera signis stant hinc inde, sollemnioribus diebus, ad altare princeps Bas. Vat., esse opus insigne Ant. Pollajoli, atque antiquitus aenei Mausolei Xysti IV. decus fuisse. Deinde vero Praesul Oliverius, Fabricae Oeconomus eadem inauranda curavit.

duorum, quamvis paullo breviorum, cum *Cruce* illis socia [1], opus insigne peritissimi Artificis *Antonii Gentili Faventini* [2], ac pretii xv. mile aureorum, juxta Turrigium [3], seu xiiI. mile, ut tradunt Martinettus [4], et Chattardus [5], quibus favet libri Benefactorum locus, quem heic exhibeo [6]. vI. *Nonas Martii*. *Eodem die anno* 1589. *Obiit bone memorie Alexander Cardinalis Farnesius Episcopus Ostien. S. R. E. Vicecancellarius, et nostre Basilice Archipresbiter, qui vivens preciosam Crucem ex argento, artificiose sculptam, cum duobus similibus Candelabris, valoris tredecim milium aureorum, Altari Apostolorum pie obtulit. Idem pluviale pulcherrimum auro contextum* Sacrario *attribuit. In obitu vero Calicem aureum pretii quingentorum aureorum, lanceam ex argento cum duobus urceolis similibus testamento legavit. Solemne anniversarium quotannis Capituli decreto pro ejus anima celebretur.*

Alterum vero obversabatur Canonicorum grati animi monumentum in pariete, qui inter *Reliquiarum*, et *S. Annae* Cellam interjacebat. Hoc nimirum memoriae *Paulli* IV. *P. M.* erectum fuit, quod praeter alia multa iis collata beneficia, quae Alpharanus [7] enumerat, literis Apostolicis anni MDLIX. tertio Idus Majas [8], Alphonso Caraffae Card. Regenti Camerae Apostolicae demandave-

1 In Crucis Basi exstat hujusmodi inscrip.

ALEXANDER
FARNESIVS
CARD. VICECAN
HVIVS BASILICAE
ARCHIPRESB
D. D.
ANTONIO . GENTILI FAENTINO . F

Exstant autem in foliis trium liliorum, quae referunt insigne Farnesianum, tria haec verba viriculo affabre insculpta

ΔΙΚΗΣΚΡΙΝΟΝ
ΒΑΛΛΟΥΤΩΣ
ΠΑΡΑΠΛΩΣΟΜΕΝ

2 V. Baglioni fol. 109. Orlandi Abcedario Pittorico.

3 p. 121. 4 p. 227.

5 p. 231. T. I. 6 p. 31.

7 ms. c. xiiI. n. 168. p. 63.

8 T. iiI. Bull. Vat. p. 36.

rat, ut Monitorio praemisso, sacris interdiceret detentores bonorum, aliarumque rerum ad Basilicam pertinentium, quas recensuit, ipsique Basilicae asseruit. Quare ad hujus beneficii memoriam, ibidem Pontifici Statua aenea, inaurata, ex alio aeneo archetypo desumpta, ut narrat Turrigius [1], a Canonicis collocata fuit, cum epigraphe, a Benedicto Aegio Spoletino elucubrata, juxta Antonium Caracciolum [2] Joh. Baptistam Taphurium [3], et Turrigium, seu potius ab Achille Maffejo Vat. Bas. Canonico, ut refert Grimaldus [4].

Sed Alpharanus [5] audiatur, qui postquam de Cella *Reliquiarum* disseruit, ita hoc monumentum ob oculos ponit. *Iuxta, et extra hoc Sacellum in pariete contra Orientem, a dextera Sacelli parte collocata fuit a Canonicis aenea Paulli* IIII. *Summi Pontificis Statua deaurata, cum Angelis illi Regnum supra Caput sustinentibus, sub qua adest tabula aenea deaurata literis insculpta, quibus longe benemeritum Basilicae, et Canonicorum Paullum* IV. *fuisse cognoscitur*.

Paries denique inter *S. Annae* Cellam, aliamque *SS. Andreae, et Iacobo Maj.* olim sacram, cujus vice postmodum Arcus erectus fuerat, sub quo Basilicae *Beneficiarii* sacris vestibus sese induebant, aeneam *Benedicti* XIII. Statuam exhibebat. Quod grati animi monumentum posuit, aere conlato, Pontifici benemerentissimo, ut subjecta docebat Inscriptio, omnis Ordo Cleri Vaticani, quod sibi, quum reditibus legatorum, fundisque dilap-

1 p. 241. 548.
2 in ejus vita.
3 Hist. Cler. Regul. c. xvI.
4 In lib. Instr.
5 ms. n. 168. pag. 63. Nel pilastro de questa Cappella li R. Canonici, et R. Capitolo di S. Pietro hanno messa la Statua de metallo deaurata de d. Paolo IIII. denotando li gran beneficj fatti da S. Beatitudine verso la Chiesa, et Capit. di S. Pietro, con questa iscrizione in tabala *enea deaurata*.

sis, ob statas impensas, aere alieno oppressus, maximasque in difficultates adductus esset, summam aureorum CXXIV. milium liberalissime largitus esset; cujus gratia, oneribus explicatis, et conditionibus certos in dies definitis recreatus revixit. Praeterea iccirco pro Pontifice de se optime merito, anniversaria sacra perpetuo celebranda constituit.

CAPVT XVI.

De ceteris dejecti Sacrarii Monumentis.

§. I.

De Rota Porphyretica.

In *Sacrarii* umbilico *Lapis porphyreticus*, circularis figurae, palmorum XI. visebatur, quem illuc *Nicolaus* V. ut tradit Turrigius [1], dum Templum restauravit, ad pavimenti ornamentum, e Basilica Vaticana transferendum curavit. Hujusmodi lapides, quos in Caeremoniali Romano, *circulos porphyreticos* appellatos fuisse legimus, *rotae* vocabulo apud antiquos scriptores usitatius veniebant, ut pluries supra [2] vidimus.

Quidam vero locus exstabat in Bas. Vat., qui ad *quattuor rotas* dicebatur, quemadmodum videre est in Karoli M. diplomate, apud eumdem Turrigium [3], Macrum [4] aliosque. Plures enim earum, testante Severano [5], vetus Basilicae pavimentum ornabant, quarum una maxime omnium a priscis Scriptoribus commemoratur.

1 p. 520.
2 pag. 823. 827. 844. 845. 846. 847.
3 p. 24. 520. 509.
4 in Rota Porphyr.
5 T. I. p. 128.

Eadem sita erat, ut habemus ex Petro Mallio [1], ante *Portam Argenteam*, quae princeps ex Bas. Vat. Portis, ac media erat, unde etiam *Mediana* appellata, ab Honorio [2] primum *ex argento investita*, ac deinceps, postquam eam Saraceni argento nudaverant, a Leone IV. [3] reparata, et *tabulis multis argenteis lucifluis, salutiferisque historiis sculptis decorata*; pari modo, quo nomina Vrbium, atque Oppidorum a Karolo M. Sedi Apostolicae subjectorum, ut Mallius refert [4], *in portis aeneis super gradus B. Petri, videlicet in introitu Eccl. S. M. inter Turres, argenteis litteris* legebantur. Iccirco S. Paullinus eam describens [5], *venerabilem regiam, caerulea eminus fronte ridentem* vocavit, utpote argenteis laminis, figurisque obductam. *Regias* vero, ac *speciosas* Templorum Portas Graeci appellabant, utpote ad regium Dei Palatium, ac Basilicam inservientes [6]. Nam, quum olim in Portis Vrbis, vel Sanctuarii jus diceretur [7], idem erat apud Veteres, ut recte adnotavit Steph. Borgia [8], ad *Portam* pergere, ac ad Judicem, seu Tribunal, quod idem valet atque ad *regiam*, quum Reges Iudicum munere fungerentur. Porro de Portis Civitatum Iudeae, iisque praesertim, quae *Battrabim* Hebraice nuncupantur, ac de Fori, judiciorumque in iis exercendorum more, praeclara sunt illa, quae habet Hie-

1 num. 110.

2 T. II. Anast. p. 208.

3 T. III. Anast. p. 123.

4 T. VII. Iun. Bolland. p. 54. Torrigio Grotte Vat. p. 337. Borgia Mem. di Benevento T. I. p. 33. et 161.

5 in epist. XXXIII. ad Pammachium.

6 Binghamus T. III. lib. VIII. cap. V. p. 189. De Portis Speciosis, ac regiis, cur ita vocatae?

7 V. I. Wichmanshausen in Philologematis octo selectioribus. Witteb. 1715. §. 3. Franc. Moncaeium in lucubrationibus ad Canticum Canticorum. Paris. 1587. 4. p. 88. Will. Frid. Pistorium Amoenitatum historico-juridicarum diss. II. §. 47.

8 in illustrat. Opusc. Card. Valerii de benedictione Agnorum Dei. Romae 1775. 4. pag. 25. et in Vatic. Confessione B. Petri pag. 251.

ronymus [1]. *In porta, juxta veterem judaici morem Populi fuisse judicia, et saepe legimus, et crebro interpretati sumus, ut ne Agricola ad caussam veniens, frequentia Civitatis, et novo terreretur adspectu, nec Vrbis habitator longe ab Vrbe properaret, et subvectionem quaereret jumentorum*. Hinc hodieque *Porta* pro *Aula* adhibetur, ut *Porta Ottomannica*, nimirum *Regia Turcarum*, ac pari sensu est apud Xenophontem θύραι [2].

Libri rituales, ubi agunt de *Imperatorum coronatione*, ejusdem *rotae porphyreticae* saepe numero meminerunt. Sed ne singula persequar, quae in Ordinibus a Raynaldo, Mabillonio, Martenio, Muratorio evulgatis occurrunt, antiquioris Ordinis a Panvinio primum, ac deinde, ut supra [3] dictum est, a Gattico, et Cennio in lucem editi proferam auctoritatem. Ibidem post primam Orationem ab Episcopo Albanensi recitandam, *pro electo Imperatore coronando*, ante *Portam Argenteam*, ritus describitur obeundus ante secundam precationem habendam ab Episcopo Portuensi *in medio rotae Medianae* [4]. Tunc enim Pontifex B. Petri Ecclesiam ingressus, *sedet in sede sibi praeparata in dextra parte ejusdem rotae, contra sedem praeparatam Electo in sinistra parte*. His concinit *Innocentii* VI. diploma [5], quo ritus in *Karoli* IV. coronatione, ejusque uxsoris *Annae* Reginae servandos declarat, itemque Christophori Marcelli [6] praescripta, qui Imperii corona donandum in medium Bas. veluti manu ducit, *ubi est rota porphyretica*.

Verum praeter ea, quae pro *Imperatorum Coronatione*, afferuntur, alibi etiam hujusce *rotae* fit mentio. Nam

1 lib. II. in Amos p. 1413.

2 V. Henr. Stephani annot. in Xenophontem, et Lakemacheri observat. philolog. pag. 331.

3 p. 824.

4 Torrigio Grotte Vat. p. 587.

5 T. I. Bull. Vat. p. 353.

6 Tit. v. §. XIV.

Cencius Camerarius, ubi disserit [1], *qualiter Dominus Papa pergit in Litania majori in festo S. Marci, facta oratione*, inquit, *post Te Deum laudamus super* rota, *in introitu quasi Ecclesiae, pergit ad Secretarium*. Ac, ut cetera exempla missa faciam, a Turrigio [2], et Catalano [3] prolata, Petrus Diaconus in Chronico Monasterii Cassinensis [4] testatur, *Henrico* IV. una cum *Paschali* II. Basilicam ingresso, *quum in rotam porphyreticam venisset, positis utrimque sedibus* ambo consedisse, eodemque loco *Paschalem*, nefario ausu, vinculis constrictum fuisse; quae quidem Petri verba nollem, Ducangius [5] accepisset pro Cubiculo, ubi xiI. Viri judicia exercebant.

Hujusmodi lapidum unus etiamnum superest, qui Basilicae portam principem ingredientibus statim obversatur, et delineatus apud Dionysium exhibetur [6]. Alter enim qui in *Sacrarii* pavimento exstabat, periit temporis diuturnitate, plures in partes diffractus. Ceteros, qui a Turrigio [7], et Severano [8] in *Cryptis Vaticanis* servari perhibentur, Dionysio [9], etsi eos diligenter inquisivit, reperire minime licuit.

Sed heic lectoribus invidere nolo insignem Grimaldi locum, quo *rotas* omnes *porphyreticas*, quae aevo suo, Bas. Vat. pavimentum ornabant, accurate recenset, etsi eam, quae in *Sacrario* exstabat, minime nominaverit. Ait itaque [10]. *Cernebantur reliquiae primi pavimenti, et for-*

1 in Ord. xiI. c. xxix. p. 204.

2 p. 120.

3 T. I. §. iI. p. 106.

4 Excerptum ex Chronic. Saxonico de captione, et custodia Paschalis iI. in T. v. Ann. Bened. p. 681. V. Papebrochium in Conatu Chron. hist. p. 702. Muratorium in T. iiI. rer. Ital. p. 354. Ioh. Adolph. Hartmanni Vitam Paschalis iI. cum ejusd. Vitis Victoris iiI. Vrbani iI. Marb. 1729. 8.

5 in Glossario.

6 Tab. LI.

7 p. 120.

8 p. 135.

9 p. 128.

10 fol. 159.

tasse Constantiniani, vermiculati operis, albis, porphyreticis, serpentinisque lapillis. In hoc sacro vermiculato solo, magnae Rotae *erant; meo tempore has notavi. Visebantur tres amplae nobilissimae, et integrae* Rotae *ante solium Pontificis, in veteri apsida, quarum una fracta nunc est ante sepulcrum Clementis Octavi. Iacobus a Porta Architectus rogatus a multis, ut integras inde elevaret, quum jussu Clementis Apsidam diruere vellent, verba dedit, ignorantia ne dicam, an malitia tales lapides flocci pendit, et fabricatores murorum, massas super ipsas* Rotas *dejiciendo, in plures partes fregerunt, multae licet crassitudinis essent; hujusmodi lapidis materia cinericium erat, orientale grannitum vocatur; hinc non longe alia* Rota *similis minor erat, quam integram inde elevarunt. Mirabantur inspicientes, et priscorum Romanorum potentiam hinc arguebant. Hic locus fortasse, quem Carolus Magnus, in suo privilegio asservato in Archivo S. Petri, nominat ad* quatuor rotas. *Ante organa alia similis* rota *magna in aliquot partes fracta. In porticu ante mediam portam fuit ibi olim alia* Rota. *Remanserant vestigia, ubi P. Mallius scribit quiescere Ven. Bedam* [1]. *Ante Altare Deiparae Virginis in columna* Rota *alba venati marmoris. Ante Altare SS. Sacramenti* Rota porphyretica *magna, et ampla, pulcherrima, et integra, praeterquam in ora parum fracta in antiquis caeremoniarum libris saepius nominata, dum agitur de coronatione Imperatoris, ubi una Oratio super ipsum Caesarem dicebatur, de qua diffuse agit Card. Baronius in vita Paschalis* II. *capti a Caesarianis ad* Rotam porphyreticam, *modo ibi est sepulta in antiquo pavimento, et locus iste hodie subjacet immediate musiveis stemmatibus SS. D. N. Pauli* V. *quae sunt in magno fornice.*

1 V. pag. 898. 899.

§. II.

Dejecti Sacrarii Inscriptiones.

Dum *Sacrarii* pavimentum effoderetur, inter lapides, quibus instructum erat, alia insuper Κειμηλία ad hanc usque diem coelasse, compertum est. Hinc enim plura veterum *Inscriptionum* fragmenta, in apricum prolata sunt. Haec inter, duo praesertim insignia sunt; nimirum *Leonis* cujusdam epitaphii fragmentum, et *Nicolai* I. *Pontificis* titulus sepulcralis, qui ad hanc usque diem apud Scriptores mutilus, ac detruncatus occurrebat. Atque ita praeter ea, quae supra de *Leone*, et *Gregorio* attulimus, tertii quoque Pontificis, qui ex rebus praeclare gestis *Magni* cognomen duxit [1], gloriae posthumae illustrationem, operis hujusce ratio, amica, ut ait ille, conjuratione postulavit. Haec autem monumenta, fateor debere me V. C. *Petro de Tois*, rerum antiquarum Bas. Vat. studiosissimo, et acerrimo indagatori, qui ea mecum, uti ferme cetera Inscriptionum apographa, perquam accurate descripta, humanissime communicavit.

Quum autem prope *Sacrarium* celebres Inscriptiones, ac praesertim *Vrsi Togati*, et *Q. Heremii* custodirentur, jure quodam veluti suo, locum in nostra collectione sibi vindicabunt. Quae quidem monumentorum series, velut per saturam, partim ex antiquis Scriptoribus, partim ex ipsis lapidibus, tum in veteri, tum in novo *Sacrario* exstantibus congesta, ac unum in fascem redacta, nonnullis etiam animadversionibus, loco suo diligenter illustrabitur.

1 V. Sarnelli nel lume a' Principianti P. I. Quest. XXXII. Se il titolo di *Magno* si è dato in vita ad alcuno? p. 100.

Sed claudam hanc monumentorum seriem alterius *inscriptionis* mentione, quae in dejecto *Sacrario* exstabat. Quum enim *Alexander* VII. constituisset, ut quoties nonnemo in *Beatorum* albo censeretur, aurei quingenti, ac mille, quoties *Sancti* Novensiles caelestibus honoribus donarentur, Basilicae Vaticanae *Sacrario* solverentur, beneficentissimo Pontifici perpetuum grati animi monumentum Canonici posuere, quod nos in Sylloge aliis adnectimus.

§. III.

De Sera, Vecte, Dentibus Elephantinis, ac ferreis Catenis, ibidem servatis.

Jam vero, antequam ex his monumentis discedimus, nonnihil addendum est de *ferreis catenis, sera, et vecte, dentibusque elephantinis*, quae supra arcum *Sacrarii*, ex quo in Basilicam patebat aditus, manebant appensa. Postquam *Karolus* V. Muleassem in Regnum Tunetanum reductum, Vectigalem fecit, ac Tunetum ipsum, potioremque Africae partem debellavit, *seram, vectesque Portarum* expugnatae Vrbis, et decem vexilla, celeberrimae victoriae insignia, una cum *ebore*, cujus in Africa magna est copia, obsequii, gratique animi ergo, Apostolorum Principi dono misit. Quae Christiani nominis hostium spolia, tunc temporis, supra *Portam Romanam* veteris Basilicae a *Paullo* III. locata fuerunt, ut Alpharanus [1], Vgonius [2], et Bonannius [3] testantur.

1 ms. c. IX. num. 128. pag. 49. Sopra la Porta Romana ve sono otto Bandiere, et una Serratura con Catenacci da Carlo V. Imperatore della vittoria avuta d'Affrica, in reverentia, gratia, et honore de Dio, et de S. Pietro suo Vicario .... et in questo tempo forno levate le bandiere d'Affrica, et il Catenaccio, e Serratura, che stavano sopra la Porta, in segno della Vittoria.

His sociae *ferreae* pendebant *catenae*, quae *Portum Smyrnensem* praecinxerant, quaeque a Card. Oliverio Caraffa, *Xysti* IV. Legato, qui insignem de Mahumetanis, classe Pontificia superatis, victoriam reportavit, transmissae, supra *Portam Ravennianam*, ut Alpharanus [4] prodidit,

Sopra la Porta Ravenniana vi è on Stendardo, et una Catena del Porto di Smirna, preso nel tempo di Sisto PP. IV. d' un Cardinale Legato de Latere nell' armata, siccome se vede questa Istoria penta nell'Hospitale de S. Spirito, appresso all'Altare, che è in mezzo l'Hospitale.

Sopra qoesta med. Porta furno posti dodici bandiere, overo insegne della Vittoria havuta contra l'Ammiraglio, et Vgonotti in Francia in tempo della felice mem. di Pio PP. V. l'anno del Sig. 1569.

Accipe, quid in hanc rem tradidit Turrigius ex veteri Diario. p. 584. die 23. Orator Franciae cum Nobili misso a Rege (Karolo IX) cum XII. Vexillis captis in bello, ubi periit.... Venit ad Pal. Vat. hoc ordine. Equites levis armatorae, eorum Tubicines XII. equites portantes XII. Vexilla, Capitaneus Custodiae Svizzerorum, sui milites a lateribus equitantium, Magister Cerimoniarum, Orator Franciae medios inter Hier. Bonellum a dextris, et Missum a Rege a sinistris, multi togati, et alii in brevibus. Pontifex sedens in Aula Constantini excepit eum, assidentibus XII. Cardd. In Porta Palatii dicta Vexilla accepta sunt a XII. Laicis Palatii, qoi genuflexi ea detolerunt ante Papam, cui Nobilis Missus exposuit commissionem Regis gallice, sed Orator supplevit italice, osculatis pedibus ejus. Tenor commissionis fuit, quod Rex recognoscens victoriam habitam a Deo, et firmiter credens, Orationes Suae S. sibi fuisse causam d. victoriae, volens aliquod signum devotionis, et recognitionis ostendere erga Deum, et S. Petrum, suum primum Vicarium, ac S. S. ipsius locum tenentem, miserat illa Vexilla S. S. ut darentur Bas. S. Petri, cui sperabat in futurum, mediantibus suis orationibus, missurum alia majora signa reverentiae. Cui SS. respondit, quod semper sanctam intentionem sui Regis commendabat, et offerebat se paratum semper oratorum Deom pro defensione ipsius, omneqoe auxilium pro posse suom praestaturum, et quod libenter acceptabat dicta Vexilla. Postea Corn. Firmano Magistro Cerimoniarum illa Vexilla mandavit, ut in Porta S. Petri deinde consignarentur Canonicis S. Petri, qui processionaliter ferrent ad Altare S. Petri, deinde affigerentur super Portam Bas. majorem. Ideo bini, et bini dicti Portitores descenderunt ad S. Petrum, sequente Oratore, et Nobile, et ibi XII. Canonici in Porta eum exceperunt, et Patriarcha Vicarius cum pluviale, et mitra coepit cantare *Te Deum* .... et item fuit processionaliter ad S. Petri Altare, super quo ea posita fuerunt in parte anteriore, et completo *Te Deum* Vicarius dixit Versicolos dictos a Pontifice in Eccl. S. Spiritus diebus elapsis. Postea dicta Vexilla delata in Sacellum, ut conservarentur, donec affigerentur supra Portam dictam. Non fuerunt exoneratae bombardae in Arce S. Angeli, sed Tubicines Equitum levis armaturae sonuerunt per viam.

2 pag. 95. 3 pag. 53.
4 ms. c. IX. num. 232. pag. 50.

collocatae fuerunt. Denique sub Paullo V. haec omnia Christianae virtutis Tropaea, conjunctim in *Sacrarium* translata sunt, suppositis inscriptionibus, quas refert Turrigius [1], nosque in *Sylloge* exscribemus.

Atque heic obiter animadverte usum anathemata B. Petro offerendi, quae vel antiquitus in ejus Basil. appendi consuevisse constat ex Panvinio, qui haec narrat apud Turrigium [2]. *Supra Portam Guidoneam erant olim appensa Lancea, et Vexillum a Rege Hisp. ann.* 1212. *devicto Muamolino Rege Saracenorum ad B. Petri Corpus pro Christi gloria, ut eminenti loco suspenderentur missa, ut etiam lancea, Corona, et Vexillum Regis Albuini, missa ab Henrico Imperatore*. Atque alibi [3]. *Supra eamdem Portam (id est mediam) exstant Catena, et hasta, quae Vexilla videntur fuisse, item signa militaria tria proxime hanc. A dextro latere alia minor Porta Ravenniana consequitur, Vexillorum hastis, et sera ferrea suspensis ornata, quae spolia Xysti* IV. *Papae tempore capta a Classe Ecclesiastica in Asia Smyrna, et aliquot Turcis occisis ex ea victoria, Romam delata fuerunt, et ad ejus memoriam perpetuam conservandam ibidem affixa*. Verum de hujusmodi usu praecipue consulendus est Marangonius [4], ubi disserit de ritu manubias in sacris Aedibus affigendi.

Sed tandem *Sacrarii* descriptionem cum Panvinio absolvam, qui eam sic claudit [5]. *Insunt in hoc Sacrario multa aurea, argentea, serica ornamenta, imagines, candelabra, vestes sacrae, et Ecclesiasticae. Quot absidas habet, tot fenestras habuit, tres clausas, quinque apertas. Tota Ecclesia est ligneis tabulis tarsiatis cooperta*.

1 de rebus mem. Bas. Vat. T. II. p. 136.
2 Grotte Vat. p. 583. V. Macrum in Porticani.
3 p. 465.
4 delle cose profane ridotte ad uso sacro c. IV. p. 17.
5 T. II. ms. p. 140.

CAPVT XVII.

De nonnullis Sacrarii Sacerdotiis.

§. I.

De Altari S. Marci.

Priusquam de vetustioribus *Sacrarii* Sacerdotiis sermonem instituam, praestat nonnulla in antecessum exponere. In literis Apostolicis Gregorii XIII, latis anno MDLXXX. VIII. Id. Sept. memoratur [1] *Ecclesia, seu Cappella B. M. de* Virgariis *in Platea dictae Basilicae, postea, suadente ornatu, et amplificatione dictae plateae, inter alia Aedificia disjecta, et a felicis recordationis Pii PP.* IV. *ad Basilicam, et Altare* S. Marci *translata*. Haec illa eadem est aedes a nobis supra descripta [2], ubi a *Schola Virgariorum* Pontifici paratum fuisse lectum demonstravimus, quum festa die S. Marci pompa sollemnis in Vat. ducitur, ac supplicatio est, uti segetes bene eveniant. Extrema Gregoriani diplomatis verba, aliaque, quae infra subjiciuntur, aperte declarant, dejectae Ecclesiae onera, una cum redditibus, ad Altare *S. Marci* fuisse translata. Hoc autem Altare, sumptu non mediocri, *Paullus* II. erexit ad australem Templi Vaticani regionem, ibique, postquam e vivis excessit anno MCDLXXI, in marmoreo monumento, Mini opera, praestantisssimi illo aevo sculptoris, a Marco Barbo Cardinali consanguineo tumulatus est; qua de re praeter Dionysium [3], qui ejusdem *Paulli* jacentem effigiem in aes incisam repraesentat, legi possunt, quae supra ex Alpharano recitavimus [4].

1 T. III. Bull. Vat. p. 137. 2 p. 736. 3 p. 141. 4 p. 871.

Quum autem haec eadem Cella in *Gregorii* XIII. diplomate [1], *Altare S. Marci Evangelistae, Nicolai* V. *et Paulli* II. nominetur, Bull. Vat. editores, ut caussam afferant, cur ibidem *Nicolài* nomen, pro altero *Eugenii*, quod in literis Iulii III. occurrit [2], subrogatum sit, et utrumque diploma ad concordiam revocent, apposite animadvertunt, id evenire potuisse, quod eidem *S. Marci* Cellae proximum fuit nobilissimum *Nicolai* V. sepulcrum (de quo plura, si lubet, videsis apud Dionysium [3]) et Ara *S. Nicolao Papae* erecta, ut docet Alpharanus [4]. Quocirca nil mirum esse, recte pronunciant, si Altare *S. Marci*, quod inter *Eugenii*, et *Nicolai* Pontificum tumulos medium erat, modo ab unius, modo ab alterius Pontificis nomine, novum aut *Eugenii*, aut *Nicolai* agnomen acceperit.

Sed anno MDLXXIV. in veteris Bas. eversione, una cum *Paulli* II, et *Nicolai* V. sepulcris, Altare S. *Marci* aliò translatum fuisse apparet ex Alpharano, qui rem ita memoriae consignavit [5]. *Paope dictum aditum, nunc Nicolai* V. *Mausolaeum, erat antiquitus Altare* S. M. della misericordia, *nuncupatum, a Nardo de Latino hujus Bas. Beneficiato restauratum, ac dotatum, quo denique exolescente, in hujusmodi locum Paulli II. Altare fuit translatum; beatoque Marco Evangelistae dicatum, in memoriam illius Altaris a praed. Pontifice in altera Basilicae parte exstructi, ut supra retulimus, et optime dotati. Huic Altari, etiam nostris temporibus, Ecclesia, et omnes redditus S. M. Virgariorum in platea S. Petri existentis, uniti fuere, quum illa Ecclesia disjecta fuit, et novissime in hoc anno* MDLXXVII. *fuit consecratum ad honorem SS. Marci, et Lucae Evangeli-*

1 T. III. Bull. V. p. 136. 2 ib. p. 13. et 15. 4 num. 61. pag. 31. V. p. 873.
3 p. 28. 48. 77. 80. 81. 138. 139. et 187. 5 num. 105. p. 40.

starum, *et S. Ambrosii Episcopi*, *et Ecclesiae Doctoris*, *quorum Altaria olim in Basilica exstabant*.

Quorsum autem haec, inquies, tam longe arcessita disputatio? nimirum, quod hac ipsa demum *S. Marci* Ara ad novae Bas. structuram solo aequata, *Gregorii* XIII. jussu *geminum Altaris S. Marci Sacerdotium*, *Sacrario* Bas. Vat. assignatum fuit, ea tamen lege, ut illis imposita Sacrorum onera implenda curaret.

§. II.

De Altaribus Mortuorum, *et de Ordinibus Cleri Vaticani*.

Duo in veteri Basilica Altaria cognomina exstabant, quae Altaria *Mortuorum*, sive *Animarum* dicebantur, *eo quod inibi*, ut explicat Alpharanus [1], *sacra facientibus speciatim praerogativas*, *et Indulgentias maximas pro animabus defunctorum Summi Pontifices condonaverant*. Quis enim nescit, Sacrificium ad defunctorum admissa expianda, levamen omnium maximum, ac tutissimum, a primis usque Ecclesiae temporibus, habitum fuisse, quum id omnes ferme Theologi demonstraverint [2]? Horum prius Alpharani tabula ichnographica [3] exhibet, prope intercolumnii Parastatam, quae sinistram partem Crucis transversae intersecabat, ubi erat Oratorium *S. Iohannis ad Fontes* cum *Baptisterio*. *Atque hoc quidem* (verba sunt Alpharani [4]) *Cajus de Bartolinis Civis Romanus pio zelo du-*

1 n. 28. p. 21.

2 Card. Petronius. replique a la response des Roy de la Grande Bretagne liv. IV. c. V. a Paris. 1620. Bulleagerus. Diatribae ad esercitationes Baronianas Isaaci Casauboni Diatrib. III. Lugd. 1617. Natalis Alexander. histor. Eccl. sec. IV. Diss. XLI. Parisiis 1679. Berlendis. de Oblationibus p 431. Card. Gottus contra Lambertum Danaeum in Veritate religionis Christ. T. VII. c. XLIX. Romae 1739.

3 num. 28.

4 p. 23.

ctus, optime dotaverat, ibique ipse, et ejus uxor, et ex eo geniti, positi fuerunt.

Alterum, de quo nunc sermo habendus est, inter duas Portas navis majoris, *Ravennianam*, et *Argenteam* exstabat, prope Sepulcrum *S. Leonis* IX, qui primum, ut narrat Vibertus in ejus vita, *sicut ipse disposuerat, juxta B. Pontificis Gregorii Altare, ante fores Eccl. sepultus fuerat*. Quae quidem a Viberto recte prolata, una cum Praesule, omnium laudum genere cumulatissimo, Steph. Borgia [1] unusquisque fatebitur, qui verum Oratorii a *Gregorio* IV. erecti situm agnoscat. Nam deinde intra Bas. translatus fuit, ut constat ex veteri Kalendario, apud Turrrigium [2]. *Die* XIX. *Aprilis Leonis IX. P. et Conf. habemus Corpus juxta Altare Mortuorum, et fecit miracula*. Eadem testatur P. Mallius, ubi ait [3]. *Leo P. IX....... requiescit infra Eccl. B. Petri, in pilo marmoreo, prope Portam Ravinianam, de quo sunt apud nos multa, et magna miracula*. His concinit Vegius inquiens [4]. *Leonis IX. multa emicuerunt, ac magna signa, jacetque Corpus ejus intra Portam argenteam, et Ravennianam, intus ipsam Basilicam; ubi nunc est Altare, ad quod memoria omnium defunctorum, die suo quotannis celebratur*.

Hoc idem *Altare de' morti*, *ornato*, ut ait Vgonius [5], *d' un antichissimo privilegio per le anime del Purgatorio*, *antiquissimum* esse docet idem Alpharanus [6], *cum insigniis de domo Vrsinorum, et Statua Benedicti* XII. *Tholosani, qui fecit fieri de novo tecta hujus Sacrosanctae Basilicae*. Ibidem Canonicus *Petrus de Benevento*, quem Ciam-

1 Mem. di Benevento T. II. p. 332. 450.
2 Grotte Vat. p. 171.
3 cap. v.
4 n. 69.
5 Staz. di Roma p. 99.
6 num. 48. p. 28.

8 R

pinius [1] *Bartholomaeum* oscitanter appellat, usque ab anno MCDXXX. *Capellam* instituit, et congrua statuta dote decrevit, ut Capellanus, ter in hebdomada, hostiam in ea perlitaret, ac praeterea, communia Clericis Beneficiariis quibuscumque onera in eum transferens, horis Canonicis interesse, Clericorum Beneficiariorum habitum, atque vestitum gestare, et in Subseliario, ultimo post eos loco, sedere jussit [2].

Hujusmodi Clericatus, quemadmodum notant Bull. Vat. editores [3], est XXVI, ac proinde omnium postre-

1 de Sacr. Aed. p. 65.

2 *Alphar. haec omnia literis consignavit*. Infra la Porta Raviniana, et la Porta Argentea, vi è un Altare antichissimo da M. Vegio chiamato *Altare Mortuorum*, da P. Mallio se dice, che fu sepulto Leone PP. VIIII. fol. 20. In tempi nostri se retrova eretto un Chierico della Chiesa, Beneficiato di questo Altare da un Canonico della nostra Basilica, ut patet his verbis. Anno Dñi 1430. die XIX. mensis Augusti Ind. VIII. Pont. Dñi N. D. Martini PP. V. Dñs Ioannes Mercerii Canonicus Remen. executor testamenti ultime voluntatis quond. Ven. Viri D. Petri de Benevento, Canonici Basilicae Pñpis Apostolor. de Vrbe, de propriis bonis stabilibus ipsius D. Petri dotavit Cappellam ad Altare mortuorum sit. in dicta Basilica inter duas portas navis maioris. Ita q od Capellanus decenter possit vitam ducere, cum onere ter in heb. celebrandi ad dictum Altare, ac etiam, ut quotidie horis divinis intersit in Choro, et recipiat a Capitulo dictae Basilicae singulas distributiones, prout unus de Clericis dictae Basilicae, pro quibus dandis numeravit Capitulo, et Canonicis dictae Basilicae pecunias sufficientes, et assignavit bona immobilia sufficientia pro dictis distributionibus dicto Cappellano dandis in perpetuum, quod hactenus observatur. Nell' anno 1574. il prefato Altare, et Cappella vecchia, con arme di casa Orsina, fu restaurata con bellissime colonne de mischio verde dalli Sagrestani di S. Pietro, et de novo da Papa Gregorio XIII. fu concessa l'Indulgenza de liberar l'anima dal Purgatorio, celebrandovi la Messa. Il simile ancora ha concesso, a chi celebrerà sopra l'Altare di S. Gregorio Pmo PP. in perpetuum, ut patet in ejus Bulla plumbea.

De sopra a questo Altare alla pariete della Chiesa in alto, verso Levante, vi è la Statua de Benedetto PP. XII. de marmo con chiave in mano, et regno in testa con Epitaffio

BENEDICTVS PP. XII. THOLOSANVS FECIT FIERI DE NOVO TECTA

HVIVS BASILICAE SVB ANNO DNI M. CCC. XLI.

3 T. III. p. 139.

mus. Nam *Bonifacius* VIII [1], anno MCCCVIII, primus om-

1 *De eodem haec memoriae tradidit Necrolog.* p. 144. IIII. Id. Octobr. In nomine Dñi Amen. Anno ejusdem MCCC. III. III. Ind. mensis Ocrobris. Obiit sancte memorie Dñus Bonifacius PP. VIII. natione Campanus, de Civitate Anagnie, de Domo Gaytanorum, magnar. scientie et eloquentie, qui ob magnam devotionem, quam habuit ad istam Sacrosanctam Basilicam, cujus ante fuerat Canonicus, liberaliter donavit ipsi Basilice .... Item unum calicem autem ad usum S. Marie de Cancellis, ponderis quinque Marcharum. Item unum Crucem cum pede de argento, pulcerrime operis ad amaltos, ponderis LVII. Marchar. cum dimidia. Item unum pluviale nobilissimum de opere Cyprenen. ad ymagines cum aurifrigio anglicano ad perlas. Item unam dalmaticam de opere Cypreneo. cum gramicis ad figuras cum perlis. Item donavit nostre Basilice indulgentiam anni centesimi Iubilei. Hic instituit, quod de cetero in ipsa Basilica triginta Canonici essent, praeter Archipresbiter. augmentando, et ampliando numerum antiquum, qui erant viginti duorum et octo. Hic etiam Instituit in ea viginti Clericos, quos Clericos Chori voluit nominari. Hic etiam Instituit tres Beneficiatos, ultra numerum triginta, institutum per sancte memorie Dnum Nicolaum Papam Tertium, per quos voluit perpetuis temporibus dici Missas ad Altare S. Bonifacii pro anima sua, juxta quod Altare, quod fecit innovari, et etiam consecrari fecit, et erigi sepulcrum suum, in quo requiescit; supra quod Altare, et juxta ipsum fecit erigi Cappellam insignem cancellis ferreis circumdatam, ierra cujus etiam ambitum ante Altare fecit sepelliri Nepotem suum bone memorie Dñum Benedictum Gaytanum Sanctor. Cosme, et Damiani, Diaconum Cardinal. ad cujus Cappelle, Altaris, et ministrorum usum donavit hec, que sequontur. In primis unum par baccilium de argento, quatuor Calices cum patenis, duas Cruces de argento, unam de dyaspro, et unam de Cristallo, tria paria Candelabror. de argento, et unum par de dyaspro, com apparatu de argento, et gemmis, duas naviculas de argento, unam pissidem de argento deauratam pro hostiis, unum colatorium de argento perforatum, quatuor paria ampullarum de argento, quorum unum par est deauratum. Item tria thuribula de argento, quorum duo sunt deaurata, et sunt in eis due teste de argento, ponderis predictorum c. XIIII. Marcharum unc. IIII. et quartarum tertium. Item unam conam de Ebure, cum duodecim hystoriis novi testamenti valde pretiosam. Item undecim planetas diversorum colorum de Scyamito panno tartarico, et dyaspro. Item duo pluvialia de dyaspro, et panno tartarico. Item sex dozalia diversorum colorum, quorum tria sunt de opere Cypren. nobilissima. Item decem, et septem pannos integros diversorum colorum de opere Lucan. Item quinque Aurifrigia, quor. tria sunt de opere Cypren., et unum est de opere Anglican. et unum est ad Smaldos, habens figuras Sanctorum integras, nobilissimum. Item quatuor Camisas de cortina cum pectoralibus, et Gramicis de opere Cypren. Item septem ammictos cum aurifrigiis de opere Cypren. Item tres stolas, et tria manualia de opere Cypren. Item septem ciogula de Serico. Item duo paria Corporalium com domibus de opere Cypressin. Item unum Missale pulcrum. Item unum breviarium pulcrum, notatum in duobus voluminibus. Item unum graduale no-

nium Clericos vicenos instituit ; deinde Franciscus de Thebaldescis Card. Tituli S. Sabinae [1], dum erat Prior Canonicorum Vaticanae Basilicae, tres Clericos adjunxit, ac demum *Xystus* IV. [2] anno MCDLXXXII. duos alios adjecit. Itaque usque ad *Gregorium* XIII, unus idemque fuit Clericus Beneficiarius, et hujusce Altaris *Mortuorum* Capellanus. Sed ejusdem *Gregorii* jussu, anno MDLXXXI. hu-

tatum parvi voluminis. Item viginti tobaleas tam sericas, quam operis Alamanici. Item tria superpellicia vimpa, et cortina. Item duo articularia de opere ad arcum. Item hic cum in nocte festi B. Petri, ex incuria Mansionariorum, ignis consumpsisset tectum, et quicquid hedificii ligi (sic), erat in Campanili, a summo usque deorsum, et propter quod Campane corruentes in terram confracte fuissent, celeriter ipsum Campanile in hedificiis ligneis reparari, et innovari melius solito. Et Campanas sex fieri de novo fecit optimas duplicati ponderis, et pluris quam prioris extitissent.

1 *ex eodem Necrologio*. pag. 125. 111I. Idus Septembr. In nomine Dñi Amen. Anno Nativit. Dñi M. CCC. LXXVIII. mens. Sept. die vero vI. Obiit bon. me. Rmus Pater, et D. D. Franciscus de Tebaldescis Tit. S. Sabine Presb. Card. Prior, et Concanonicus noster, qui nostram Basilicam multum dilexit. Nam juxta majus Altare construi, et erigi fecit Cappellam suam, in qua requiescit, que vocatur Altare *de Ossibus Apostolorum*, in qua instituit, et ordinavit *tres Presbiteros*, *Clericos Chori*, ultra numerum *viginti Clericorum*, institutum per fel. recordat. *Bonifacium Papam VIII*, per quos voluit perpetuis temporibus omni die celebrari in dicto Altari tres missas, pro anima ipsius Dñi Card., ac Dñi Theobaldi eius fratris Concanonici nostri Not. Dñi Pape, et suor. et voluit, quod pred. Presbiteri tres Clerici deservirent Choro nostrae Basilice omnibus horis nocturnis pariter, et diurnis, prout alii Clerici Chori faciunt, et teneantur. V. *Turrigium Grotte Vat. p.* 347. *Gallettum Inscr. Rom.* T. I. *p.* 199.

2 ib.p.113. Id.Aug.M.CCCC.LXXXIIII. Sixtus PP. Quartus patria Saonen. qui in presenti Basilica *Beneficiatos duos*, et *totidem Clericatus* fec. ac Capellam, in qua divina celebrant. construxit, obiit, *ac sepultus in aeneo Monumento fuit in eadem Cella Subseliarii*, *ex qua translat. fuit*, *ad alteram e regione positam*, *una cum aliorum exuviis*, *ut docet huiusmodi Inscriptio*, *quae haud ita pridem ibi posita fuit*.

SIXTVS IV. IVLIVS II. ROMM. PONTT.
NATIONE LIGVRES PATRIA SAONENSES GENTE ROBOREA
GALEOTTVS DE RVVERE CARD. S PETRI AD VINCVLA
IVLII II. SORORIS FILIVS ET
FATIVS SANCTORIVS CARD. S. SABINAE ET EPISC. CAESENATEN.
DEPOSITI SVB HOC ELEGANTISSIMO AENEO MONVMENTO
VIII. CALEND. SEPTEMBRIS MDCXXXV.

jusce Sacerdotii munia, ac jura in Bas. Vat. *Sacrarium* translata sunt, adnexusque Clericatus, perpetuis aliis xxv. adjectus, literis Apostolicis, quae a Bas. Vatic. editoribus [1] recensentur.

Heic autem minime praetereundum esse duco, quod iidem editores animadvertunt, nimirum istiusmodi sacrorum onera sub definito numero, ac stato tempore a Ministris *Sacrario* Bas. Vat. satisfacienda, nostra hac aetate in ejusdem *Sacrarii* codicibus descripta nequaquam apparere. Qua de re conjectari posse arbitrati sunt, ea in Xysti V. decreto de *Missarum reductione*, quod ibidem [2] recitarunt, fuisse comprehensa. Quumque vi hujusce decreti, xv. sacra, quotidie in eadem Basilica celebrentur, ipsa etiam Altaris *Mortuorum* onera huc esse revocanda, docere videtur temporum vicinitas, quae tanta est, ut *Gregorium* inter, et *Xystum* nullus alius Pontifex intercedat. Haec in collectione *Bullarum* Bas. Vat. quae quidem ad *Sacrarii Sacerdotia* spectarent, reperire licuit. Nunc ad Pontificum in idem *Sacrarium* collata beneficia recensenda gradum faciamus.

1 T. III. p. 139. 2 ibid. p. 153.



CAPVT XVIII.

Pontifices de Sacrario benemeriti .

§. I.

Gregorii XIII. *erga Sacrarium beneficia .*

Etsi uberiores *Sacrarii* redditus e media Annata, de cujus origine, atque usu confer, quae Bull. Vat. editores adnotarunt [1], sint repetendi, tamen alios etiam proventus debet Pontificum liberalitati, quorum partem modo enumerandam suscipimus. Exstat in Territorio Pollutri, Coenobium cum Aede sacra, *S. Barbato* Antistiti Beneventano [2] dicata, a Rainerio, et Engeltruda Conjugibus aedificatum, qui bonis auctum, ac dicatum, an. MXV. Monachis Ordinis Benedictini inhabitandum donaverant. Hoc autem Raynaldus eorum Filius, anno MXLIII, *Abbatiae Majellanae*, quam eruditissima dissertatione illustrarunt Bull. Vatic. editores [3], possidendum concessit.

Sed, *Abbatia Majellana* anno MDLII. Basilicae Vaticanae a Julio III. attributa, pari modo et ipsum *S. Barbati* Monasterium, eidem accessit. Vix enim Barptholemaeus Ferratinus, Amerinus Antistes, ab hujus Monasterii administratione, quae sibi commissa fuerat, sese abdicavit, *Gregorius* XIII. de *Sacrarii* commodis, et utilitate vehementer sollicitus, anno MDLXXXII. praedia, juraque omnia cum omni redditu hujusce Secerdotii, in *Sacrarii* dotem addixit, eique perpetuo nexu sociandum

1 T. I. p. 177. T. II. p. 91. 268. 344. 425. T. III. p. 60. in append.

2 Ejus vita, auctor. Anonymo, cum Comm. praevio, et notis Ioh. Bollandi. in T. III. Febr. p. 136. et 142. Borgia Mem. di Benevento T. I. pag. 213. T. II. p. 42. 277. T. III. p. 69.

3 in calce T. I.

decrevit; id quod çonstat ex ejus diplomate apud Bull. Vat. editores [1].

Alia vero optimi Pontificis beneficia in Bas. et in *Sacrarium* collata, a Necrologio Vat. discere licet, quod ea recenset in hunc modum [2]. *Die* X. *Aprilis an.* MDLXXXV. *hora circiter* XX, *obiit fel. record. Gregorius* XIII. *patria Bononien. familia Boncompagna, Princeps de Vaticana Basilica optime meritus. Nam et Gregorianum Sacellum exstructum lectissimorum marmorum varietate, pretiosis columnis, opereque plastico, et musivo, sumptu maximo* LXXXV. *aureorum millibus erogatis exornavit, Deiparaeque Virgini, ac S. Gregorio Nazianzeno dicavit, sub cujus Altare ejusdem insignis Doctoris ossa ex D. Mariae ad Campum Martium eximia processionis pompa anno* MDXXC. III. *Non. Iunii translata postridie recondidit. Quatuor Sacerdotes in ipso perpetuo celebraturos instituit. Calices argenteos, ornamenta, sacras vestes, Crucem cum* VI. *Candelabris ex argento* CXL. *librar. aliaque ad divini cultus usum summa liberalitate donavit. Idem Altari Apostolorum Principis* VI. *Candelabra cum Cruce ex metallo artificiose sculpta pro quotidiano usu, aliaque diversa genera sacrae supellectilis est elargitus*. Ad Sacrarii subsidium Abbatiam S. Barbati, et Sacella duo defunctorum, ac S. Marci, in Basilica sita, annui redditus Scutor. DXL. attribuit. *Privilegiis denique, ac immunitatibus nostram Basilicam maximopere decoravit, et auxit, cujus anima in pace requiescat. Amen. Celebretur quotannis ejus anniversarium.*

1 T. II. p. 141. 2 in lib. Benef. pag. 51.



§. II.

Pontificum Maximorum studium, ne quidpiam Sacrario addictum usquam distraheretur.

Si de augendis *Sacrarii* redditibus Romani Pontifices adeo solliciti fuerunt, impendio magis etiam studuerunt, ne quidquam, quod ad illud pertineret, ullo modo distrahere, atque alienare quisquam posset. *Clemens* enim IV. [1] sacras vestes, aliaque bona thesauri Bas. Vat. oppignerari, vel quovis pacto alienari prohibuit. Quae Constitutio ab *Vrbano* VI. [2] fuit confirmata, qui anathemate plectendos sancivit, *quoscumque qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate conspicuos, etiam S. R. E. Cardinales, scienter recipientes, aut ementes, nedum alienantes jocalia, imagines, anulos, vasa aurea, et argentea, gemmas, aliaque cujusquemodi Basilicae Sacrarii.*

Haec autem Pontificum cura ad alias etiam res, redditusque conservandos, qui *Sacrario* addicti fuerant, providentissime pervasit. Nam *Innocentius* VIII. [3] possessiones, fructus, redditusque Ecclesiae Parrochialis *S. Mariae, et Catharinae*, jampridem *Sacrario* Bas. Vat. destinata, in alios usus converti vetuit.

Ac quandoquidem de hac Ecclesia incidit sermo, placet heic de eadem pauca interserere; quod eo lubentius facio, quod eamdem, veluti matrem, quum intra ejus curiae fines modo sim, colere debeam, atque observare.

1 T. I. Bull. Vat. p. 144. 2 T. II. p. 30. 3 T. II. pag. 257.



§. III.

De Templo S. Mariae, et Catharinae de Rota.

Templum *S. Mariae, et Catharinae*, in regione Arenulae, situm est, prope aedes Farnesianas, pluribusque nominibus apud Scriptores venit. Martinellius enim [1], Camilli Fanuccii adstipulatu, illud appellat *S. Catharinae in Catinaria, nunc de rota*. Quam quidem nomenclaturam, quae hodieque viget, apud vulgus obtinuisse putat Filinus [2], cui subscripserunt Ant. Fonseca [3], et Joh. Bapt. Bovius [4], jam inde, quum Senenses haud ita procul alterum *D. Catharinae* Templum de via Julia excitarunt, ut nonnullum, inter utramque Ecclesiam eidem dicatam, discrimen exstaret.

Verum alibi [5] idem Martinellius cum Pancirolo [6], qui testem Vat. Tabularii membranam producit, *S. Mariae in Catharina* nomen inditum ei fuisse narrat, instar Basilicae *S. Laurentii in Damaso*, et Ecclesiae *S. Laurentii in Lucina*, a *Damaso*, et *Lucina* conditoribus, ut recte conjecit idem Fonseca [7]. Praeterea Martinellius notat, corrupte aliquando appellatum esse *in Catemeri*, et in Taxa Leonis X. *in Catinara*, vocabulo haud ita dissimili ab eo, quod legitur in hujus Pontificis diplomate [8], ubi *Ecclesia Parrochialis S. Mariae, et Catherinae in Catinari, regione Arenulae*, nominatur. Sed tamen ne haec quidem appel-

1 p. 352. 2 p. 125.
3 de Basilica S. Laurentii in Damaso. Fani 1745. fol.
4 La Pietà Trionfante su le distrutte grandezze del Gentilesimo nella magnifica fondazione dell'insigne Bas. di S. Lorenzo in Damaso, con la serie istorica di tutte le sue Chiese Figliali, degli Vffizj della Cancellaria Apost. e de' Cancellieri della S. R. C. Roma 1729. fol.
5 p. 371.
6 Ch. 25. 2. 11.
7 c. xx. p. 313.
8 T. II. Bull. Vat. p. 352.

latio homini arridet, putatque legendum cum Castallo Metallino, *Catemiri*.

Hanc Eccl. inter sacras Aedes, quas *Hadrianus* IV [1], *Innocentius* III [2], *Gregorius* IX [3], *Vrbanus* VIII [4], aliique Pontifices, editis ea de re peculiaribus privilegiis, Vaticano Clero concesserunt, aut jam ab aliis concessas novis corroborarunt, ex Basilicae ejusdem Censualibus, seu Ecclesiarum, Hospitalium, Monasteriorum eidem subditorum repertoriis, jampridem enunciatam fuisse constat. Verum jam inde ab *Alexandri* III. Pontificatu controversia exorta est, ad utram Basilicam, tamquam Matrem referenda esset, anne *S. Laurentii in Damaso*, an potius *Templi Vaticani*. Quod dissidium ipse *Alexander* composuit, qui Vat. Bas. Canonicis caussam adjudicavit. Pontificis sententiam Annibaldus Vrbis Senator in autographo diplomate, pro Vat. Bas. anno MCCLXXV. edito, in hunc modum enunciavit [5]. *Sancimus quoque decreto, et auctoritate Sacri Senatus, sententiam a Domino Alexandro Papa* III. *inter ipsos Canonicos* (Vat. Bas.) *et Clericos S. Laurentii in Damaso latam, super Ecclesiam* S. Mariae, et S. Catherinae, *et quaecumque ab ipso, vel ab aliis catholicis Pontificibus Romanis, seu aliis pro eisdem Canonicis facta, vel scripta sunt, rata, et inconvulsa perpetuis temporibus permanere, et inviolabiliter observari*. Nihilominus eadem controversia, proxime elapso Seculo [6], apud XII. Viros stlitibus judicandis hinc inde agitata est, sed tandem eodem exitu.

Ceterum usque ab initio, *Alexandri* sententiam effectu

1 T. I. Bull. Vat. p. 57.
2 ibid. p. 78. 3 ibid. p. 111.
4 T. III. Bull. Vat. pag. 59.
5 T. I. Bull. Vat. p. 69.
6 V. Ciampinium de S. R. E. Vice Cancellario. Romae 1697. §. XIV. S. Mariae in Caterina, sive Catherinae, sive in Catinaris. p. 174.

suo non caruisse, palam facit vetustus Ecclesiarum Catalogus, quem exhibet Codex, Demetrii Lucensis opera coordinatus, in quo ita legimus [1] *Item Ecclesia* S. Mariae, et Catherinae *spectat ad ipsam Basilicam* (S. Petri) *pleno jure, cum tota Parochia sua, facit obedientiam, reverentiam, subjectionem; debet venire ad Scrutinium, Baptisma, chrismatis confectionem, et processiones, habet ibi jus ordinandi, instituendi, destituendi, Capitulum ipsius Basilicae corrigendi, et ad tempus privandi, et Archipresbyterum confirmandi, electum a Clericis. In festo S. Catherinae debent ire septem ex Canonicis cum septem scutiferis, seu septem famulis, qui Canonici, seu alii, quibus placet committere, debent vigilias cantare. Qui omnes cum scutiferis post vigilias, debent coenare, quibus in ipsa coena debent Clerici bona fercula cum bonis vinis ministrare, et quibus placet, remanere, debent bonos lectos praeparare. In mane, cantata ibi Missa, et praedicato, prandent ibi omnes, quibus praeparent bona cibaria, et diversa vina bona. Debet postmodum Archipresbyter rogare, quod si defectus fuit in cibis, debeant parcere; alioquin parati sunt satisfacere in octavam. Et Prior Canonicorum, qui est ibi, si bene fuit eis in prandio, et coena, regratientur; alioquin eos ad tempus ab officio, et beneficio suspendet.*

Ex quibus jure illud animadversione dignum esse putant Bull. Vat. editores, Canonicos, aut alios ex aliis Cleri ordinibus, quotannis, die festo Titularis, aut Patroni, ad sacras Aedes Vat. Capitulo subjectas accedere consuevisse, ut modo etiam solent, sollemni pompa rem divinam acturos, et in earum nonnullis olim concionem quandoque haberi, imo etiam convivium, quod Rector

[1] in tab. sign. litt. A. T. I. B. Vat. p. 69.

8 S 2

Ecclesiae, ubi festum celebrabatur, instruere debebat, ut veterem Christianorum morem a Plinio [1] memoratum imitarentur, qui in Martyrum natalibus, aliisque sollemnioribus diebus convivia inibant, de quibus plura Muratorius egregie disseruit in *disquisitione de Agapis* [2]. Quae non solum ex allato Codice chartaceo, sed etiam ex veteri altero membraneo, *Sermones pro Matutino* inscripto [3], apparent, ubi [4] Index Ecclesiarum sub jure Basilicae Vaticanae.

In hac eadem Aede, perpetuam Vicariam *Pius* II. instituit, eique pro ejus dote nonnullos fructus assignavit pro uno Vicario illi deservituro. Verum *Leo* X. ipsius Capituli precibus eam abrogavit, ejusque fructus eidem Capitulo [5] adtribuit; atque hinc eadem Ecclesia Societati *Calzettariorum*, uti vocant, adjudicata fuit. Quae tamen Societas anno MDLXX. omni jure super eadem excidit, ac jubente *Pio* V. [6], ab ipso Capitulo extrusa fuit.

Denique quum idem *Pius* V. literis Apostolicis anni MDLXXI. [7] *Vicarios Curatos perpetuos* instituisset, non modo in Basilicis Lateranensi, et Vaticana, sed etiam in Collegiatis S. Mariae in Via Lata, S. M. in Transtiberim, S. Laurentii in Damaso, S. Marci, S. Angeli in Foro Piscium, S. Quirici in Montibus, S. Nicolai in Carcere, alios item constituit in Aedibus S. Blasii *della Pagnotta*, S. Panthaleonis, et S. *Catherinae de Rota*, cujus quidem Curiae sacris, omni laude, nunc praeest Vir spectatissimus, Andreas Tosi.

1 lib. x. ep. 97.
2 Patavii 1709. una cum graecis anecd. p. 241.
3 in Arch. Bas. sign. litt. C. n. 107.
4 p. 247. 249.
5 T. II. Bull. Vat. p. 35.
6 T. III. Bull. Vat. pag. 85.
7 ibid. pag. 90.

§. IIII.

De ceteris Sacrarii bonis non locandis.

Jam vero, interruptum narrationis filum resumamus. Quum *Paullus* IV. anno MDLIX. [1], *Xysti* IV, et *Clementis* VII. constitutiones innovasset de bonis Basilicae non locandis, nedum Canonicis, Beneficiariis, Clericis, eorumque affinibus, et consanguineis, praeter anathematis poenam transgressoribus irrogatam, unique Pontifici reservatam, tam ducentorum aureorum *Xysti*, quam quingentorum *Clementis*, quorum dimidia pars Camerae assignanda erat, severioris ingenii Pontifex, integram summam *Sacrario* applicandam decrevit.

Praeterea omnibus prohibuit, *Sacrarii* supellectilem cuiquam commodare, praeterquam Vicario, Canonicis, Beneficiariis, et Clericis, etiam extra Basilicam, vasis aureis tamen, et argenteis semper exceptis, ut liquet ex ejus literis, quae testes sunt locupletissimae eximiae *Sacrarii* supellectilis per illa etiam tempora, quamquam haud ita pridem in Borboniana Vrbis direptione, hujus melior, ac major portio, quae a Grimaldo apud Turrigium [2] recensetur, misere ablata fuisset.

Hoc *Paulli* decretum sub eadem anathematis poena *Clemens* VIII. [3] confirmavit, qui litteris Apostolicis anni MDLXLVI. [4] jura, bona, redditusque omnes *Sacrarii* a *Xysto* IV. massae communi, uti ajunt, adnexa dissolvit, atque in pristinum statum revocavit.

Denique istiusmodi Constitutiones literis Apostolicis anno MDCXI. a *Paullo* V. [5] item confirmatae, diplo-

1 Ibid. p. 39. 2 p. 258. 4 ibid. p. 194.
3 T. III. Bull. Vat. p. 181. 5 T. III. Bull. Vat. p. 213.

mate *Benedicti* XIV. anno MDCCLII. VI. Kal. Aprilis [1] instauratae sunt, qui Decessorum decreta de ingressu, et *media annata* Canonicorum, pro eodem *Sacrario*, rata haberi praescripsit.

§. V.

Cetera Paulli V. *beneficia*.

Paullus V, ut in augustissimo *B. Petri Confessionis* ambitu, mundities, quanta maxima fieri posset, relligiose servaretur, praeter quattuor argenteas lampades anno MDCXVI. octavo Idus Augusti dono datas [2], pro expensis olei, unoque Ministro conducendo, qui *Confessionis* custodiam, et curam gereret, Beneficium quoddam, sub titulo *S. Eusebii*, in Ecclesia Parochiali *de Gambalo*, Vaticanae Basilicae attribuit. Hujus beneficii redditus ad *Sacrarium* etiamnum pertinent, iisque lampades a *Paullo* donatae, noctu diuque collucent, ac Ministro, cui sacrae *Confessionis* custodia demandata est, stipendium solvitur.

Quae quidem *Paulli* cura, antiquiorum Pontificum studiis maxime fuit consentanea, qui de concinnandis, parandisque luminibus, ante *Petri Confessionem* mire solliciti fuere. Id enim a *Silvestro*, *Caelestino*, *Hilario*, *Simplicio*, *Symmacho*, *Sabiniano*, *Honorio*, *Agathone*, *Zacharia*, *et Gregorio* II. praestitum fuisse, tradit Anastasius, qui coronas, delphinos, phara, canthara, cereostata, rhetia, candelabra, lucernas, lychnos, arbores, seu lychnucos arborum modo mala ferentium lucentes, magnamque auri, et argenti vim pro lampadibus Bas. Vat. ab iis dono datam fuisse memoravit. Verum id praecipue constat ex celeberrimo diplomate *Gregorii M*, qui nonnulla praedia,

1 Ibid. p. 350. 2 ibid. p. 219.

ac oliveta pro luminaribus concinnandis Basilicae addixit, quod marmorea tabula insculptum ad laevam Porticus Vat. Bas. parieti adfixum adhuc videtur, et ab Angelo Roccha, Francisco Blanchinio, aliisque editum, denuo Vat. Bullarum collectioni [1], et Venetae operum *S. Gregorii* editioni [2] intextum fuit.

Quota vero fuerint antiquis temporibus Vat. Bas. luminaria, ut Candelabrum omittam totidem lampadibus insignitum, quot sunt anni dies, alterumque ab *Hadriano* dono datum, Crucis formam repraesentans, MCCCLXXX. luminaribus instructum, quod ante Presbyterium, quattuor anni vicibus, *in Nativitate Domini*, *in Pascha*, *in Natali Apostolorum*, et in *Natali Pontificis* [3] accendi solebat, licet deprehendere ex Petro Mallio [4], qui haec habet, a Panvinio [5] item descripta. *Quoniam haec D. Petri Basilica omnium Ecclesiarum caput est, et speculum.... de institutione S. R. E. in decorem, et pulchritudinem hujus sacrosanctae Basilicae accenduntur quotidie* CL. *lampades*. Stationibus vero quibuscumque [6] CCL. arsisse testatur. Quod etiamnum, aliis etiam piorum VV. institutionibus [7], ma-

1 T. I. p. 7. 2 T. XVII. p. 214.

3 *Alfarano in mss.* Vn poco più alto, pur sopra questa Porta, fu posto una Croce de ferro, con chiave pur similmente grandissime, quale solevano stare attaccate nell'Arco maggiore appresso all' Altare maggiore, et le feste principali tutti si emplevano de Lampadi, perchè a modo de Lampadaro erano ordinate, et ancora quel costume in tempi nostri qualche volta se osserva.

4 T. VI. Iun. Boll. p. 48. col. 2.

5 T. III. ms. c. XXXI. de lampadibus, et luminariis Bas. Vat. p. 18.

6 T. II. Mus. It. in app. Ord. Rom. p. 161.

7 *Audi Basilicae Vatic. Necrologium.* VI. Idus Ianuarii. Obiit Dñus Petrus de Columpna Cardinalis, qui reliquid ñre Basilice IIIc. flor. auri, de quibus conversi fuerunt in emptione Casalis Dñi Andree de Ruceamatiis IIc floren. voluit, quod de dictis IIc floren. fierent quatuor anniversaria pro animabus Patris, et Matris ipsius Dñi, ac pro Dño Iacobo patruo suo Card. reliquid centum floren. conversi fuerunt in d. emptione, quod *debeant ardere subtus Corpus Apostolor. in d. Basilica cotidie quinque lampades* pro anima ipsius. Expendatur pro anniversario suo unus florenus.

gna quidem ex parte retinetur, quum CLXXX. Lychnuchis quotidie renideat. Quod si cui redundans, et supervacaneum fortasse videretur, is audiat Concilium Aquisgranense II [1]. *Quia scriptum est*, Ignis in Altari ardebit; *multum igitur haec verba ponderanda his, qui unde ignis perpetuus, idest Luminaria in Basilicis Deo dicatis concinnari ex fidelium oblationibus debent, auferre praesumunt.*

Antiquissimum certe Candelabrorum, et luminum fuisse usum in sacris Aedibus, fuse demonstrant Baronius [2], Grancolasius [3], Thiersius [4], Georgius [5], Sarnellius [6], Card. Bona, et Rob. Sala [7], ac praesertim Muratorius [8] in eruditissima dissertatione *de Templorum apud veteres Christianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum usu*. Porro lumina de die accensa, vel coram fabulosorum Numinum imaginibus, fuisse docent Joh. Faes [9], et Just. God. Gunzius [10].

§. VI.

Alexandri VII. erga Sacrarium beneficentia.

Alexander eidem *Sacrario* sacras vestes, easque ornatissimas, in *Canonizatione S. Thomae de Villanova*, Ordinis Eremitarum S. Augustini, paratas, liberaliter largitus est; de quarum vestium donatione, earumque nobilitate exstat in Archivo Bas. monumentum, quod legent, si qui volent, apud Benedictum XIV. [11], et Bull. Vat. edito-

1 an. 836. can. XXIX.
2 an. LVIII. num. LXX.
3 T. I. p. 717.
4 des princip. autels de l' Eglise c. XIX.
5 de Liturg. Rom. Pont. lib. III. c. II. n. IX. et c. XVIII.
6 lib. I. c. XXV. §. VII.
7 Perchè nell' antico Tempio si adoperasse l' olio, e non la cera? T. IV. delle sue lett. Eccl. p. 29.
8 recusa in Tom. II. Disc. Pop. Dei p. 229.
9 de Cereis baptismalibus p. 130.
10 de Δαιδουχίαις, sive facibus in sacris Aesculapii. Lipsiae 1737. 4.
11 de Beat. et Canoniz. edit. 1765.

res [1]. Ex eo autem constat, vestes, quae in hac *canonizatione*, de qua vide Cherubinum [2], Bollandianos [3], Andream Aznar [4], et B. Coccinum [5], anno MDCLVIII. adhibitae fuerunt, item ad aliud festum *Canonizationis Francisci de Sales*, anno MDCLXV. celebratum, et a Dom. Cappello [6], ac in Theatro [7], et Diario [8] Europae descriptum inserviisse, etsi verba Pontificis a supplici Capituli libello discrepent, in decernendo harum vestium usu, quae postea *Sacrario* donatae ab eodem fuerunt.

Sed haec levia fortasse, si cum iis, quae supra innuimus [9], comparentur. Quum enim idem Pontifex animadvertisset, nec *Xysti* IV, nec *Clementis* VII. liberalitatem, ad *Sacrarii* supellectilem conservandam, atque augendam satis fuisse, anno MDCLIX. [10] sanxit, ut pro singulis, *Beatorum* Fastis adscribendis, quingenta aurea, ac mile pro iis, qui aethereos inter Proceres, sanctumque Senatum recensendi essent, eidem solverentur, uti fusius exponit *Benedictus* XIV [11].

Qua de re perpetuum grati animi monumentum marmoreum, ut supra dictum est, in ipso *Sacrario* visebatur. Quaecumque autem ex hujusmodi Constitutionibus ad *Sacrarium* proveniunt, Canonici duo Sacristae, in sacram supellectilem erogant ex Pontificum praescripto; quam si cui lubitum esset agnoscere, is consulat ac-

1 T. III. Bull. Vat. p. 273.
2 T. v. Bullar. p. 274.
3 die XIII. Sept. p. 799.
4 Acta Canoniz. Thomae a Villanova. Romae 1658. 4.
5 De Sanctitate, et miraculis, quibus in vita, et post obitum claruit Ven. Vir Frater Thomas a Villanova ad Paulum V. relatio. Exst. in lib. de Canonizatione Sanctorum Felicis Contelorii. Lugdun. 1634. pag. 451.
6 Acta Canoniz. edit. 1665.
7 T. x. p. 85.
8 Contin. XI. p. 517.
9 pag. 1399.
10 T. III. Bull. Vat. pag. 272.
11 de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum lib. I. c. 46. §. v.

curatam ejusdem descriptionem, quam Petrus Chattard [1] fusiori calamo prosequutus est.

§. VII.

Clementis XI. *Innocentii* XIII. *et Benedicti* XIV. *in Sacrarium beneficentia*.

Habes ferme ad omnia; nisi quod pauca adhuc supersunt de *Clementis* XI, aliorumque Successorum erga idem *Sacrarium* munificentia. S. P. Q. R. anno MDCXIX. Senatus consulto decrevit, ut quotannis Basilicae Principis Apostolorum, festo ejus die, Calix argenteus Scutator. XXX. cum cereis facibus offerretur. Decretum hoc *Gregorius* XV. anno MDCXXI. [2] Apostolica auctoritate confirmans, sanxit, ut Magistratus idem donarium perpetuo dicaret. Verum, ut ex ejusdem literis liquet, statuit, pretium Calicis fore scutatorum LX.

Quum autem Canonici a *Clemente* XI. petiissent, ut potius, quum jam satis Calicum in *Sacrario* esset, annorum XCIII. spatio quotannis oblatorum, per decennium illorum pretium a S. P. Q. R. accipere possent ad sacras supellectiles reficiendas, quibus indigebat, Pontifex providentissimus literis Apostolicis anni MDCCXXII. [3] eorum precibus subscripsit.

Innocentius vero XIII. hanc facultatem, an. MDCCXXIII [4] ad aliud decennium extendit, ut ea tamen conditio servaretur, omnem pecuniae vim in sacram supellectilem commutandi; ac demum *Benedictus* XIV. anno MDCCLII. [5] ita in posterum pro *Sacrario* perseverandum esse decrevit.

1 T. I. p. 240.
2 T. III. Bull. Vat. p. 229.
3 ibid. p. 292.
4 ibid. p. 292.
5 ibid. p. 349.

